



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

um qui
um us-
e, dein
proru-
Euge-
antum,
d Papa
onfisto-
ad tri-
xceptis
nt vota
quod
o voto
ega-

S

ANNVS ET EPOCHAE 4.
SYROMACEDONVM

IN VETVSTIS VRBIVM SYRIAE NVMMIS
præsertim MEDICEIS expositæ.

ADDITIS

FASTIS CONSVLARIBVS

ANONYMI OMNIVM OPTIMIS.

Accesserunt nuper Dissertationes

DE

PASCHALI LATINORVM CYCLO

ANNORVM LXXXIV,

AC RAVENNATE ANNORVM XCV.

AUCTORE


F. HENRICO NORIS

VERONENSI

Augustiniano, Serenissimi Magni Ducis Etruriæ COSMI III Theologo, & in Academia Pisana Sac. Scripturæ & Ecclesiasticæ

Historiæ Professore,

nunc S. R. E. CARDINALE.



LIPSIÆ,

Apud THOMAM FRITSCH;

M. DC. XCVI.

12100

12100

12100

12100

12100



SERENISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI
FRANCISCO MARIE MEDICEO,
 S. R. E. CARDINALI.



Etustissimæ ac florentissimæ quondam Sy-
 riæ Vrbes non tam senio confectæ, quam
 irruentium barbarorum feritate deletæ,
 alto dudum cinere obrutæ jacent, ut ne i-
 psarum quidem vestigia supersint. Illa-
 rum tamen symbola, tutelaria Numina,
 atque ea, quibus floruerè, tempora in ea-
 rundem Nummis ære perenni ducta, ac seris posteris servata,
 obfignantur, ita ut quamvis illæ Temporis injuria perierint, i-
 psam tamen Tempus suis in Nummis æreis veluti compedibus
 vinctum ostendent. Cum vero ipsarum Epochæ hætenus vi-
 ris eruditis aut ignoratæ aut parum feliciter expositæ fuerint, a-
 nimum induxi, easdem MEDICEORVM Numismatum cpe
 in optimo lumine collocare. Vereor tamen, ne istæ de variis
 Syriarum Urbium Temporibus dissertationes parum scite aut
 commode tempus capiant, ad Serenissimam tuam Celitudi-
 nem adeundi. Nam vix Vaticana dibapha sacri muricis cruo-
 re, sed tuarum virtutum fulgore longe nitidior tuis in humeris
 præradiaverat, cum LEOPOLDVS Cæsar Augustus, Pius, Fe-
 lix, ac Triumphator inter tot erecta de formidata a tot sæculis
 Christianorum regnis Turcarum gente trophæa, laureatis lite-
 ris Tuam Celitudinem Imperii Germanici apud Apostolicam
 Sedem Protectorem designavit; statimque geminato honore,
 idem pariter munus pro Hispaniarum regnis invictissimus eo-
 rundem Monarcha Tibimet detulit, simulque in universum
 pene Orbem, qua mitissimum ac felicissimum Austriacorum
 imperium ad remotissimos usque Indiarum populos longe la-
 reque

teque diffenditur, Tuæ Celsitudinis consilia, studia, operam-
que distaxerunt, ut jam vacui nihil temporis habere videaris,
quo vel semel oculos ad retroacta vetustioris ævi tempora de-
torqueas. Patere tamen, Serenissime ac Reverendissime Prin-
ceps, meas hæc lucubrationes, quæ in ditissimis Mediceorum
Cimeliis conceptæ sunt, doctorum hominum oculos subiru-
ras, Tuæ Celsitudinis nomen, quod fama latius per Orbem
cum plausu circumfert, fronti præfigere; neque enim cum de
Temporibus agant, profani cujuspiam hominis, sed sacri tan-
tum viri Principis auspiciis in lucem prodire debent. Tempus
rem esse plane cœlestem eamque sacram, tum eruditæ poeta-
rum fabulæ, tum etiam vetustiora gentium instituta demon-
strant. Nam Saturnum, quem in supersticiosa Deorum turba
veluti ceterorum parentem hñxerunt, Κρόνον: Tempus vero
priori tantum variata parumper litera Χρόνον appellarunt;
quod cum Tempus ex perenni Orbium cœlestium motu oria-
tur, a Saturni præsertim sydere ceteris eminentiori ejusdem ori-
ginem deducendam esse putabant. Romani vero ordinando-
rum temporum potestatem Pontificum collegio tradiderunt,
penes quos fastorum ac nefastorum dierum discretio esset, ac
intercurrentium subinde intercalarium ordo ac dispositio. Hinc
mea hæc de variis Urbium Syriæ Temporibus commentaria
Tuæ Sereniss. Celsitudinis, in sacrum Purpuratorum Patrum
collegium cooptatæ, patrocinium non quidem temere, sed
congruenter implorant. Et illa quidem præterita plurium op-
pidorum Syriæ tempora exponunt; Te vero, Serenissime ac
Reverendissime Princeps, præsens, Te futura ætas cum elogio
loquetur, ac non Etruriæ tantum vestræ ac Vaticanos Fastos,
sed Christiani Orbis Annales rerum sapienter prudenterque ge-
starum gloria, nullo unquam ævo oblitterandus, implebis.

Sereniss. ac Reverendiss. Celsitudinis Vestra

Florentiæ Kal. Aug.
Anno 1689.

Humilissimus ac addictissimus servus
F. HENRICVS NORIS AVGVSTINIANVS.

APPROBATIONES.

Dominus Antonius Maria de Salvinis dignetur inspicere, & recognoscere hoc opus, cui titulus: *De Anno & Epochis Syromacedonum &c.* a Fr. Henrico Noris conscriptum, an contineat quicquam adversum S. Fidei Orthodoxæ, & bonis moribus, & referat. Dat. 10 Octobris 1687.

Nicolaus de Castellani Vic. Gen. Flor.

Illustriss. ac Reverendiss. Domine.

Quæ hujusce Parens voluminis, scriptorum suorum fama literario Orbi notissimus, ad illustrandos Syromacedonum annos, urbiumque Syriæ Epochas in clara luce collocandas protulit, diligenter inspexi. Me vero in iis beatissimam inexhaustæ doctrinæ vim admirantem nihil, quod Christianam religionem, aut disciplinam læderet, retardavit; verum omnia animadverti sana quadam jucunditate florentia, & Historiæ tum externæ tum sacræ plurimum opis allatura. Dat. Florentiæ VII Kal. Nov. 1687.

Antonius Maria Salvinus Florentinus in patria

Academia Græcarum Literarum Professor.

Attenta retrorsum relatione, Imprimatur. Dat. 27 Octobris, 1687.

Nicolaus de Castellani Vic. Gen. Flor.

Ad Illustriss. Dominum Advocatum Benedictum Gori, ut diligenter perlegat hoc opus inscriptum: *De Anno & Epochis Syromacedonum, Auctore F. Henrico Noris*; & si nihil obstiterit, prober. Datum ex ædibus S. Officii Florentiæ hoc die 9 Novembris 1687.

F. C. Pallavicinus de Mediolano Ord. Min. Convent.

S. Francisci S. Officii Flor. Vic. Gen.

Reverendissime Pater.

Epochas hæc Syromacedonum a doctissimo Scriptore illustratas sedulo & accurate pervolvi, easque ut in annos perpetuo vivant, dignissimas cenfeo, æternitatis (si fas esset) characteribus imprimendas. Eruditionem in eis summam, methodique concinnitatem plurimum admiratus sum; Religioni ac pietati dissonum nihil prorsus obvium fuit. Dat. Florentiæ VIII Id. Januar. MDCLXXXVII ab Incarn.

*Benedictus Gorius Advocatus ex Collegio Nobilium,
& S. Officii Consultor.*

Imprimatur hac die 12 Januarii 1688.

*Fr. Casar Pallavicinus de Mediolano Ord. Min. Convent.
Vic. Gen. S. Off.*

Volumen *de Anno & Epochis Syromacedonum* inscriptum, multa eruditione ac non vulgari doctrina elucubratum, perlegi. Sufficiebat præscriptum fronti nomen Auctoris, cujus laudibus literarius Orbis personat. Hinc

††

me

APPROBATIO THEOLOGORVM ORDINIS.

me non disceptatorem Operis hujus, sed inspectorem: non cenforem, sed admiratorem: non qui de Auctoris doctrina judicarem, sed qui eandem nondum publicis typis vulgatam ante ceteros prælibarem, Reverendissimus P. Magister F. Fulgentius Travalloni universi Augustiniani nostri Ordinis Generalis instituit. Porro nihil Catholicæ fidei adversum, nihil morum probitati repugnans, sed omnia solidam ac probam doctrinam præferre cognovi. Ita censeo

*Ego F. Alexander Argigli Florentinus Augustinianus
Sacra Theologia Magister.*

Opus, cui titulus, *De Anno & Epochis Syromacedonum*, præfigitur, a P. Magistro F. Henrico Noris Veronense, viro summa eruditione omnique doctrinarum genere percelebri, luculenter elaboratum, in quo insignium, Scriptorum anachronismi ex nummis emendantur, unaque vetustiores urbium Syriæ Epochæ exponuntur, jussu Reverendissimi Patris nostri Generalis attente perlegi: & nedum typis dignum, sed cedro fane liniendum, levique cupresso in æternitatem servandum censeo. Florentiæ pridie Kal. Junii, anno 1688.

*Ego F. Jo. Baptista de Mengarelli Ravennas Collegii
S. Spiritus Florentia Mag. Regens.*

MAGISTER F. FVLGENTIVS TRAVALLONI

A Monte Elparo Georginas totius Ordinis FF. Eremitar.

S. P. N. Augustini Prior Generalis.

Cum Opus *de Anno & Epochis Syromacedonum* a Rev. P. Magistro F. Henrico Noris Veronensi nostri ejusdem Ordinis Auctore elucubratum, Viri per Nos deputati legerint, & approbaverint, facultatem, quatenus ad Nos spectat, ut in lucem edi possit, præsentium vigore concedimus & impertimur. Dat. in Conventu nostro S. Spiritus Florentiæ die 9. Junii 1688.

F. Fulgentius Travallonus Prior Generalis.

Magister Regens Fr. Nicolaus Seranus

Ordinis Secretarius.

Ruberto Pandolfini Senat. e Aud. di S. A. S.

IN LIBRVM

De


EPOCHIS SYROMACEDONVM

Bernardi Moneta Divionensis Poetæ celeberrimi

EPIGRAMMA.

O Libane, o Syrios inter mons inclyte montes,
Celsius aslveto nunc, age, tolle caput.

Ecce



Eccē tibi circum redīvivas excitat Vrbes
Noris, & e tumulis surgere regna jubet.
Antiochi redeunt, decantatique Seleuci;
Fastorum obtritū qui fuit, ordo redit.
Eja, Viro exultans assurge cacumine toto,
Quis negēt hunc cedris scribere digna tuis?

T E T R A S T I C H O N

Disticho, quod in fronte libri legitur, oppositum,

Illustrissimus Abbas Claudius Nicasius
Divionensis misit.

Cogitur hic Syrias iterum ne destruat Vrbes,
Ferre, nec immerito, vincula Tempus edax.
Vincula ferre tamen, quæ cogitur, ærea non sunt;
Æreus hic non est, aureus immo liber.

Aliud ejusdem.

Dogmatis antiqui vindex Norisius olim,
Nunc præci vindex Temporis atque loci.
Qui loca sic rebus jungit, sic Tempora nectit,
Omne tulit punctum Scriptor in historia.

JOANNES VAIELANT

HISTORIÆ REGVM SYRIÆ
SCRIPTOR INSIGNIS


HENRICO NORIS AUGUSTINIANO
in ejus librum

DE ANNO ET EPOCHIS SYROMACEDONUM.

En Syrius Macedo sua rursus littora noscit,
Et Reges nostro suspicit ære datos.
Sed quid tot reduces, miro licet ordine, Reges,
Ni populos vna censeat ille suos?
Isti hic immunes, & vectigalibus adsunt.
Oppida Norisius libera restituit.
Quæque per hunc facile varios urbs computat annos,
Et libertatis præmia præca sua.
Hinc Syria e tumulo nunquam peritura resurgit,
Regibus aucta meis, Urbibus aucta tuis.

P R Æ F A T I O.

Occasio & Vtilitas Operis.

 *X* quo summo ingenio viri ad veterioris atatis memorias reparandas, sua omnia studia operamque contulere, nihil illis antiquius fuit, quam inscriptorum lapidum, ac veterum nummorum subsidio Romanos Fastos, Caesarum historiam, Gracarum quoque urbium ac barbarorum Regum monumenta partim ignorata, partim etiam neglecta, in publicam eruditorum notitiam revocare. Et quidem initio privati quidam viri cum, e familiari re ipsorum non esset, aurea numismata aspera ac recentia cum vetustis ramentisisque non semel scabra rubigine æres commutare, exilem minutamque veteram nummorum seriem in domesticas thecas retulerunt. Magnus Etruria Dux Franciscus avito ad quodlibet eruditionis genus promovendum Genio ductus, imperantium primus, quo præclaras retroacti ævi reliquias invidis fati ac temporum injuria subtraheret, innumera ubique gentium vetusta numismata ingenti auri pondere redimens, ditissimo, Et ut digniori epitheto utar, eruditissimo thesauro regia Mediceorum Cœmelia locupletavit. At ne tam preciosa supellex in ordinem ac indicem cogeretur, præcox fatum vetuit, quo ille vix, alterum in principatu lustrum emensus occubuit. Hinc factum est, ut tot rara antiquitatis monumenta e terra ruderibus dudum effossa, mala iterum eru-

PRÆFATIO.

eruditorum sorte, sexaginta circiter annis, nobiliori licet tumulto consepulta, jacuerint, quousque Magnus Dux Ferdinandus II nummarii Cimeliarchii curam resumens, Petri Fittoni Angli insignis Antiquarii operâ usus, universam numismatum Gazam in ordinem atque indicem redigens, privatum thesaurum rem publicam fecit. Nam Lucas Holstenius polygraphicas in Stephanum notas, Ezechiel Spanbemius præclarum de præstantia & usu numismatum opus, aliique viri eruditi, mutuata e nummis Mediceis luce, edita abs se ipsi volumina illustrarunt. Ceterum quamvis nummarii Indicis prelustrandi facultas quandoque concederetur, ipsorum tamen numismatum inspectio ac liberior contrectatio neutiquam permittebatur; quod illa intra vulgare armarium incoacervatis altiori ordine tabellis disposita, ac congesta, minus commode ostendi poterant. Cum vero Leopoldus Cardinalis Mediceus acerba sibi, sed literatis omnibus acerbiori morte raptus, insignem divitemque veterum numismatum Gazam in uno & altero Scrinio ordinatim locatam reliquisset, ac paulo post Serenissimus Magnus Etruria Dux COSMVS III, emptâ in Hispania tredecim millium ac trecentorum numismatum Gaza, grandem avitis Cimeliis accessionem fecisset, quo diuturnis Antiquariorum votis satisfaceret, ac tam pretiosi Cimeliarchii veluti pudorem tandem absolveret, selecta ex tribus locupletissimis Gazis numismata, in pluribus scriniis ex Indico ligno affabre eleganterque constructis, liberali custodia servandos occlusit, non tam ad novum regii plane Musei ornamentum, quam ad usum

P R Æ F A T I O.

Et commodum eorum, qui vetustioris ævi memoriis reparandis incumbunt. Ipse quidem bono meo facto, id est, Magni & OPTIMI PRINCIPIS benignitate, in hocce ditissimum ac locupletissimum veneranda antiquitatis sacrarium admisus, omniumque numismatum pro libito contructandorum facultate impetrata, summa animi voluntate admiratus sum Romanam ac Græcam, imo & barbarorum Regum historiam aureis, argenteis, æreisque, characteribus in omne ævum duraturis, descriptam; simulque cogitare cœpi, ecqua inde nova ad vetustioris ætatis Annales illustrandos subsidia comparare possem, cum jam eruditi Scriptores eo in campo tam copiosam messem messuerint, ut vix tenuioris spicilegii spes reliqua superesse videretur. Nam augusta illa ora Caesarum & Augustarum Erizzius, Goltzius, Angelonus, Patinus aliique plurimi editis voluminibus exhibuerant. Deorum effigies, sacrorum instrumenta, aliaque id genus symbola ad profanam gentilium Theologiam spectantia, Jacobus Oysellius ære ductis nummorum typis illustraverat. Romanorum Consulium, ac Magistratuum familias ex nummis, æneis illis ac paribus æternitati fastis, Fulvius Ursinus justo volumine collegerat, cui & recens eruditumque auctarium Eques Carolus Patinus adjecit. Colonias toto passim Romano Orbe deductas, ac plurium ubique fere Romanarum gentium in Europa condita municipia, Joannes Vaillantius cum eorundem nummis summa diligentia parique eruditione procudebat. Urbium tum Latinarum tum etiam longe plarium Græcarum numismata post Holstenium, Joannes Harduinus insigni opere, cui

P R Æ F A T I O.

eo in genere nil par aut secundum hætenus prodiit, in clara luce posuerat, tam grandi rei geographica emolumento. Hinc ne actum agerem, ac in sylvam ligna ferrem, consilium cepi, exponendi varias diversarum, Syria præsertim, Urbium Epochas, quas in Mediceis numismatibus observaveram, quam rejiculam nummorum, supellectilem ceteri flocci fecisse videbantur. Josephus Scaliger omnium primus urbium Syria Epochas in earumdem nummis adnotaverat. Nam lib. 3 can. Isagog. pag. 296 scribit: Porro hæ omnes Aera civitatum Ascalonitarum, Gazensium, Laodicensium, &c. sunt ἀπὸ τῆς αὐτονομίας αὐτῶν, quod crebro occurrit in nummis, Sed ille digitum ad fontes tantum intendit; siquidem, Aera statim in Sidoniorum nummo proferens, ait: caput illorum annorum deprehendi nequit. Quarundam sane urbium Epochas eximia vir doctrina idemque magnus Nummorum interpres, Ezechiël Spanbemiùs Dissert. IX a pag. 866 proponit, ut salivam tantum moveat, ac palatum excitet. Harduinus in laudato volumine, plurium civitatum Epochas recenset & in præfatione operis gloriatur ab se Aeras variarum gentium proprias, quæ

- Chronologicæ artis magistros fugerant, designatas. At virum alias eruditum Φιλαυτία decepit. Nam properante ad Nummariam geographiam illustrandam stylo, ac non quidem ingenio aut doctrina, sed locupletiori numismatum subsidio destitutus, easdem Epochas erroneis characteribus designavit, nec parem in nummaria Chronologia atque in Geographia laudem tulit. Ipse non ex iis tantum nummis, quos in Medicea Gaza inspexi; verum, etiam

P R Æ F A T I O.

etiam ex quibusdam aliis, quos ichtbyocolla expressos, ex Christianissimi præsertim REGIS Cimeliarchio accepi, plurimas Syromacedonum Epochas intellexi. Easdem laudat Imperator Justinianus in Novella 47, qua jussit, ut publica monumenta priorem notam temporis ab annis imperii Augustorum ferrent. Est insigne testimonium in hac verba conceptum: Si qua vero apud Orientis habitatores, aut alios homines observatio custodiatur in civitatum temporibus, nec huic invidemus; sed præscribatur quidem imperium; sequatur vero (sicut dictum est) Consul & Indictio, atque mensis & dies secundum quem geruntur & conscribuntur, quæ aguntur; & tunc inferatur etiam CIVITATIS omnibus modis ANNVS. Justinianus Orientis habitatores peculiariter appellat, quod eadem gentes diversas suarum quæque urbium Epochas ad tempora rerum gestarum indicanda adhibebant, quas in nummis pariter obsignabant. Auctor est Eusebius in Chronico, baresim Manicheorum erupisse anno secundo imperii Probi, addens: juxta Antiochenos trecentesimus vicesimus quintus annus fuit; juxta Tyrios quadringentesimus secundus; juxta Laodicenos trecentesimus vicesimus quartus; juxta Edeffenos quingentesimus octogesimus octavus; juxta Ascalonitas trecentesimus octogesimus. Hasce plane Epochas aliasque longe plurimas nummorum hæc in volumine expono, quod in arcto & angusto est, quippe quod in chronologico, id est, arido ac sicco argumento versatur, ex quo tamen plurimum lucis ad sacram & profanam historiam illustrandam fœneramur. Baronius tom. 1. Annalium ad A. Christi 280, Messalla & Gra-

PRÆFATIO.

Grato Consulibus alterum imperii Probi annum inchoatum tradit, quo pariter initium hareseos Manicheorum recenset. Ibi vero notat recitatos ab Eusebio plurimum civitatum Syria annos, variatis numeris, apud alios legi, de quibus tamen ait haud necessarium esse disputare, quod nihil ad Ecclesiasticam ab annis Christi deductam chronologiam pertineat, quæ in diversis civitatibus, diversis ex causis, sunt annorum supputationes a majoribus introductæ. Imo illæ supputationes Ecclesiasticam chronologiam quam maxime illustrant. Petavius, qui de doctrina temporum nullo unquam tempore interitura volumina mole æque ac eruditione grandiora conscripsit, libro XI caput 27 bisce exorditur: Probi Imperatoris tempus chronologiæ Christianæ cardinem ac velut umbilicum continet. Enimvero in hoc opere ex nummis Antiochenorum ostendo, eorundem Epocham cœpisse ab autumno A.V. Romæ 705, unde annus Antiochenorum CCCXXV Eusebio memoratus exiit per autumnum A.V. Romæ 1030, Æra Christi 277, Imperatore Probo II & M. Aurelio Paulino Consulibus, quo idem Probus alterum imperii annum auspiciatus est. Ita ex laudata Epochæ, in Antiochenorum nummis obsignata, triennii metachronismus in Baronianis Annalibus intelligitur. Rursus idem Eusebius inferius scribit: Anno XIX Diocletiani, mense Martio, in diebus Paschæ, Ecclesiæ subversæ sunt; juxta Antiochenos anno CCCLI. Baronius initium persecutionis Diocletiani recitat anno Christi 302, quod ipsum postea docuit Petavius lib. 11 cap. 32. At Scaliger lib. 5. de emend. Temp. pag. 469 ait: Beavit igitur nos Eusebius, qui annum XIX

†††

impe-

P R Æ F A T I O.

imperii Diocletiani cum 350 Juliano comparat, hoc est, quo a Kalendis Octobribus Antiocheni annum 351 putare cœperunt. *Horum tamen insignium virorum anachronismos ex iisdem Antiochenorum nummis emendamus. Nam cum Æra Antiochenorum cœperit sub autumnum A. V. Romæ 705, annus ejusdem CCCLI, mense Martio, decurrebat A. V. Romæ a parilibus 1056, Æra Christiana 303, Imperatoribus Diocletiano VIII, Maximiano VII Coss. uti diserte etiam, qui persecutioni interfuit, Lactantius testatur, cujus verba pag. 143 mihi hic recitantur. Baronius ac Petavius unius anni prochronismo Diocletianea persecutionis initia prævertunt. Scaliger biennii metachronismo eandem præcipitat, nec recte Epochæ Antiochenorum exordium deducit. Nam annus primus Julianus cœpit Kal. Januariis A. V. Romæ a parilibus 709, qui erat quartus Antiochenorum ab Octobri decurrens; ac proinde annus Julianus 350 fuit urbis Romæ 1058, Christi 305, qui a Kalendis Octobribus putari cœpit annus Antiochenorum 354, qui Scaligero 351 perperam numeratur. Idem tamen ductis diligentius calculis, in notis ad Eusebium num. 2319 ait: Annus Antiochenus 351 hic appositus designat tempus horrendæ hujus persecutionis. Erat enim Christi Dionysianus CCCIII. Quanti vero intersit, initium ejus persecutionis recte designare, inde colligitur, quod Eusebius id temporis gesta Martyrum ordinatim singulis quibusque annis describit, quæ tamen omnia in Baronianis Annalibus uno anno anticipata leguntur. Scriptores tum Catholici, tum etiam Heterodoxi, videlicet Baronius in Apparatu a num. 85, Casaubonus Exercit. 1,*

P R Æ F A T I O.

*tat. 1, Montacutius in Apparatu IV ad Origines Eccles. ac denique Petavius lib. XI cap. 11 de Praesidibus Syriae ac tempore eorundem regiminis fuisse disputant, ut Christi Domini Natalem, tempus regni Herodis, ac pleraque alia ad Ecclesiasticam historiam & Hebraeorum Annales pertinentia, accuratius exponant, quorum & ipse studia, longolice intervallo, amulatus, in Cenotaphiis Pisanis prolixius in eodem argumento versatus sum. At ex nummis, quos eorundem Praesidum Syriae nominibus simulque annis Epochæ Antiochenorum obsignatos postea inspexi, admissos tum memoratis Scriptoribus, tum etiam mihi anachronismos dispungere coactus sum. Extat in Cimeliis Mediceis nummus cum epigraphæ: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΤΥΡΙΩΝ. Ἄ. ΝΡ. Regis Antiochi. Tyrionum. Anno CXLVII. Est nummus Antiochi Epiphanis cum anno Epochæ Seleucidarum, quæ Græcorum in sacris literis appellatur. Et lib. I Machabeorum cap. 3 de eodem Antiocho legitur: Et exivit ab Antiochia civitate, regni sui, anno centesimo & quadragesimo septimo &c. qui plane annus in laudato nummo obsignatur. Rursus ex alio nummo Mediceo Hadriani Imperatoris a Tripolitis percusso, atque Æræ Seleucidarum notato, pag. 62 ostendo Æræ istam cœpisse ab autumno A. V. Romæ 442, unde anni ejusdem toties in utroque Machabeorum libro appellati optime intelliguntur; quamvis eosdem Auctor libri prioris ab anno sacro Hebraeorum, cum Neomenia Nisan ineunte, auspiciatur. Cum vero postea Tyrîi specialem Epocham instituis-
 sent, eadem in pluribus Mediceis Tyrîorum nummis occurrit, & a laudato superius Eusebio memoratur, ac insuper in duplici conventu Ecclesiastico apud Tyrum celebrato recitatur, in cujus alterius anno designando viri summi Baronius, Petavius, ac Lupus aberrarunt. Nolo hic omittere insignis nummi notitiam, quam cum hanc ipsam Praefationem exararem, hausi ex literis eruditissimi amici mei Antonii Pagy. Nam scribit se vidisse in Cimeliis Domini Rigordi, patricii Masiliensis, numisma Herodis cum antica epigraphæ: ΗΡΩΔΗΣ ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, & circa palmam Λ. ΜΓ. nempe: Herodes Tetrarcha. Anno XLIII. Et in postica legitur: ΓΑΙΟ ΚΑΙΣΑΡΙ ΓΕΡ. Cajo Casari Germanico. Est nummus Herodis Antipa, qui Luca III dicitur Tetrarcha Galilææ, quam*

P R Æ F A T I O.

tetrarchiam post Herodis Ascalonite patris obitum ab Augusto accepit. Baronius anno Christi VIII num. 19 recitat initium tetrarchia ejusdem Herodis, quem postea anno Christi 40 num. 15 narrat a Caio Casare Lugdunum in exilium missum; unde juxta Baronium idem annis tantum duobus ac triginta Galilee principatum possedit; cum tamen in laudato nummo annus XLIII tetrarchia Herodis obsignetur. Jam vero ex hoc, modo spurius non sit, pretioso nummo facile colligemus annum obitus Herodis Magni, aliumque, qui precesse, Natalis Christi Domini, qua hoc loco satis sit indicasse. At non sacra & Ecclesiastica tantum, verum etiam profana Historia ex annis Principum ac Urbium in nummis obsignatis mirifice illustratur, cum ex iisdem tempus imperii plurimum Caesarum demonstraretur, certus annorum in Fastis Consularibus ordo colligatur, donata plerisque vetustissimis Syria urbibus libertatis exordia indicentur, nota etiam quorundam numerorum apud Græcos sive Syromacedones exponantur, quorum nusquam alibi vestigium occurrit. Sed ne, canonarum more, bederam huic volumini praevidere videar, hoc uno precipue non inanem operam me posuisse puto, quod scalptas in nummis literas expono, quas viri eruditi eas ipsas numerales Epocharum notas ignorantes, ac pro compendiaris accipientes, sinistris prorsus interpretationibus explicarunt, vel earundem significationem non assequentes, ne muti viderentur, illasmet prorsus omiserunt. Ne vero sicca rerum Chronologicarum, disquisitio continuam Lectoribus molestiam ingerat, ad amœniora, quandoque diverticula deflecto, urbium Syria exordia, variosque casus recitans, unaque etiam earundem tutelaria Numina ac diversa symbola, qua cum ipsarum Epochis in nummis exprimuntur, describo, quo integra ipsorummet numismatum notitia babeatur.

DIS-

5


1 palm Roman: 4 1/4

Literæ Sunt m'4

[illegible]

profi-

DIS-



DISSERTATIO PRIMA DE ANNO AC MENSIBUS MACEDONUM.

CAPUT I.

Asia a Macedonibus subacta, annum eorundem eademque mensium nomina admisit. Error Scaligeri ac Petiti de primo mense anni Macedonum. Initio menses apud eosdem Lunares erant, omnesque tricenarii. Ufferii sententia de veteri anno Solari Macedonum expenditur.



Macedonas incertis olim sedibus errantes, inopes, ac passim sub pellibus gregem pascentes, Philippus rex urbes incolere iussos; optimis legibus ac institutis instruxit, ut eisdem in libro septimo apud Arrianum, Alexander Philippi filius exprobravit. Hinc sub prioribus regibus res illorum obscuræ ac vix finitimis notæ: quarum exoletam penè memoriam Diodorus Siculus ad posteros breviori narratione transmisit. Verum ubi Alexander selectis ex Macedonia ac Græcia copiis, transmissio Hellesponto, Darii Persarum regis exercitibus uno & altero prælio profli-

profligatis, Asiam pari celeritate ac felicitate subegit, gens Macedonum in ore famæ, ceterisque populis formidabilis esse, cœpit. At Alexandro Magno in maximarum rerum conatu, improvise morbo è vivis erepto, præcipui ejusdem Duces, amplissimi post hominum memoriam imperii provinciis secum invicem divisæ, nova per Asiam regna condiderunt; cumque in recens abs se extructas, vel instauratas urbes, Macedones milites colonos deduxissent, suæ quoque gentis instituta Asiæ populis induxerunt. Hinc factum est, ut Asiatici Macedonum anni formam ejusdemque mensium nomina admitterent. Ita Judæi rituum suorum alias tenacissimi, à Chaldæis in captivitatem abducti, avitis mensium nominibus antiquatis, victorum mensibus uti cœperunt, ut menses qui antea Ziu, Bul, ac Aethanim ex 3. Reg. cap. 6. & 8 dicebantur, Iiar, Tisri, & Marchesuan Chaldaicis nominibus nuncuparentur. Romani quoque cum militum colonias sub Cæsaribus toto passim Orbe deduxissent, anni Juliani formam victis abs se gentibus passim imposuerunt. Annus Macedonum, uti apud Ægyptios, Græcos, Romanos, aliosque populos, in duodecim menses dividebatur, licet non ab eadem anni tempestate initium apud eosdem sumeret; siquidem Romani à Solstitio brumali, Attici ab æstivo annum auspicabantur. At Macedones ab autumnali Æquinoctio annum inchoabant. Ordo autem ac nomina mensium anni Macedonici hæc fuerunt.

Autumnales.

- I. *Dius*
- II. *Apellæus*
- III. *Audynæus*
- Hiberni.
- IV. *Peritius*
- V. *Dysirus*
- VI. *Xanthicus*

Verni.

- VII. *Artemisius*
- VIII. *Desius*
- IX. *Panemus*
- Æstivi.
- X. *Lous*
- XI. *Gorpieus*
- XII. *Hyperberetæus*.

Scaliger lib. 5. de emendat. Temp. p. 333. ait certum esse in mensibus Macedonicis *semper principem fuisse Hyperberetæum;* quod

quod pariter tradit Petitus in Eclogis Chronologicis lib. 4. cap. 14. Errant. Nam constat veteres Macedones annum à mense Dio inchoasse, ac Hyperberetæum postremum ejusdem anni mensem fuisse. Zenobius in proverbii Cent. 6. num. 30. ait: *Quippe Macedonibus Hyperberetæus ultimus anni mensis est.* Suidas etiam Voc. *Hyperberetæus*, scribit: *Proverbio Hyperberetæus dicitur de cunctatoribus; apud Macedones enim ultimus anni mensis Hyperberetæus descriptus est.* Asiaticos proconsulares annum Macedonum à mense Dio deduxisse, locupletissimis Galeni testimoniis inferius demonstrabitur.

Initio apud quasque nationes anni erant Lunares, ex puris mensibus Lunaribus collecti. Nam cum motus Lunæ, & jusque in lucendo ordinata varietas, hominibus notior esset, ab uno ad alterum ejusdem coitum cum Sole mensium spacia metiebantur. Ita & anni Lunares eisdem erant; *omnibus tamen*, uti scribit Censorinus cap. 20. de die Natali, *fuit propositum, suos civiles annos, variè interkalandis mensibus, ad unum verum illum naturalemque corrigere, nempe ad annum Solarem.* Utrumque enim sidus labentem annum cœlo deducit, cum à Deo condita fuerint *in signa & tempora, & dies & annos*, Genneseos cap. 1. Quare nulla natio fuit, quæ tametsi ad alterutrum annum circulum mensium intervalla dirigeret, non utriusque pariter rationem habendam esse censuerit. Græci ac Romani Lunares primum annos servarunt; & hi quidem anno demum ab Vrbe condita DCCVIII. annum Solarem receperunt, cum Julius Cæsar Dictator idemque Pontifex Maximus luxata anni tempora emendavit. Nullus dubito, quin ipsi quoque Macedones annos juxta Lunæ motus collegerint, eumque dierum ordinem in mensibus servaverint, quem finitimi Græciæ populi vulgò usurpabant. Et quidem Græci menses omnes tricenarios antiquitus habuere, uti veterum monumenta testantur, quæ dudum eruditi prænotarunt. Aristoteles lib. 6. Hist. Animal. cap. 20 scribit: *Sunt quæ parte quinta anni uterum ferant, hoc est, duobus & septuaginta diebus.*

A 2

Et

Etrursus: *Gerunt vero Laconica utrum parte sextæ anni, hoc est, diebus sexaginta.* Si dies 72 sunt quinta pars anni, ac dies 60 pars sexta, annus apud Græcos id temporis erat dierum trecentorum ac sexaginta, ac proinde singuli illius menses erant tricenarii. Et lib. 2. cap. 17. de serpentibus scribit: *Cossas totidem habent, quot dies mensem integrum complent; triginta enim habent.* Plinius lib. 34. cap. 6 ait: *Nullique arbitror plures flatus dicatas, quam Phalereo Demetrio Athenis, siquidem CCCLX statuerè, quas mox laceraverunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente.* Laertius lib. 5. ex Demetrio Magnifico tradit, Demetrium Phalereum cœpisse Atticam Rempublicam administrare eo tempore, quo Harpalus Alexandri Magni iræ se subducens, Athenas venit. Eundem Phalereum Athenis præfectum anno primo Olympiadis CXVII. auctor est Diodorus Siculus lib. 19. Ex his colligimus, regnante Alexandro ac proximis successoribus ex ejusdem exercitu regibus, annum apud Græcos habuisse dies CCCLX. ac omnes ejus menses fuisse tricenarios. Hinc cum Demetrius, regis Antigoni filius ac socer Seleuci regis, anno tertio Olympiadis CXVIII. ante Aeram Christi 306. Athenas, expulso Demetrio Phalereo, occupasset, Athenienses eidem assentantes, diem trigessimam mensis *Demetriadi* nuncuparunt, teste Harpocrate in Lexico, ac Scholiaste Aristophanis in Nubibus. Et sane Græci diutius eam anni Lunaris formam tenuerunt; quamvis passim in Romano Orbe anni Juliani Solaris methodus prævaluisset. Langius lib. 1. de annis Christi cap. 12. unam & alteram Inscriptionem producit, ut demonstrat annos Lunares ex 360 diebus a Græcis servatos. Extant apud Gruterum p. 1087. in quarum una dicitur Nominus Victor cum Aurelio Victore, *Datiano & Cereale Coss.* tradidisse LEONTICA XVI. KAL. APRIL. & in altera memorantur iidem *Eusebio & Hypatio Coss.* & iterum tradidisse LEONTICA IV. IDUS MARTIAS. Erant sacra anniversaria, quæ anno evoluta ab iisdem instaurata fuerunt. Priora peracta sunt anno Christi 358. die 17. Martii; altera anno 359. die ejusdem men-

mensis 12. jam evolutis diebus a prioribus Leonticis 360. nempe anno integro Lunari. Hinc S. Augustinus lib. 15. de civit. Dei cap. 12. ait: *Sexies autem seni, qui numerus quadratum senarium facit, triginta sex dies fiunt, qui multiplicati decies, ad trecentos sexaginta perveniunt, id est, duodecim menses Lunares.* Et in lib. 4. de Trinit. cap. 4. *Annus etiam, inquit, unus, si duodecim menses integri considerentur, quos triceni dies complent, talem quippe mensem veteres observaverunt, quem circuitus Lunaris ostendit, senario numero pollet.* Et statim: *Sexagenarius ergo numerus dierum sexta pars anni est.* At plane non est sexta pars nisi anni Lunaris ex 360 diebus conflati. Hinc vanus est Allatius contendens cap. 14. de mensura temporum, menses quidem fuisse Lunares, annum verò ex eisdem compositum fuisse Solarem. Annus enim Solaris diebus quinque ac ferè quadrante eum Lunarem superat. Et quamvis annus Lunaris juxta Lunæ motus dies 354. & horas 8. 48. 38. &c. non excedat, apud Græcos tamen civili ac populari usu censebatur dierum 360. quod quolibet ejus menses pari dierum 30. numero decurrere existimabant. Quid quod post tot periodos ac Cyclos inventos, plerique adhuc obstinatius in eadem opinione perseverarunt, tot licet Astronomicis demonstrationibus protrita. Diohysius Exiguus qui initio sexti Christiani sæculi floruit, in epistola ad Petronium Episcopum ait: *Sed nec hoc praterendum esse putavimus, quod nimis errant, qui Lunam peragere cursum sui Circuli triginta dierum spaciis astimantes, duodecim Lunares menses in trecentis sexaginta diebus annumerant &c.* Quamvis annus ex 360 diebus medius esset inter verum Lunarem ac Solarem, populari tamen ac vetustissima consuetudine pro Lunari accipiebatur, quem tamen varii varia dierum intercalatione ad Solarem redigebant.

Ex his quæ de veteri ac populari anno Græcorum vulgo prænotata sunt, anni quoque Macedonum vetusti methodus mihi colligitur, quam mox etiam non uno testimonio comprobabo. Usserius cap. 1. de anno Solari Macedonum & Asia-

norum, scribit Macedones inter annum secundum Olympiadis
 CVIII. ac itidem secundum Olympiadis CXI. quo Alexander
 ad Granicum Persas devicit, Lunares suos menses in Solares
 commutasse, ita ut annum ex 365 diebus ac quadrante admi-
 serint. Mensium verò Macedonum quosdam tricenarios,
 quosdam unius & triginta dierum proponit in diagrammate
 cap. 4. Idem etiam tom. 1. Annal. ad annum ante Christum,
 322. diem quintum mensis Dii cum Septembris vicesimo octa-
 vo componit; & anno sequenti diem 18 Dæsii Macedonici
 cum 12 Maji comparat. Hæc tamen dierum in mensibus Ma-
 cedonum dispositio trecentis ferè annis ab obitu Alexandri à
 Macedonibus Asiam Proconsularem incolentibus post rece-
 ptam anni Juliani formam, investa fuit; cum antiquitus ap-
 ud eosdem singuli quique menses fuerint tricenarii. Dio-
 dorus Siculus lib. 18 recitat edictum Polysperchontis insignis
 sub Alexandro Magno Ducis, quo nomine regio Græcis liber-
 tas donatur, ac exules, quibusdam tantum exceptis, etiam ii
 qui jussu Alexandri paucos ante annos demortui, in exilium
 deportati fuerant, suis in urbibus recipi jubentur *πρὸ τῆς τρι-
 αχάδου τῆς Ξανθικῆς μηνός*: *ante diem trigesium Xanthici mensis*.
 Præterea in lib. 2. Maccabæotum cap. 11. recitantur literæ An-
 tiochi Eupatoris ad Judæos datæ, in quibus hæc leguntur: *His
 igitur qui commeant μέχρι τριαχάδου Ξανθικῆς, usque ad diem tri-
 gesimum Xanthici mensis, damus dexteram securitatis*. Hinc pa-
 tet Xanthicum tum anno ante Christum 317. quo exules Græ-
 corum revocati fuerunt: tum anno ante eandem Aera 163.
 quo Antiochi Eupatoris literæ scriptæ sunt, fuisse mensem ex
 triginta tantum diebus conflatum; cum tamen ab Usserio die-
 rum XXXI in diagrammate describatur. Etenim postrema
 dies Xanthici pro termino & Græcis ab exilio revocandis, ac
 Judæis tutò Antiochiam redeundi, decreta fuit; cur enim utro-
 bique dies penultimus Xanthici constitutus fuisset? Eume-
 nes Cardianus & Diodorus Erythræus diaria Alexandri Magni
 juxta dies mensium anni Macedonum concinnarunt, quæ si
 su-

supereffent, vetustam anni Macedonum formam extra omne dubium ponerent. Plutarchus tamen in fine lib. de vita Alexandri Magni testatur se in ejus regis Diariis legisse illum febre correptum, in balneo dormivisse die decimo octavo mensis Dæsii, dein *viceſimo die*, post peractum sacrificium, audivisse Nearchum peractam abs se in Oceano navigationem exponentem; postea τῇ δεκάτῃ Φθινοῖ, *die viceſimo primo* ejusdem Dæsii *deſicientis* vehementiori calore vexatum; denique regnandi ac vivendi finem fecisse τῇ δὲ τριτῇ Φθινοῖ, *die viceſimo octavo* ejusdem pariter Dæsii. Dies mensis viceſimus à Græcis ἐνάς vel ἐνοστή dicebatur. At dies viceſimus primus, si mensis ille erat plenus, id est, dierum triginta, dicebatur δεκάτῃ Φθινοῖ, *decimus deſicientis*; sin verò mensis erat cavus sive dierum 29. tunc dies 21 vocabatur ἐνάτῃ Φθινοῖ, *nonus deſicientis*. Quare cum Alexander in laudato diario dicatur morbo sæviori vexatus *die decimo Dæsii deſicientis*, Dæsius Macedonum erat dierum triginta. Aristobolus, qui Alexandri expeditionibus interfuit, auctor est apud Plutarchum eundem regem τριακάδῃ ἡμέραις μὲν die *trigesimo Dæsii mensis* è vivis abiisse. Ita præter Xanthicum etiam Dæsius erat tricenarius. Præterea cum Alexandro Tyrum obsidenti septimus jam obsidii mensis clauderetur, ac Aristander ex fibris victimæ capiendam eo ipso mense urbem prædicens, à cunctis risu exciperetur, quòd jam ille ultimus erat mensis dies, Alexander, uti narrat in ejus vita Plutarchus, jussit eum diem non τριακάδῃ ἡμέραις *trigesimum diem*, sed τριτῇ Φθινοῖ, *viceſimum octavum deſicientis* nuncupari. At eo ipso die Tyrus expugnata fuit. Arrianus lib. 2. ait Tyrum captam fuisse Archonte Athenis Aniceto, mense Hecatombæone, anno primo Olympiadis CXII. ex Diodoro Siculo lib. 17. Usserius verò cap. 5. notat annum illum fuisse sextum Cycli Metonici, quo Neomenia Hecatombæonis in diem 20 Julii in anno Juliano proleptico incidit, qui dies erat trigessimus Loi Macedonici. Ita Usserio auctore, etiam Lous erat mensis tricenarius. Et sanè Plu-

Plutarchus scribit natum Alexandrum mense *Loo*, quem *Arbenienses Hecatombaonem* vocant. Nusquam apud historicos ullus Macedonum mensis unius & triginta dierum occurrit, sed quorum dies postremi appellantur, omnes triceni affirmantur; cum tamen Usserius Xanthicum dierum 31 prodiderit. Hinc etiam patet Scaligerum lib. 1. de emend. Temp. pag. 45. perperam putasse Macedones primum a regno Philippi Cyclo-Metonico usos, cui postea anno duodecimo a morte Alexandri Philippi filii, periodum Calippicam substituerint. Nam cum ostensum sit, Diem fuisse primum mensem anni Macedonum, hic in periodis laudatis fuisset plenus sive dierum 30. siquidem gentes omnes, quæ anno Lunari utebantur, Græci, Romani, Hebræi, Arabes, ceterique, primum mensem plenum adhibebant; secundum vero, aliosque pari in ordine numero collocatos, ex diebus 29. componebant; quod ipsum conditores variorum Cyclorum perpetua methodo observarunt. At ex laudatis testimoniis constat Xanthicum mensem sextum, Dæsum octavum, ac denique Loum decimum fuisse tricenarios, qui tamen cavi & dierum tantum 29 fuissent, si Macedones Metonis aut Calippi periodos adhibuissent. Hæc antiquior mensium in anno Lunari Macedonum forma fuit, quam tamen tum Asiatici tum etiam Syromacedones mutarunt, eum Solaris anni methodum receperunt, ut proxime expono.

CAPUT II.

In Asia ultra Euphratem menses Macedonum usurpati. Eorundem colonie in Asia minori iisdem mensibus usa. Menses juxta numerum quem in anno servabant, ibidem frequenter expressi. Asiatici Proconsulares anni cardines, a Julio Casare præscriptos, admiserunt. Annum ab autumnio die 24 Septembris inibant. Quinam menses eorundem tricenarii: quinam dierum XXXI. Diagramma Anni Asianorum. In exitu anni Bissextilis intercalabant, cum Egyptii ante initium ejusdem, diem adderent. Alexandri Monachi in encomio D. Barnabæ dicta expenduntur.

Num

Nam Smyrnenſes annum a meſe Dio cum ceteris Aſiaticis mirent. Menſis Tertius in epitaphio Smyrnenſi, itemque dies paſſionis S. Polycarpi, ac Pionii apud Smyrnam Martyrum exponuntur. Menſes Poſideon ac Lenaon apud Iones Ariſtidi laudati, ſuſius explicantur, ac Interpretis errores corriguntur.

MOrtuo apud Babylonem Alexandro Magno, ut initio lib. I Maccabæorum legitur, *obtinuerunt pueri ejus regnum, unusquisque in loco ſuo: & impoſuerunt omnes ſibi diademata.* Priorem totius Aſiæ, qua ab Hellesponto ad Indos uſque protenditur, diſiſionem, ſingulosque provinciis impoſitos rectores: tum alteram extincto poſt biennium Perdicca, eorundem regnorum ſive ſatrapiarum diſtributionem recensent Dio-dorus Siculus lib. 18. Arrianus apud Photium Cod. XCII. Dexippus Cod. LXXXI. ibidem, Juſtinus lib. 13. Curtius lib. 10. Cum vero de mortui Alexandri duces cum decretis ſibi Macedonum copiis, in adſignatas provincias proſecti eſſent, Macedonum colonias tota paſſim Aſia conſtituerunt. Hinc factum eſt, ut Aſiatici una cum legibus, anni Macedonici formam ac nomina menſium eorundem acceperint. Chaldaeos ac Babylonios, quorum regimen Seleuco obigit, menſes Macedonum uſurpaſſe prodit Ptolemæus lib. 9. magnæ Syntaxeos cap. 7. recitans obſervationem Aſtronicam ex Chaldaeorum libris *anno LXXV. Chaldaeorum, Diis menſis XIV. & ruruſus alteram anno LXVII. juxta Chaldaeos, Apellai menſis die V.* Et lib. II. cap. 7. tertiam obſervationem memorat *anno LXXXII. juxta Chaldaeos, Xanthici menſis die V.* Seleucus priuſquam Syriam totamque cis & ultra Taurum Aſiam Antigono cum vita eriperet, Medos, Parthos, Baſtrianos aliasque ad Indum uſque fluvium gentes imperio ſuo adjecit, ac deductis in deviætarum gentium oppida militum coloniis, Macedonici anni formam iisdem præſcripſit. Parthi anno poſtea trigefimo primo a morte Seleuci, qui fuit Urbis Romæ 498. C. Atilio Regulo, L. Manlio Vulſone Coſſ. teſte Trogo apud Juſtinum lib. 41. duce Arſace a Macedonibus defecerunt; eosdem tamen recepta ſemel nomina menſium Macedonum retinuiffe colligimus ex in-

signi nummo apud Tristatum tom. 1. pag. 83. & ex altero ejus typum, ab eruditissimo amico nostro Joanne Vaillantio acceptum, hic appendo.



In antica parte nummi visitur imago Arfacis cum diademate capillati, ac barbati, uti apud Tristatum delineatur. In postica legitur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ ΒΗΦΑΝΟΥΣ ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ. ΓΟΡΔΙΑΝΟΥ. *Regis Regum Arfacis Benefici, Illustris, Amici Græcorum, Justis.* Hæc gemini nummi typum exhibet Illustrissimus Spanhemius Dissert. 5. pag. 426. cum altero fere similis epigraphes ex Museo Mediceo. In neutro tamen legitur ΓΟΡΔΙΑΝΟΥ, *Gordiano*, qui mensis erat tunc penultimus anni Macedonum. Tristatus satis probabiliter opinatur Gordianum in nummis obsignatum fuisse, quod eo mense Arfaces Parthorum regnum accepit; illum vero putat Arfacem qui a Macedonibus deficiens, Parthici in Oriente imperii auctor fuit. Ipse tamen arbitor quempiam potius memorati Arfacis successorum ibidem indicari illo titulo *Amici Græcorum*, quo nomine Macedones vepiunt. Nam primus Arfacidum Macedones rerum in Asia ultra Euphratem ac Tigrim potientes, persecutus, eosdem in Parthorum potestatem redegit, ut plane non amicus Græcorum, sed eorundem infestissimus hostis appellandus esse videatur. Si cui tamen Tristani opinio probetur, is facile reponet Arfacem hostem quidem fuisse Seleucidarum regum Syria, quibus plurimas ultra Euphratem provincias eripuit; eundem tamen, cum clementiam atque mansuetudinem in primis coleret, ut ait Diodorus Siculus in excerptis Valesii pag.

pag. 359. *modeste victoria usum, Macedonum colonias veteri eandem jure sancito, in fidem ac tutelam recepisse. Ita Pompejus cum Syriam in potestatem populi Romani rede-gisset, plurimas ejusdem urbes liberas esse iussit, nempe ut sub Romanis Proconsulibus suis met magistratibus ac legibus regerentur. Se-leucia ad Tigrim maxima in regno Parthorum urbs, dicitur Plinio lib. 6. cap. 26 libera hodie & sui juris, Macedonumque moris; Tacito vero lib. 6. Ann. civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus aut sapientia dilecti ut Senatus, sua populo via, & quoties concordēs agunt, spernitur Partibus.* Et fortassis illi nummi apud eandem Seleuciam sculpi sunt; cujus cives uti mores, ita etiam annum ac nomina mensium Macedonica retinebant. Eosdem quoque menses in Syriacis provinciis per plura sæcula in usu fuisse capite proximo demonstrabo.

Asia quæ minor dicitur, post mortem Alexandri, in varias Satrapias divisa, Macedones passim colonos recepit. Hinc Plinio lib. 5. cap. 29 nominantur *Macedones Cadueni, Macedones Hyrcani, ac Mysomacedones;* & cap. 30. *Pæmaneni Macedones.* Exstat in Cimehiis Mediceis parvus nummus inscriptus: ΚΑΤΑΙΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ, *Claudius Caesar;* & in postica cum figura galeata ac barbata, baculum tenente: ΕΠΙ ΜΕΛΙΤΩΝΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ. ΚΑΔΟΗΝΩΝ, *sub Melitone Asclepiade. Cadobenorum.* Erat hæc urbs in Mysia. Jacobus Sponius part. 1. Itinerarii post pag. 446. edit. Amstelod. nummi typum exhibet, in cujus antica visitur caput turritum, & in postica cum Fortuna temonem ac cornu copiæ tenente, legitur: ΤΥΚΑΝΩΝ, *Hyrcanorum.* Erat urbs Lydia, ut erudite post doctissimos Holstenium ac Cuperum, V. C. Harduinus pag. 523. voluminis mihi hoc in opere sapius appellandi, ex Plinio ac Tacito ostendit; & huic quidem inter cives duodecim urbium Asiæ proconsularis ingenti terræ motu vexatōs, lib. 2. Ann. recitantur *Macedones Hyrcani.* In Synodo Constantinopolitana S. Flaviani legitur subscriptus Joannes Episcopus πύλεως Τυκανῶν, *urbis Hyrcanorum.* In Synodo VII Oecumenica inter Episcopos Lydiae legitur Eustathius Τυκανῆς, *Hyrcanes.*

canes. Denique Permeanum erat in Mysia. Aristides serm. 4. sacr. sub initium nominat Περμαῖον χάρις τῆς Μυαίας, *Permeanum agrum in Mysia.* Exstat in Museo Mediceo hic rarissimus nummus primæ, uti vocant, magnitudinis.



Anticæ partis Inscriptio Latine vertitur: *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus.* Posticæ vero cum Dea Cybele: *Macedonum Docimensium.* Diodorus Siculus lib. 19 de Lysimacho, Synnada in Phrygia obsidente, scribit: *Docimum Antigoni præfectum suas in partes induxit.* Hic Docimus milites Macedones in urbem abs se conditam, sive instauratam, colonos deducens, eandem de suo nomine *Docimum* nuncupavit, cujus in Phrygia oppidi Ptolemæus ac Stephanus meminere. Strabo lib. 12 *Docimiam* vocat, eamque prope Synnada locat. In lib. 9. Cod. Theod. *L. 9. & 11. de indulgent. debet.* metalli *Docimæni* mentio occurrit. In Latinis subscriptionibus Synodi Ephesinæ recensetur Eustathius Episcopus *Docimii provincie Phrygiæ Salutaris.* Eustochius Δοκιμίου *Docimii* Episcopus in pseudo-Synodo Ephesina, ac Oecumenica, postea Calchedonenli nominatur. Et hæc quidem urbes in Asia minori Macedonum cognomen ob majorum memoriam sibi adsciverunt. Cum Seleucus Nicator post necem Antigoni, Asiam usque ad Hellespontum occupasset, plurimas in singulis ejusdem provinciis urbes condidit, in quas suos milites colonos deduxit. Nam in Phrygia Laodiceam; in Lydia Antiochiam ad Mæandrum; in Pisidia alteram Antiochiam, Apameam, ac Seleuciam; in Isauria Seleuciam ad Calycadnum, & Antiochiam ad Tra-

Tragum, aliasque urbes condidit. Stratonicea in Lydia, & altera in Caria a Stratonice ejusdem Seleuci, ac postea Antiochi Sororis ejusdem filii uxore nomen sortita sunt; ac Stratonicea in Caria *Macedonum colonia* dicitur Straboni lib. 14. pag. 454. Porro Asia minor ab Alexandri Magni contra Persas expeditione per annos CXLIV sub imperio Macedonum fuit, quousque Antiochus III cognomine Magnus, Syriz rex, anno Urbis Romae 564 circa Magnesium ad Sipylum victus, Asiam ultra Taurum amisit.

Atharici in Macedonum potestatem redacti, ac conditis tota passim Asia Macedonum militum coloniis, victorum mores ac instituta sequuti, annum ac nomina mensium Macedonicorum admiserunt. Et illi quidem annum ab autumno, uti Macedones, auspicabantur. Simplicius in comment. ad lib. 5. Physicorum Aristotelis, ait: *Qua vero a nobis statuuntur initia, anni quidem circa Solstitium aërium apud Athenienses; vel circa Aequinoctium autumnale, velut in Asia modo sic dicta; vel circa brumam, quod Romanis; vel denique inveniunt vere, quod Arabibus & Damascenis in usu est.* Itaque in Asia minori sive præconsulari annus ab autumno more Macedonum, initium capiebat, ejusque menses nominibus pariter Macedonicis appellabantur. Galenus lib. 4. de sanitate tuenda cap. 8. de abiete scribens, ait: *Est itaque ejus pulcherrimum semen circa Arcturi immersionem: quo tempore Romae quidem September mensis vocatus est; apud nos vero Pergami Hyperbeteaus, Athenis autem Mytheria.* Ita Pergami in Troade urbis plurimum Asiae regum usque ad Attalum Philometorem sedis, ac Galeni Medicorum principis natalibus illustis, nomina mensium Macedonica servabantur. Sponius in laudato Itinerario part. 1. pag. 398. prolixam Inscriptionem sepulchralem recitat Thyatiræ in Lydia abs se exscriptam, quæ dicitur posita:

ΕΝ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗ ΘΥΑΤΙΡΗΝΩΝ. ΠΟΛΕΙ
ΑΝΘΥΠΑΤΩΙ. ΚΑΤΙΛΛΙΩΙ. ΣΕΒΗΡΩΙ
ΜΗΝΟΣ. ΑΥΓΑΝΑΙΟΥ. ΤΡΙΣ. ΚΑΙ ΔΕΚΑΤΗ

Videlicet: *In clarissima Thyatirenorum urbe, Præconsule Catillia Severo, mensis Andaniae decima tertia.* L. Catilius Severus collega T. Aurelii Fulvi, qui postea Antoninus Pius nuncupatus,

Imperator fuit, consulatum gessit A. V. 873. eodemque tertio Imperii Flavianii, ac in Romana Inscriptione legitur Gruteri pag. 166. q. 18 quoniam etiam extat epistola Plinii XII libri primi, ac XII libri tertii. Ille vero post consulatum Asiam suo tempore sortitus, Proconsul administravit. Num sculptoris errore ΑΥΑΝΑΙΟΥ *Audnai* pro ΑΤΑΥΝΑΙΟΥ *Audynai*, ommissa litera T, legatur, vel juxta popularem fortassis pronunciationem mensis *Audynai* scriptus fuerit, haud vacat disputare. Straboni lib. 13. pag. 431 *Thyatira* Macedonum colonia laudatur. Hinc illa Macedonum menses adhibebat. Ecclesia Smyrnenfis in epistola de martyrio S. Polycarpi, quam mutilam apud Eusebium lib. 4. cap. 17. integram ex vetusto codice Ussorius publicavit, scribit eundem passum apud Smyrnam *μηνος καδμου δεσπερα ισαυτης, μηνος καδμου μηνος die secundo.* Ita Pergami, Thyatirae, ac Smyrnae, quae urbes in Asia erant celeberrimae, nomina mensium anni Macedonum usurpabantur. Quaedam tamen civitates Asiae vetusta mensium nomina retinebant. Nam inter marmora Oxoniensia extat inscriptio, in qua recitatur foedus inter Magnesios ac Smyrnaeos initum, ad maiestatem Seleuci Callinici regis Syriae & Asiae conservandam, quod dicitur ibidem sanctum ΜΗΝΟΣ ΑΗΝΑΙΩΝΟΣ: *Mense Lenaone.* Proxima etiam Asiae proconsulari Bithynia, ut mox ostendo, ac Cappadocia alia mensium nomina adhibebant; siquidem in Synodo V. Collat. 7. *mensis apud Cappadoces provinciali vocabulo Darchusa* nominatur, qui *Turbusia* dicitur Gyrardo pag. 108. de Annis & mens. ubi aliorum quoque mensium Cappadocum nomina recitat. At in Epist. 90. S. Gregorii Nazianzeni ad Theodorum, *αλοουα Darchusa* idem mensis appellatur. Rursus aliae in Asia urbes, quamvis nomina mensium Macedonia servabant, in eorundem tamen ordine disponendo, cum aliis neutiquam conveniebant. In vetusto fragmento Savilliani codicis apud Usserium cap. 4. de Anno Solari Asianorum, Romanorum Januarius a Lyciis *Dius*; ab Ephesiis vero *Peritius* vocatur, quem Bithynii *Dionysium*; Cyprii autem *Julium* nuncupabant. Hinc factum est, ut Asiaei ad hanc mensium, quorum erant diversa nomina, confusionem evitandam,

eos-

eodem penes numerum, quo in anno recensentur designarent; quod Hebræos quoque fecisse sacra præsertim Prophetarum volumina ostendunt. Itaque in Asia mensis *Primus*, *Secundus*, *Tertius* usque ad Duodecimum appellabantur. In epitaphio Smyrnenis apud Equitem Patinum legitur: ΜΗΝΟΣ ΤΡΙΤΟΥ, *Mense Tertio*. Aristides in Orat. 5. sacr. ait: *Pergamum, proficiscor eo die profesto qui Romanæ est anni principium*. Quod nempe in Asia ab alia tempestate annum auspicabantur; Dies erat Kalendarum Januarii, quæ Pergamæ cum nono die Peritii concurrebant. Idem vero Orat. 1. sacr. ait: *Mensis erat Posideon, bieme qualem vobis*. Ubi variis ejusdem Posideonis diebus enumeratis, ait: *Απαιώνος νεμεσία Λεωνίς die prima*. Hic non appellat menses Atticos, licet Posideonem nominet, qui sextus erat mensis in anno Atheniensium, apud quos Posideoni succedebat Gamelion; non autem Lenzon, qui ex laudato marmore erat mensis Magnetum ac quarundam aliarum urbium Asiæ proconsularis, quarum vetustiora mensium nomina Aristides ibidem usurpavit. Proclus in illa verba Hesiodi V. 499. *Μῆνα δὲ Ἀπραιώνη, mensem Lenaonem*; ait: *ἰωνες δὲ τὸν αὐτὸν ἄλλως, ἄλλῃ Ἀπραιώνη καλεῖσθαι; Iones autem hunc non aliter, quam Lenaonem vocant*. Verum de utroque mense Posideone ac Lenzone, prout illis Iones utebatur, prolixius postea hic disputabo. Rursus idem Aristides Orat. 2. sacr. ait: *Præterea cum aliquando lacte opus esset ex Dei mandato, nec reperiri posset; erat enim τετρας ἐν δέκα τῷ δευτέρῳ μηνί, ὡς νομίζομεν ἐν ταύτῃ, dies decima quarta mensis secundi, ut nos hic appellamus*. Ubi ille in priori testimonio Posideonem & Lenzonem, propriis apud Iones nominibus designavit, hic mensem *Secundum* communem apud Asiaticos vocabulo appellavit. Hujus vero dies XIV. cum sexto Novembris concurrebat, quo tempore cum rari sint ovium partus, lac non tam facile in promptu erat; quod tamen ait in proximo Rufi prædio se reperisse, cum proxima nocte ovis ibidem peperisset.

Postquam Julius Cæsar annum Solarem apud Romanos indixit, vulgata opinione quatuor anni cardines in octavis partibus signorum fixi sunt. Plinius lib. 2. cap. 19. ait: *Sol autem ipse*
qua-

quatuor differentias habet, bis æquata nocte dici, vere & autumnale, & in centrum incidens terra octavis in partibus Arietis & Libra; bis permutatis spaciis in auctum diei: bruma, octava in parte Capricorni; noctis vero solstitio totidem partibus Cancrī. Eadem repetit lib. 18. cap. 25. ubi ait sequi se observationem Casaris, qui Soligenæ auctore, solis transitum in signa cardinalia octo ante Solstitia & Æquinoctia diebus fieri in anno Romano reformando, notaverat. Idem tradit Columella lib. 9. cap. 14. quod ipsum produnt vetusta Kalendaria in lapidibus scalpta, in quibus Gruteri pag. 138. legitur mense Martio: ÆQVINOCTIVM VIII. KAL. APR. & mense Junio: SOLSTITIVM VIII. KAL. JUL. Rurſus mense Septembri: ÆQVINOCT. VIII. KAL. OCT. Denique mense Decembri: TROPÆ CHIMERIN. Græcis hiſce vocibus conversiones brumales exprimuntur. Eadem tradit S. Anatolius in fine ſui canonis Paſchalis. Beda cap. 28. de ratione Temporum ſcribit: *De Æquinoctiis, quod VIII. Kal. Aprilis, & VIII. Kal. Octobrium; & de Solſitiis quod VIII. Kal. Juliarum, & VIII. Kal. Januariarum die ſint notanda, multorum laſe & ſapientium ſæculi & Chriſtianorum ſententia claret.* Communis ea quidem, ſed falſa erat opinio. Nam Hipparchus teſte Ptolemæo lib. 3. Syntaxeos cap. 2. anno 32. tertiz periodi Calippicz obſervavit Æquinoctium autumnale contigſſe die tertia epagomenarum. Et rurſus eodem anno die 27 Mechirmane Æquinoctium vernum notavit. Fuit annus Nabonaſſari 602. ante Æram Chriſti 147. quo Thoſh cæpit die 29. Septembris in anno Juliano proleptico. Quare dies tertia Epagomenarum fuit 26 Septembris; dies vero 27 Mechir fuit 24 Martii Juliani. At Aſtronomis obſervata eſt annua præceſſio Æquinoctiorum eſſe minut. 11. 12." quæ ſingulis quadrienniis evadit minutorum 44. 48." ita ut poſt annos centum & viginti octo, Æquinoctia uno die præcedant; unde in reformatione Kalendarii Gregoriani in quadringentis annis tres centeſimi communes ſine biſſexto ordinati ſunt, ne Æquinoctium vernum a die 21 Martii demoveretur. Itaque anno Romæ 709. Nabonaſſari 704. ante Æram Chriſti 45. qui fuit primus anni a Cæſare reformati, Æquinoctium vernum non contigit

git die 25 Martii; alias post annum centesimum ab Hipparchi observatione Æquinoctium uno die tardius contigisset. Ceterum licet Æquinoctii Astronomici certa dies atque hora assignetur, Æquinoctium tamen civile, quod sensibus vulgo percipi potest, triduum amplectitur, quia dies æquales noctibus sine magna differentia, iudicio sensus triduo decurrant, uti scite notat Clavius cap. 4 Calend. Gregor. §. 7. Hinc Columella lib. II cap. 2 ait: *VIII Kal. Octobris, & VII & VI Æquinoctium autumnale.* Non quod reapse toto triduo dies æquati noctibus laberentur, sed quod per triduum nulla eorundem inæqualitas sensui apparebat. Quare a Julio Cæsare æquinoctia ac Solstitia in octava parte signorum, seu octava die ante Kalendas Aprilis, Julii, Octobris, ac denique Januarii locata sunt, quod id a civili usu non abhorrebat, quamvis unius, aut alterius diei discrepantia juxta Astronomicos calculos notaretur.

Asiatici Proconsulares cum annum ex Lunari in Solarem commutarunt, ejus initium certæ cuiuspiam diei affixum voluerunt, ut post dies 365, cum quadrante, ad eandem decurreret. Cum vero ab autumno, teste Simplicio, annum auspicarentur, primam ejus diem in VIII Kal. Octobris, quæ ex Cæsaris decreto, autumno initium dabat, collocarunt. Itaque Dius primus mensis anni Solaris Macedonici in Asia minori die 24 Septembris inchoabatur. Galenus in comment. lib. I Hippocratis Epidemiorum, sive de morbis vulgaribus, ex Usserii cap. I laudati operis sculi interpretatione, ait: *Si quis didicerit in principium mensis Dii autumnale æquinoctium incidere, intelliget brumale quidem Solstitium post tres circiter menses futurum, incunte quotannis mense Peritio (nam hoc nomine denotatur apud Macedonas) vernum vero æquinoctium Artemisio, sicut & æstivum Solstitium Loo.* Nam circa initia dictorum mensium æquinoctia & solstitia contingunt iis, qui secundum Macedonas menses numeraverint & nominaverint. Cum vero notasset Palæstinos, nempe Hebræos, annum Lunarem ex diebus 354 servare, ait: *Quare apud illos qui menses hoc pacto numerant, non est dies constituere, quibus æquinoctia & solstitia, & oriantur illustria sydera; apud eos qui ad solem rationem incunt, sta-*

C

tuas,

tuas, id quod a Romanis dixi, Macedonibus, nostratibusque Asiaticis, & vero etiam ab aliis nationibus observari non paucis. Ex his colligimus, Macedones & Asiaticos ante Galenum annum solarem recepisse, ac Macedones in Asia initia quatuor tempestatum anni statuisse quatuor hisce mensibus incuntibus, Dio, Peritio, Artemisio, & Loo. Præterea scribit ibidem Galenus: *Sicut Arcturi ortus finis æstatis est, principium vero autumnus, quod ad XII dies æquinoctium autumnale antecedit.* Plinius vero lib. 2 cap. 47 ait: *Post eos rursus Austri frequentes usque ad sydus Arcturi, quod exoritur XI diebus ante æquinoctium autumnus.* Et lib. 18 cap. 31. *Quinto Eidus*, inquit, *Septembris Cæsari Capella oritur vespere; Arcturus vero medius pridie Eidus*, id est, die 12 ejusdem Septembris. Plinius undecim, Galenus duodecim diebus vespertinum ortum Arcturi ante Æquinoctium recitant; quod hic inclusive, ille vero exclusive diem 12 Septembris acceperunt. Rursus Galenus lib. 4 de sanitate tuenda laudat, uti prænotavi, semen abietis circa Arcturi emersionem, quo tempore Roma quidem September mensis vocatus est, apud nos vero Pergami Hyperberetæus &c. Quare Arcturus postrema parte Hyperberetæi oriebatur, ac post diem duodecimum inibat Dius primus mensis Macedonum Asianorum, cujus neomenia cum 24 Septembris Romanorum concurrebat, in qua Cæsar initium æquinoctii autumnalis statuerat. Hoc ipsum ex Christianis Scriptoribus locupletissime ab Usserio demonstratum est. Nam S. Epiphanius ad Hæresim LI Alogorum tradit Christum Dominum baptizatum fuisse secundum Ægyptios *Athyr mensis die duodecima, ante sextum Iduum Novembrium;* juxta Græcos *Dii mensis octava, &c. juxta Macedones Apellai decima sexta.* In primis appellat annum fixum Ægyptiorum, cujus primus dies cum mense Thoth inibat die 29 Augusti Romanorum. Ita in eorundem mensibus tricenariis dies duodecimus Athyr correspondet diei octavo Novembris, sive ante sextum Iduum Novembris. Græci quos postea laudat, sunt Antiocheni, Laodiceæni, Cæsarienses, alique in Syria populi, qui a Kalendis Novembris Dium mensem auspicabantur, ut inferius exponam. Denique Macedonas quos nominat, sunt Asiatici, qui annum ac men-

menſem Diū die 24 Septembris inibant, cujus dies trigefima ac poſtrema exibat die 23 Octobris, ac ſequenti Apellæus inchoabatur; ac proinde hujus dies XVI cum octava Novembris concurrebat. Petrus Halloix in notis ad cap. 7 vitæ S. Polycarpi ex Actis martyrii S. Timothei hæc recitat: *Obiit autem Sanctus & glorioſus Apoſtolus & Patriarcha, & Martyr Timotheus poſt dies tres feſtivitatis illius, quæ Catagogiorum nomen obtinet, qui dies ſecundum Aſianos menſis Quarti eſt trigefimus; juxta Romanos viceſimus ſecundus Januarii.* Jam vero a 24 Septembris ad diem 22 Januarii colliguntur dies CXXI. Quare cum totidem dies numerandi ſint a prima Diū ad trigefimam menſis Quarti Macedonum Aſianorum, id eſt, Peritii, patet tres priores menſes anni Aſianorum non fuiſſe æqualiter tricenarios; ſiquidem ea ratione a prima Diū ad 30 Peritii Quarti menſis, dies tantum haberentur CXX. Hinc Apellæus aut Audynæus erant dierum unius & triginta. Ptolemæus lib. 7 magnæ Syntaxeos cap. 3 refert, Agrippam Aſtronomum in Bithynia anno duodecimo Domitiani, menſis juxta ipſos Metroi die ſeptima obſervaffe Lunam conjunctam cum Auſtrali ſuccedente Vergiliarum ſeu Pleiadum, quod contigit, inquit, anno 840 Nabonaſſari, juxta Aegyptios die ſecunda Tybi. Anno Nabonaſſari 840 prima dies Thoth menſis apud ipſos primi in anno eorundem vago, cœpit die 31 Julii, anno vulgaris Epochæ Chriſti 92, quo Idibus Septembriſ Domitianus annum imperiū XII inivit. Cum vero menſem Tybi quatuor menſes tricenarii in anno Aegyptiorum præcedant, dies ſecunda Tybi eo anno concurrebat cum 29 Novembris. Scaliger lib. 1 de emendat. Temp. pag. 49 ſibi fingit Bithynios adhibuiſſe periodos Olympicas, eorumque annum a Solſtitio æſtivo cœpiſſe. Errat; ſiquidem cum ceteris Aſiaticis annum a 24 Septembris exordiebantur. Joannes Noviomagus in ſcholiis ad cap. 9 libri Bedæ de ratione Temporum, menſes annia duodecim gentibus variis nominibus appellatos recitans, annum Bithyniorum juxta ordinem menſium diſponens, ſcribit: *Ircos, Ermos, Metroos, &c.* Cum vero Ereus iniret uti ceteri primi menſes anni Aſianorum, die 24 Septembris, ac dies quæ Agrippæ Bithynio ſeptima Metroi

troi dicitur, a Ptolemæo componatur cum secunda Tybi, id est, 29 Novembris, uti Scaliger recte prænotavit, Metrous iniiit die 23 Novembris, ac proinde primi duo menses anni Asianorum erant tricenarii, ac tertius eorundem mensis erat dierum XXXI; unde dies 30 Quarti mensis Asianorum cum XXII Januarii jungebatur, uti simul concurrentes legimus in laudatis Actis S. Timothei. Metrous Bithyniorum, qui aliis Asiaticis Audynæus, vel vulgari nomine *Tertius* dicebatur, exhibat die 23 Decembris. Columella lib. XI cap. 2 ait: *Nono Kalendas Januarias brumale Solstitium, sicut Chaldaei observant, significat.* Ita etiam Asiatici censebant, qui IX Kal. Januarii sive die 24 Decembris ab eodem Solstitio brumali Peritium seu Quartum mensem, teste Galeno, ordiebantur. Plinius lib. 18 cap. 25 ait: *Bruma Capricorni ad VIII Kal. Januarii fere.* Hinc quod Romæ solstitium ad diem 24 vel 25 Decembris alligabatur, in lapideis Kalendaris apud Gruterum, uti proxime notabam, legitur: TROPÆ CHIMERIN: nulla die certa Decembris adsignata, secus ac in aliis tribus anni tempestatibus, quarum certa dies scalptra ibidem legitur.

In tomo V operum S. Joannis Chrysostomi Græcæ editionis Henrici Savilii, a pag. 948 legitur Homilia Paschalis, quæ aliunde plane a Chrysostomo, ac multo recentiore Auctorem habet, qui in fine ejus Orationis tradit eo anno Lunam XIV biduo antequinoctium contigisse, ac proinde sequentem Lunam pro Paschali assumptam fuisse, cujus cum dies XIV in diem *vicesimam sextam mensis Septimi*, quæ erat Dominica, incidisset, hebdomade superaddita, Pascha celebratum fuit *secunda die mensis Octavi*. Quæ cum fusius exposuisset, orationem concludens ait: *Nunc quidem secunda Octavi mensis dies existit Resurrectionis; sequente vero anno decima septima Septimi mensis erit; atque iterum proximo nona mensis Septimi; Et rursus anno tertio vicesima nona mensis, nempe ejusdem septimi, Resurrectionis dies celebrabitur.* Usserius erudite cap. 5 ostendit, hic designari quatuor Paschata ab anno Christi 672 ad 675. Primum autem Pascha anno bissextili 672, Cyclo Solis IX, Lunæ VIII, litt. DC contigit die 25 Aprilis, quæ Asiaticis fuit secunda mensis Octavi; nempe apud plerosque

que Dæfii. Hoc anno plenilunium Martii secundum medium motum, juxta meridianum Urbis, contigit Martii die 19 Hor. o. 24. 22." ante meridiem. Quare quod præcedebat Æquinoctium, non fuit plenilunium Paschale; sed adsumptum fuit proximum Plenilunium, quod contigit mense Aprili die 17 hor. 12. 10. 41." post meridiem. Juxta Cyclos Alexandrinorum passim ab Ecclesiis Asiæ, Græciæ, ac Italiæ id temporis receptos, eo anno Luna XIV Paschalis incidit in diem 18 Aprilis, quæ cum esset Dominica, ne solemnitas Resurrectionis Domini die termini contra canones ageretur, Pascha dilatum fuit ad diem 25 Aprilis, Luna XXI, quæ erat longior terminus, ad quem Paschale festum juxta Cyclos Theophili Patriarchæ Alexandrini extendebatur. Porro eo anno bissextili Christi 672 a die 24 Septembris ad 25 Aprilis colliguntur inclusive dies CCXV, quot pariter numerantur a neomenia Dii sive mensis Primi Asianorum ad secundam diem mensis Dæfii sive Octavi. Cum autem ex laudatis Actis S. Timothei dies 30 Quarti mensis Asianorum cum 22 Januarii concurreret; & ab hac exclusive, ad 25 Aprilis inclusive in anno Juliano bissextili numerentur dies XCIV, quorum duo postremi fuerunt primus ac secundus mensis Octavi, reliqui XCII distribuendi sunt in menses Quintum, Sextum, ac Septimum, sive in Dystrum, Xanthicum, & Artemisium. Eos inter quintus Dystrus erat dierum 30, sextus Xanthicus, uti & septimus Artemisius, erant dierum unius & triginta. Enim vero proxime ostendam ex Actis martyrii S. Polycarpi diem 23 Februarii cum secundo Xanthici combinari; unde Dystrus seu mensis Quintus qui inibat die 23 Januarii, exibat die 21 Februarii, ac proinde erat tricenarius. Verum ut tum ea quæ hætenus posita sunt, tum quæ proxime disputabuntur, facilius intelligantur, proponendum est diagramma Anni Macedonum Asianorum, quod omnium primus Jacobus Usserius præformavit, a quo Langius, Ricciolius, alique idem excriferunt. Quartus tamen anni cardo mihi hic aliter disponitur, cujus rei postea rationes proferam.

DIAGRAMMA ANNI ASIANORVM

MENSES

Dierum An. simplici ineunt. An. bissextili

<i>Primus</i>	Dius.	30	24 Septembris	24 Septembris
<i>Secundus</i>	Apellæus.	30	24 Octobris	24 Octobris
<i>Tertius</i>	Audynæus.	31	23 Novembris	23 Novembris
<i>Quartus</i>	Peritius.	30	24 Decembris	24 Decembris
<i>Quintus</i>	Dyltrus.	30	23 Januarii	23 Januarii
<i>Sextus</i>	Xanthicus.	31	22 Februarii	22 Februarii
<i>Septimus</i>	Artemisius.	31	25 Martii	24 Martii
<i>Octavus</i>	Dæsius.	30	25 Aprilis	24 Aprilis
<i>Nonus</i>	Panemus.	30	25 Maji	24 Maji
<i>Decimus</i>	Lous.	31	24 Junii	23 Junii
<i>Undecimus</i>	Gorpiæus.	31	25 Julii	24 Julii
<i>Duodecimus</i>	Hyperberetæus.	30	25 Augusti.	24 Augusti.

Dies 23. Sept.
intercalatur.

In hoc diagrammate Dius 24 Septembris, Peritius 24 Decembris, quibus Æquinoctium autumnale, ac solstitium brumale juxta anni solaris correctionem Julianam ab Asiaticis receptam contingebant, initium, uti monuit Galenus, desumunt, uti etiam Artemisius init die 25 Martii, quo Cæsar Æquinoctium vernum signavit. Denique neomenia sive initium Loi statuitur die 24 Junii, ad quam in eadem Juliana emendatione solstitium æstivum alligatur, quocum mensẽ Loum in anno Macedonum Asianorum inchoari idem Galenus testatur. Usserius tamen æstivum anni cardinem sive initium Loi Asianorum protrahit ad diem 25 Junii, unde & Panemo dies 31 assignat; quod Euthalius Diaconus in vita S. Pauli Apostoli quæ præfixa legitur commentariis Oecumenii in Acta Apost. scribit eundem martyrio coronatum quinta die, juxta Syromacedones, mensis Panemi, qui apud Egyptios dici potest Epiphi; apud Romanos vero III Kalendas Julias, vicesimo nono mensis Junii. Verum Euthalius non loquitur de Macedonibus Asiaticis, apud quos, ut ait Galenus, vernum Æquinoctium Artemisio, & æstivum solstitium Loo ineuntibus contingebant; illi enim

enim Panemum die 25 Maji inchoabant, ut in posito diagrammate. Euthalius diserte appellat *Syromacedones*, nempe Gazenses, Raphiotas, Ascalonitas, aliosque in Syria populos Ægypto proximiores, qui annum Macedonicum ex puris mensibus tricenariis cum diebus epagomenarum in anni exitu servabant, ac Diem primum anni mensem die 28 Octobris auspicabantur; unde prima Panemi cum 25 Junii, ac quinta cum 29, prout ab Euthalio scribitur, concurrebant. Id ad oculum patebit in diagrammate anni eorundem Syromacedonum, ubi de Epochæ Gazensium differt. 5 cap. 1 disputabitur. Uti vero Romani duos junctim menses æstivos dierum XXXI habebant; ita etiam Asiatici cum Solarem annum Romanorum exemplo induxerunt, Loum ac Gorpiazum Julio & Augusto fere correspondentes, ex uno ac triginta diebus constarunt.

Recte tamen Usserius advertit Asiaticos annum Bissextilem in exitu intercalasse, ita ut Hyperberetæus evaderet dierum XXXI. Ægyptii annum Solarem fixum die 29 Augusti, a prima die Thoth inchoabant; at si annus sequebatur bissextilis, consuetis quinque diebus Epagomenarum alium insuper diem adjicientes, annum die 30 Augusti inibant. Sanctus Martyr ac Patriarcha Alexandrinus Proterius in epistola ad S. Leonem magnum scribit: *In centesimo sexagesimo anno a Diocletiani imperio, Dominicum Pascha XXVIII die mensis Pharmuthi, qui est IX Kalend. Maji, celebratum fuisse.* Annus CLX ab imperio Diocletiani cœpit apud Ægyptios anno Christi 443, sequente proximo Bissextili 444 Cyclo Solis V, Lunæ VIII, litt. BA. Cum vero omnes menses Ægyptiorum essent tricenarii, prima dies Thoth iniiit die 30 Augusti; prima vero Pharmuthi incidit in diem 27 Martii, & 28 ejusdem Pharmuthi in diem 23 Aprilis, seu IX Kal. Maji, quo die Pascha celebratum fuit, ut testatur etiam Prosper in integro Chronico, tom. 1 Biblioth. Labbeana edit. At Asiani modo opposito, in exitu anni Bissextilis intercalabant. Hoc Anonymus auctor laudatæ Homiliæ Paschalis prodidit, dum ait: *Nunc quidem secunda Octavi mensis dies existit Resurrectionis; sequente vero anno decima septima Septimi mensis erit.* Nempe Pascha A. Christi 672 Bissex-

Bissextili fuit die 2 mensis Octavi, quæ in tabula correspondet diei 25 Aprilis, eo quod Luna Paschalis XIV incidit in Dominicam diem 26 Artemisii sive Septimi mensis, quæ erat 18 Aprilis apud Romanos. Pascha anni proximi 673 ponitur die 17 mensis Septimi, sive 10 Aprilis, Cyclo Solis X, Luna IX, lit. B. & Dominica in Albis hoc anno fuit die 24 mensis Septimi, sive 17 Aprilis. Anno Christi 672 dies 26 Septimi mensis cum die 18 Aprilis concurrens, erat Dominica, in quam cadebat Luna XIV Paschalis. A die vero 18 Aprilis inclusive ad 24 Septembris exclusive colliguntur dies 159. At a die 26 mensis Septimi inclusive, ad diem 30, eandemque postremam mensis Duodecimi inclusive, ut patet in tabula, colliguntur dies 158. Itaque anno memorato Bissextili 672 dies 30 mensis Duodecimi, alias Hyperberetæi, concurrebat cum 22 Septembris; ac proinde Hyperberetæus intercalatus fuit, quæ dies addita cum 23 Septembris concurrebat, ut a die sequenti annus novus Asianorum cum mense Dio iniret. Quare anno Bissextili Hyperberetæus, sive mensis XII anni Asianorum evadebat dierum XXXI.

Verum descriptum mensium Asianorum diagramma infirmare videtur Alexander Monachus in encomio S. Barnabæ, qui apud Surium ad diem XI Junii tom. 3 ait: *Diem vero festum quo beati & generasi martyris Barnaba memoria celebraretur, Patres agi per singulos annos constituerunt tertio Idus Junii, ut Romani loquuntur; ut autem Cyprii Constantienses die XI ejus mensis qui ab illis dicitur Mesores, & numeratur decimus; ut autem Asiatici homines vel Paphii numerant, decimo nono mensis qui Phitbipatus dicitur, & Nonus numeratur.* Duo ex his colliguntur. Et primo quidem Constantienses in Cypro id temporis a Kalendis Septembris una cum novis Indictionibus, annum inchoasse, cum dies XI Mesoris decimi apud ipsos mensis cum XI Junii combinetur. Rursus inferitur prioribus mensibus anni Asianorum, sex fuisse pure tricenarios, binos vero tantum unius & triginta dierum. Nam a die 24 Septembris, qua incipiebat annus Asianorum, ad diem XI Junii, inclusis terminis, colliguntur dies CCLXI. At in posito diagrammate, inter octo priores menses

po-

ponuntur quinque tricenarii, ac tres dierum XXXI, qui simul dant dies CCXLIII: quibus si addas dies XIX Noni mensis, fiet summa dierum CCLXII. Cum vero dies 19 Noni mensis Asianorum concurrat, teste Alexandro, cum die XI Junii, in posito diagrammate in octo prioribus mensibus una dies abundat. Usserius ac Langius respondent, ab Alexandro Monacho designari annum bissextilem quo S. Barnabas passus est; in anno vero bissextili Nonis mensis init die 24 Maji; ac dies XIX illius cum undecima Junii in posito diagrammate combinatur. Nam a die 24 Septembris, anno sequente Bissextili, ad XI Junii numerantur dies CCLXII. Hæc tamen responsio facile confutatur. Etenim cum ille Scriptor prænarraffet, Anthemium Episcopum Constantiensem in controversia de autocephalia cum Petro Fulone, Patriarcha Antiocheno, causam in Synodo vicisse, addit eundem Anthemium eam victoriam S. Barnabæ auspiciis acceptam ferentem, eidem insigne templum extruxisse, ubi & nuper inventas S. Apostoli reliquias summa veneratione deposuit, ac Episcopos decrevisse festum ejusdem sancti *per singulos annos* celebrandum die XI Junii juxta Romanos; ut autem Asiatici homines numerant, XIX mensis Noni. Non ergo designatur dies passionis S. Barnabæ in anno Bissextili, ut ait Usserius, sed annua ejusdem memoria publica solemnitate recolenda die XI Junii, quæ est juxta Asianos XIX mensis Noni. Sanctus Epiphanius ad Hæresin LI quæ est Alogorum, diem VI Idus Novembris vocat *juxta Paphios Apogonici XVI & juxta Macedonas Apellæ XVI*. Quare Paphii in Cyprio ac Macedones Asiatici una simul menses pari dierum numero dispositos inibant. At cum tot insignibus characteribus in laudata Homilia Paschali inter octo priores menses Asianorum, tres demonstrantur fuisse dierum XXXI, dubio procul error in numerum apud Alexandrum Monachum irrepsit, ac cum XI Junii non dies XIX, sed XVIII Noni mensis Asianorum jungenda est. Et sane Septimum mensem fuisse dierum XXXI, ex memorata Homilia evidenter ostenditur; ibi enim Anonymus ait Lunam Paschalem XIV eo anno Christi 672 contigisse die 26 mensis Septimi, quæ erat Dominica, & cum ve-

titum esset in ipso termino festum celebrare, καὶ ἔτι τῇ ἐν αὐτῇ
 ἐκτῇ τῇ ἑβδομῇ μηνὸς ἑβδομάδα ἐπαινονάπλοισι, εἰς δευτέραν ὁρθεῖν
 μηνὸς τὴν ἀναστάσιμον ἀγομεν: *atque ita diei vicecima-sexta Septimi*
mensis hebdomaden superaddentes, die secunda Octavi mensis Resur-
rectionem celebramus. Si dies 26 Septimi mensis fuit Dominica,
 & rursus dies secunda Octavi mensis fuit Dominica Paschalis, Se-
 ptimus mensis erat dierum XXXI. Præterea in eadem Homilia
 Pascha anni Christi 673 dicitur fuisse die decima septima Septimi
 mensis, quod in Latinis tabulis eo anno signatur die X Aprilis,
 Cyclo Solis X, Lunæ IX, lit. B. Jam vero a die 24 Septembris
 qua Asiatici primum anni mensem inibant, ad diem 10 Aprilis,
 inclusis terminis, supputantur dies 199, qui dant quatuor menses
 tricenarios, duos dierum XXXI, ac insuper dies 17 Septimi men-
 sis. Itaque in prioribus sex mensibus Asianorum quatuor illo-
 rum sunt dierum triginta, duo unius ac triginta. Hi vero cha-
 racteres Paschales cum certissimi sint, ex illis corrigendæ sunt
 numerales notæ, quæ secus ac illi, tempora designant. Quare
 in Encomio S. Barnabæ legendum est, uti jam dixi, *tertio Idus*
Junii &c. ut autem Asiatici homines, vel Paphii numerant .η', id
est, XVIII mensis, qui Phœbipatus dicitur, & Nonus numeratur.
 Hæc diligentius discutiet vir eruditissimus Daniel Papebrochius
 in illustrandis vitis Sanctorum, quorum annua memoria mense
 Junio recolitur; siquidem vasti laboris, ac plurimum Scriptorum
 opus ad hunc usque mensem summa cum laude exactum eidem
 est.

Carolus Patinus, Equestris Ordinis vir, idemque in littera-
 ria Republica dudum senator ac Consularis, sepulcralem Inscrip-
 tionem e Smyrnenſi agro effossam, & Venetias delatam, ac abs
 se emptam, sua inter Cimelia reposuit, quam etiam erudito
 commentario illustratam evulgavit. Eo in lapide dicitur Au-
 relia Triphana heredibus mandare, ut defunctæ cineres intra
 vas Proconnesium condant, indicta secus facientibus multa
Matri Deorum Sipylæna, quam ita a proximo monte Sipylo Smyr-
 nenses vocabant, solvenda. In fine vero ejus Epiraphii dicitur
 autographum in Archivis repositum: ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ

ΑΙΑ.

ΑΙΑ. ΒΙΩΝΟΣ. ΜΗΝΟΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Sub Stephanephoro Actio Bione: Mense Tertio.* Philostratus lib. 2 in Heraclide scribit, hunc Sophistam, apud Smyrnam degentem, ibidem *Στεφανηφόρον ἀρχὴν Stephanephoream dignitatem* obtinuisset, *ἀφ' ἧς τοῖς ἐναυτοῖς τῶν ἐπὶ τῶν Σμυρναίων τὰ ἐνομασία: a qua Smyrnaei annis nomina imponunt.* Ut enim Romani nomina Consulum, Athenienses Archontum Fastis prænotabant; ita apud Smyrnam is qui annuam Stephanephori dignitatem gerebat, suo nomine labentem, annum signabat. Stephanephori sacerdotium annuum Smyrnæ gerebant, eo nomine appellati, quod coronam, quæ Græce *στέφανος* dicitur, ferebant, uti apud Romanos XV viri Sacris faciundis lauream gestabant. Smyrnæi cum Pionium ac socios martyres ad immolandum allicere conarentur, *tunc illis coronas imposuerunt, quas ipsi disceptas, abjecerunt*, ut in Actis martyrii eorundem recitatur. In vetusto epigrammate satis prolixo prope Smyrnam æperito, nominantur Consules *Tisus Augustus VIII,* & Domitianus *Divi Vespasiani Augusti filius VII.* ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΤΙ. ΚΛΑΤΑΙΟΥ ΒΙΩΝΟΣ. Designatur annus urbis Romæ 833, quo *Tiberius Claudius Bion* Smyrnæ fuit Stephanephorus. Rursus in eadem Inscriptione nominantur Consules Imperator Cæsar Domitianus Augustus IX, Quintus Pettilius Rufus II, & statim: ΕΠΙ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΚΟΣΚΩΝΙΑΣ ΜΥΡΤΟΥ: *Sub Stephanephoro Cosconia Myrso.* Annus fuit urbis Romæ 836, quamvis in vulgari Fastis alterius Consulis nomen perperam describitur. Hanc Inscriptionem Smyrna acceptam a Daniele Cossonio, Antonius Magliabechius vir summi ingenii parisque doctrinæ ac bono literatorum fato natus, mihi ostendit; ejusque fragmentum inserui pag. 55 epistolæ Consularis. At post biennium eandem Inscriptionem integram edidit Sponius sect. X Miscell. pag. 353. Plura de Stephanephoris nuper scripsit eruditissimus Cuperus pag. 138 in Harpocrate. Ceterum cum in Patiniano lapide nulla nota temporis appareat, præter mensem tertium, nec Smyrnæorum Fastos compertos habeamus, in obscuro manet annus, quo ille *Ælius Bion* fuerit ibidem Stephanephorus.

Postrema verba ejus epitaphii sunt ΜΗΝΟΣ ΤΡΙΤΟΥ, *Mense Tertio*. Plura de mense Tertio notat eruditus memorati lapidis possessor, ac tandem probabilius putat designari ibidem mensem tertium ab initia eidem Bioni Stephanephori dignitate. Verum ex hactenus dictis patet notari eo in marmore mensem Tertium anni Macedonici Asianorum, cujus prima dies concurrebat cum 23 Novembris Romanorum; postrema vero, quod erat dierum unius ac triginta, correspondebat 24 Decembris, ut in posito Diagrammate apparet. Quo vero nomine Smyrnæi huncce Tertium mensem nuncuparent, paucis hic inquirendum. Smyrnæos posteriori saltem ætate nomina mensium Macedonia adhibuisse produnt literæ Ecclesiæ Smyrnenfis de martyrio S. Polycarpi ejusdem urbis Episcopi. Prolixam ejus epistolæ partem recitat Eusebius lib. 4. cap. 15, quam integram Jacobus Usserius publicavit, eamque Valesius suis in Eusebium notis inseruit. In ea autem Smyrnæorum Ecclesiæ epistola ad Philomelienses legitur: *Passus est autem beatus Polycarpus die secundo mensis Xanthici, ante diem VII Kal. Martias; magno Sabbato, hora octava*. Character tamen magni Sabbati viros eruditos in varias sententias distraxit de anno ac mense Juliano, quo Polycarpus martyr occubuit. Interim constat mensem a Smyrnæis *Xanthicum* appellari. Rursus juxta vetustum Interpretem dies secunda Xanthici erat VII Kal. Martias, id est, dies 23 Februarii, ac proinde Smyrnenfes annum Macedonicum Asianorum servabant, in quo neomenia Xanthici cum die 22 Februarii concurrebat. Usserius cap. 3 de anno Solari Asianorum scribit, in Græco textu dici passum Polycarpum *μενὸς Ξανθικῆ δευτέρα ἡμέρα*, πρὸ ἐπὶ τὰ καλανδῶν Μαΐων &c. *Secundo die mensis Xanthici, septimo Kalendas Majas* &c. At notat Lunam Paschalem XIV. Nisan nunquam post diem 25 Aprilis contigisse, ac proinde nec Sabbatum magnum, quod proxime Lunam XIV Paschalem præcedebat, potuisse contingere VII Kal. Majas. Hinc ait rectius in Chronico Alexandrino dici passum Polycarpum τῇ πρὸ ἐπὶ τὰ καλανδῶν Ἀπριλλίων, τῷ μεγάλῳ Σαββάτῳ: *Septimo Kalendas Aprilis, magno Sabbato*, nempe, inquit Usserius, die 26 Martii, quæ Judæis anno Christi

169 fuit magnum Sabbatum; cum eo anno terminus Paschalis Calippicus contingerit die 30 vel 31 Martii. Ex his infert Smyrnæos non inchoasse annum, uti ceteri Asiæ, a mense Dio, sed ab Hyperberetæo; unde Xanthicus ibidem inibat die 25 Martii, atque ita secunda Xanthici eo anno Christi 169 fuit Sabbatum, Cyclo solis X, lit. B. Juxta hanc Usserii opinionem, quam etiam sequitur Langius lib. 1 de annis Christi cap. 14 prope finem, Tertius mensis in Patiniano lapide sculptus, fuisset Smyrnæ Apellæus, qui tertius numeratur ab Hyperberetæo.

Henricus Valeſius Usserii opinionem refellit in notis ad laudatum locum Eusebii. Etenim prorsus improbabile videtur Smyrnæos præter urbium Asiæ morem, annum non a Dio mense, sed ab Hyperberetæo auspicatos fuisse. Hinc jure putat in vetusto codice scriptum fuisse: *μηνὸς ζανθικῷ δευτέρῃ ἡμερῇ, πρὸ ἐπτά· καλανδῶν μαρτίων*: non autem *μαίων*: *die secundo Xanthici instans, septimo Kal. Martias*; non vero *Μαίας*. Auctor Chronici Alexandrini, qui passim appellat Xanthicum Antiochenorum cum Aprili Juliano pari dierum numero concurrentem, cum in depravato codice legisset secundum diem Xanthici dici *πρὸ ἐπτά καλανδῶν μαίων*, perperam refinxit *menſe Aprilis* pro Xanthico, ac diem secundum omisit, quod typum anni Asiatici ignorabat. Et sane Smyrnæorum Ecclesia scribit se destinasse quotannis, favente Deo, *natalem ejus martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare*. At in omnibus Græcorum Menæis Natalis S. Polycarpi celebratur die 23 Februarii, uti testatur etiam Baronius in notis ad diem 26 Januarii. Nempe quod ex sacris tabulis ejus Ecclesiæ dies 23 Februarii erat natalis martyris Polycarpi. Præterea in Actis passionis S. Pionii apud Smyrnæ, presbyteri hæc initio leguntur: *Vicesima tertia mensis Februarii die, cum Sabbatum magnum instaret, natalis scilicet beati martyris Polycarpi; urgente Decii persecutione, Pionius presbyter & Sabina &c. comprehensi sunt*. Hæc vero scripta sunt ab ipsis Christianis, qui Smyrnæ passioni martyris Pionii interfuerunt; siquidem, cum narrassent eundem apud Smyrnæ jussu Proconsulis combustum fuisse, hæc addunt: *Etenim cum ignis extinguitus esset, nos*

qui presentes eramus &c. Itaque Christiani qui martyrio Pionii interfuere, diserte testantur natalem Polycarpi die 23 Februarii quotannis apud Smyrnam celebratum, quæ dies cum secunda Xanthici a Smyrnæorum Ecclesia dicatur, recte colligit Valesius eosdem cum ceteris Asiaticis annum a mense Dio inchoasse. Quare Tertius mensis Smyrnæorum erat Audynæus, qui tamen vetustiori Ionum vocabulo Posideon dicebatur, quod ex Aristide mox ostendo. Interim adverto Valesium minus recte martyrium Polycarpi referre ad annum Christi 167; hoc enim anno dies 23 Februarii sive secundus Xanthici fuit Dominicus dies, Cyclo Solis VIII, lit. E. At Polycarpus *magno Sabbato* martyrium subiit; & quamvis fateatur Valesius incompertum esse, cur illud Sabbatum *magni* epitheton tulerit, negare nequit die Sabbati S. Martyrem occubuisse. At anno superiori Christi 166 dies 23 Februarii fuit Sabbatum. Quod idem Valesius Quadratum Proconsulem, a quo Polycarpus ignis supplicio addictus fuit, Asiam administrasse anno Christi 167, colligit ex orat. 4 sacr. Aristidis; nihil ex illo Sophista discimus, ex quo annus certus Proconsulatus Quadrati indicetur, ut alias demonstrabo. Errat plane Valesius pag. 71 scribens: *In Orat. 4 sacrarum ait Aristides, paulo post pestem illam qua in Asia grassari cepit, Sederum Proconsulem fuisse.* Nam Aristides initio ejus orat. 4 narrat se somnio monitum, ad Æsepum fluvium, sanitatis recuperandæ gratia, perrexisse; unde postea discedens, pristinæ incolumitati se restitutum dicit, ac ab omnibus urbibus summis honoribus exceptum; quibus narratis, ait: *Post aliquod tempus pestis illa grassari cepit &c.* At paulo inferius addit: *Atque hac in profectioe ad Æsepum, & reditu contigerunt, cum quidem Asia proconsul esset vir celeberrimus Severus.* Itaque hic fuerat Proconsul, antequam pestis *astate media*, ut ait Orat. 2, erumperet. Pestis vero illa plures annos per Asiam devastavit, ut ex Galeni libris alia occasione ostendam; neque enim juvat hinc tam longius divertere. In laudatis Actis passionis Pionii hæc recitantur: *Pionius igitur pridie natalis diei S. Polycarpi futurum prævidit, ut eo ipso die caperentur &c. Cum igitur precationibus incubuissent, & Sabbato sanctum panem & aquam cepissent, supervenit Polemo Aedituus cum satellitibus suis &c.* Nar-

rant

rant Pionium captum, ac in forum ductum Græcis Judæisque refertum; *nam cum magnum esset Sabbatum, feriabantur.* Pionius presbyter passus est in persecutione Decii, qua Eudæmon Episcopus Smyrnæ minis territus, Idolis immolaverat. Anno autem Christi 250, Imperatore Decio Aug. II & Grato Coss. dies 23 Februarii Natalis S. Polycarpi, fuit Sabbatum, Cyclo Solis VII, lit. F. Quare eo anno Pionius Smyrnæ passus est, ut in fine legitur: *Traiano Decio Augusto, ante quartum Idus Martias, more Romano; Asia autem more, Septimi mensis undecimo, die Sabbati, hora decima.* Hæc Smyrnæ ab aliquo tunc Ecclesiæ ejusdem Notario scripta ait Baronius tom. 2, A. 254, num. XXI. Ex quibus patet Smyrnæos designasse menses juxta numerum, quem in anno Macedonico Asianorum servabant; siquidem hic *mensis Septimus* legitur, ut in Epitaphio apud Equitem Patinum *mensis Tertio* scriptum est. In Chronico Alexandrino dies passionis S. Pionii memoratur mense ac die variatis; dicitur enim passus *Smyrnæ in Asia sub Proclo Quintilliano Proconsule Asia, ante IV Idus Martias, sive juxta Asianos (μηνὶ ἑκτῷ ι β') mense sexto, die duodecimo, Sabbato, hora decima.* Unius literæ variatione ἐπλω pro ἐκλω, mensis *Sextus* in *Septimum* in Actis laudatis mutatus fuit. At Auctor Chronici in iisdem Actis emendationibus legit *ἐκλω Sexto.* Nam Pionius dicitur captus die 23 Februarii, Natali S. Polycarpi, nempe juxta Asianos die secundo mensis Sexti sive Xanthici, qui decurrebat usque ad diem 24 Martii. Quare cum in Actis ac in Chronico dicatur Pionius combustus juxta Romanos, *ante IV Idus Martias*, passus fuisset die undevicesimo Xanthici sive Sexti mensis juxta Asianos. At dies IV Idus Martias eo anno Christi 250 non fuit dies Sabbati, sed feria III. In Menologio Græcorum Pionii Martyris memoria, ut in Actis, recolitur die XI Martii. Auctor Chronici Alexandrini passionem ejusdem recitat die XII mensis Sexti. Utrobique mensis Sextus cum Martio æquatò dierum numero combinatur; cum tamen mensis Sextus Asianorum septem diebus ante Kalendas Martii inchoaretur, nempe die 22 Februarii. Præterea dies feriæ septimæ sive Sabbati utrobique aliena manu infartus est. Interim quod ad institutum facit,

cit, inde constat, Smyrnæos penes numerum, quem in anno servabant, menses frequenter appellasse.

Aristides qui M. Aurelio & Commodò imperantibus in Ionia floruit, ac Smyrnæ plerumque degit, in Serm. i sacr. menses Posideonem ac Lenæonem apud Iones laudat, cujus verba a nemine hactenus observata, ac Interpreti perperam etiam exposita, hic mihi accuratius explicanda sunt. Nam laudato serm. i proluxius recitans superstitiosa somnia, quæ uno & altero mense sibi contigerant, ait: ἦν μὲν γὰρ Ποσειδεὼν μὴν, ἕτερος χειμῶν. Quæ interpretes Canterus Latine reddit: *Mensis erat Decem-ber, hieme qualem nostis.* Mensem Posideonem Aristidi nominatum, pro Juliano Decembri accipit. Cum vero ibidem narrasset somnia sibi somniata die duodecimo Posideonis ac proxime insequentibus, & quæ sibi immissa fuerant, ὀγδὲν ἐπὶ δέκα ac postea ἐνάτη ἐπὶ δέκα, videlicet *die decimo octavo*, ac *decimo nono* Posideonis, refert somnium, quod sibi contigerat δεκάτῃ ὑτέρᾳ: *Decimo Kalendas*, vertit Canterus. Tum sigillatim recitat somnia sibi visa ἐνάτῃ, ὀγδὲν, ἐβδόμῃ, ἑκτῇ, πέμπτῃ, nempe *Nono, octavo, septimo, sexto, quinto Kalendas*, ut idem scribit; ac cum nominata eidem fuisset dies ἡ δὲ ἐπίεσα insequens, addit: τρίτῃ Φθινόρῳ: *tertia Kalendas*, ait Canterus. Denique cum meminisset τῆς ἐπίεσης *diei sequentis*, addit: Ἀθηναίων νημεμία: *die prima Januarii*, reddit idem interpretes, quem cum mensem Posideonem pro Romanorum Decembri perperam accepisse, tum etiam ejusdem mensis dies falsis characteribus explicasse, paucis ostendo. Nam dies δεκάτῃ ὑτέρᾳ non erat, ut ait interpretes, *decimo Kalendas Januarii*, nempe dies 23 Decembris; sed erat dies 21 Posideonis, id est, *duodecimo Kalendas Januarii* juxta Canteri opinionem, qui Posideonem pari cum Decembri Romanorum numero dierum componit. Hesychius in Lexico ait: δεκάτῃ πρώτῃ, ἡ πρὸ εἰκάδ, ὡς ὑτέρᾳ, ἡ μετ' εἰκάδα: *Decima prior, quæ ante vicesimam; quemadmodum decima posterior, quæ post vicesimam.* Et in magno Etymologico: ὑτέρᾳ δεκάτῃ, ἡ ἐξ εἰκάδ, ἡμέρα καλεῖται ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν ἢ ἡμεῖς πρώτῃν καὶ εἰκοστὴν καλεῖμεν: *decima posterior, quæ est post vicesimam, dies appellatur juxta*

juxta Atticos; quam nos primam ac vicesimam nuncupamus. Quare dies δεκάτη ὑτέρα Posideonis apud Aristidem erat dies vicesima prima ejusdem mensis. Hoc ipsum ex eodem Oratore evidenter colligitur. Etenim cum ipse Aristides ibidem antea dixisset: ἐβδόμη ἐπὶ δέκα ἀλυσία ἐξ οὐραίου ὅρδην δ' ἐπὶ δέκα ἀλυσία: die decimo septimo Posideonis, oraculum abstinentiam a balneis imperat. Decimo octavo rursus abstinentia a balneis; cum postea dies δεκάτη ὑτέρα eidem nominata fuisset, ait: καὶ ἡ αὐτὴ πέμπτη ἀλυσίων ἐστίν: Et hac erat dies quinta. illoctium, sive abstinentiæ a balneis. Quare cum dies XVII Posideonis dicatur eidem prima abstinentiæ a balneis, ac ab hac quinta dies vocetur δεκάτη ὑτέρα, hæc dubio procul erat vicesima prima Posideonis. At dies XXI mensis pleni sive 30 dierum a Græcis dicebatur δεκάτη φθινόω decima deficientis; si vero mensis erat cavus, id est, dierum 29 in anno ipsorum Lunati, ἐννάτη φθινόω, videlicet nona deficientis appellabatur. Cum vero annum Solarem receperunt, ac menses quosdam haberent dierum XXXI, tunc horum mensium dies XXI ἐνδεκάτη φθινόω undecima deficientis dicebatur. Ita Gyraldus in Calendario ac Ufferius in Ephemeridis diem XXI mensis dierum XXXI in anno Solari Græce nuncuparunt. Unum hic veterem testem appellabo Scholiastem Aristophanis in Nubibus, ubi dies mensium Atticorum sui temporis describens, ait: εἰκοστῆς ἢ αὐτῇ δὲ καὶ εἰκάς. Μεθ' ἣν ἐνδεκάτην φθινόω, ἢ δεκάτην, ἢ ἐννάτην &c. id est, vigesima, quæ ἔστι Icas. Postquam undecimam deficientis; vel decimam, vel nonam pro quantitate mensis, nuncupatam scribit. Theodorus Gaza apud Allatium cap. 12 de mens. Temp. cum diem vicesimam numerasset, ait: μεθ' ἣν ἐνδεκάτην φθινόω, ἢ δεκάτην &c. postquam undecimam deficientis; vel decimam juxta mensis quantitatem recitat. At constat in Solaribus tantum mensibus unius ac triginta dierum, diem eorundem XXI dici potuisse undecimam deficientis. Cum autem ex Galeno probatum sit Asiaticos Proconsulares, M. Aurelio Antonino Philosopho imperante, menses anni Solaris adhibuisse, quod de Smyrnæis præsertim Acta passionis S. Polycarpi testantur, Aristides qui in Ionia ac Smyrnæ sæpius degebat,

menſes utique anni Solaris appellavit, cum eas orationes eodem M. Aurelio Imperatore conſcripſerit. Ille autem diem XXI Poſideonis *δεκάτη ὑσέπαι* appellavit, quæ, uti dixi, ab aliis in menſe Solaris dierum triginta *δεκάτη Φθινόπω* decima deficientis dicebatur. Eidem vero poſt eam ſtatim diem, numerantur *ἐνάτη, ὀγδοή, ἐβδόμη* &c. ac denique *τρίτη Φθινόπω*, id eſt, *nona, octava, ſeptima* &c. ac *tertia deficientis* Poſideonis; ita ut *nona* deficientis fuerit dies viceſima ſecunda, *octava* vero itidem deficientis, viceſima tertia &c. ac denique *tertia deficientis* fuerit dies 28 ejusdem menſis; ac proinde eadem perperam Cantero Latine redditur *tertio Kalendas*, cum IV Kalendas dicenda ſit. Equidem ideo erratum eſt interpreti, quod cum Ariſtides poſt tertiam deficientis, meminerit *τῆς ἐπύσης dici inſequentis*, ſtatim ait: *Ἀγλαῖαν* & *ῥαμηνία*, *die prima Lenæonis*; quali inter tertiam deficientis Poſideonis ac primam Lenæonis una tantum dies interceſſerit. At Ariſtides ut in ea dierum enumeratione omittit diem *εἰκάδα* ſive viceſimam, ita triceſimam quoque ejusdem menſis tranſilit. Breſnim certum eſt menſem Poſideonem ab Ariſtide tricenarium deſignari; ſiquidem in menſibus tantum plenis ſive dierum triginta, dies poſt viceſimam primam, *ἐνάτη nona* deficientis dicebatur; *τρίτη Φθινόπω*, *tertia deficientis* erat dies 28 menſis, quam conſequebatur *δευτέρα Φθινόπω* *ſecunda deficientis*, nempe 29 menſis, poſt quam dies *ἐν καὶ νέα*, ſive *τριανὰς*, *vetus* & *nova*, ſive *triceſima* menſem clauderat, cui proxima ſuccedebat *ῥαμηνία* *dies prima* alterius menſis. Quare eo loci Ariſtides ſilet diem triceſimam Poſideonis; uti poſtea narrans ſomnia menſis proximi Lenæonis, omittit diem undecimam, & a ſequenti duodecima tranſilit ad decimam ſeptimam, quod illis mediis diebus nihil ſibi ſomnianti, ſive vigilantī contigerat, quod in litteras mittendum videretur.

Præterea non ſolum in diebus Poſideonis numerandis Canterus erravit; verum etiam dum eundem menſem cum Decembri pari dierum numero decurrentem exhibet. Ariſtides Hadrianis in Myſia Aſiæ proconſularis provincia natus, Smyrniam ut plurimum incoluit, ubi & dignitates obtinuit, ac ibidem honori-

norifice habitus fuit ab Imperatore M. Aurelio, cum A. V. Romæ 929 Aliam perlustraret; ad quem etiam de Smyrna motu terræ postea collapsa, monodiam scripsit, ut ex ejusdem orationibus ac Philostrato lib. 2 de vitis Sophistarum intelligimus. Hinc cum mensem Posideonem appellavit, mensem eo nomine quo a pluribus in Ionia vocabatur, expressit. In marmore Arundelliano Smyrna in Angliam translato, dicitur foedus pro Antiochi Callinici Syriæ ac Asiæ regis majestate tuenda, Smyrnos inter ac Magnesios initum ΜΗΝΟΣ ΑΗΝΑΙΩΝΟΣ, *menſe Lænone*, quem mensem Posideoni proximum successisse ex laudato Aristide prænotavi, qui Posideonem diferte mensem fuisse hibernū testatur: *Menſis erat, inquit, Posideon, hieme qualem noſtis*. Ptolemæus lib. 7 magnæ Syntaxeos cap. 3 recitat observationem Astronomicam Timocharidis anno 36 primæ periodi Calippi, die 25 Posideonis, anno Nabonassari 454, Paophi 16, horis tribus post mediam noctem. Fuit annus ante Æram Christi 295, quo Thoþ cœpit juxta Astronomos in meridie diei 5 Novembris in anno Juliano proleptico; unde dies 16 Paophi deſiit 21 Decembris, quæ Atticis erat 25 Posideonis, qui menſis in anno ipſorum Lunari ut plurimum partim cum Decembri, partim cum Januario anni Juliani concurrebat. Plutarchus in Cæsare narrat, eandem bello Pompejano in Epirum cum claſſe tranſmiſſe *ſub brumale ſolſtitium, incunſe menſe Januario, qui Athenienſibus eſt Poſideon*. Cæſar vero lib. 3 bel. civil. ſcribit ſe ex Italia in Epirum tranſmiſſiſſe Nonis Januariis. Quamvis vero Nonæ Januarii in anno tunc luxato, inciderint circa medium Octobris, unde Plutarchi, Appiani, ac Flori errorem recte corrigit Uſſerius tom. 2 Annal. ad Annum periodi Julianæ 4665; Plutarchus tamen tempus navigationis memoratæ, juxta annum emendatum deſignans, Poſideonem jam tum Solærem apud plurimos Atticorum cum Januario compoſuit. Ita vero ille menſis ab Athenienſibus vocabatur, quod prima die ejusdem certamen Palladis ac Neptuni, qui *Πωρεϊδών Ποſιδών* Græcis vocabatur, annua religione celebrabant. Ariſtides in eodem ſermone primo narrat in Ionia quoque ante diem XVI Poſideonis peractos dies feſtos τῷ

Ποσειδών & *Neptuni*, a cuius solemnibus idem quoque mensis in Asia nomen acceperat. Ceterum apud Athenienses Posideoni succedebat mensis Gamelion; ubi in Ionia mensem Posideoni proximum nuncupabant Lenazem, uti ex Aristide ac laudato marmore Arundelliano colligimus. Seldenus ac alii qui eam Inscriptionem notis illustrarunt, memoratum Aristidis in Ionia scribentis testimonium neutiquam observantes, mensem Lenazem ab Hesiodo in lib. cit. de oper. & diebus nominatum, cum Juliano Febuario componunt. Verum ab Hesiodo Lenazem in anno Lunari Boeotiorum ponitur circa solstitium brumale, ita ut partim cum Decembri, partim cum Januario in anno Juliano decurreret. Enimvero ostensum est ex Galeno Aristidi synchro-
 no ac ex actis passionis S. Polycarpi, Asiaticos proconsulares, M. Aurelio Antonino imperante, annum Solarem servasse, quem a die 24 Septembris Romanorum auspicabantur. Duo vero priores anni menses, uti diximus, erant tricenarii; tertius vero unius ac triginta dierum, qui die 23 Decembris desinebat. Quare cum Posideon & mensis hibernus, & insuper tricenarius Aristidi describatur, erat idem plane Quartus anni Asianorum mensis in Ionia, ac die 24 Decembris inibat, ac a Bithyniis *Dionysius*, a Pergamenis, teste Galeno, aliisque passim Asiaticis proconsularibus nomine Macedonico *Peritius*; idem autem a Magnesiis ac quibusdam aliis in Ionia dicebatur Posideon, vetustiori nomine ac ante Macedonum in Asia imperium iisdem gentibus usitato. Ex his facile ejusdem Posideonis dies ab Aristide designati cum diebus Romanorum componuntur. Nam cum Posideon inierit die 24 Decembris, illius dies *duodecima* fuit quarta Januarii; dies *δεκάτη ὅσπερ* *vicecima prima* correspondit diei III Januarii; dies *τρίτη φθινόρη* & *tertia defcientis* cum XX Januarii decucurrit; ac denique post biduum die 22 ejusdem Januarii Posideone exeunte, incepit *Ἀναίσια* & *νύκτα* *Lenazem* *νεομενία* sive dies prima, quæ & Januarii vicecima tertia, quæ mensis Dystrus sive communi in Asia nomine Quintus inibat.

CAPUT III.

DE ANNO SOLARI SYRO MACEDONUM.

Syri a Macedonibus victi, annum ac nomina mensium Macedonica admisserunt. Annus in Syria ab autumno, non tamen ubique eadem die inchoatus. Scaliger ac Petavina S. Epiphaniis dicta non assequuti. Syriensem Hyperboreticum cum Romanorum, Octobri, Asiaticum cum Septembri componebant. Josephus in libris de bello Judaico menses anni Lunaris Judaorum, nominibus mensium Syromacedonum appellat. Idem semel mensem appellatum anni Solaris Tyrriorum adhibuit. Dies necis Galbae, Orbionis, ac Visellii eidem Josepho Romanis scriptoribus similiter designantur.

SYRIA quondam terrarum maxima & pluribus distincta nominibus, latius extendebatur. Etenim, ut inquit Plinius lib. 5. cap. 22, Palaestina vocabatur qua contingit Arabas, & Judaea, & Coele; ac dein Phoenice, & qua recedit intus, Damascus, & magis etiamnum meridiana Babylonia; & eadem Mesopotamia inter Euphratem & Tigrim: quaque transit Taurum, Sophene; citra etiam Commagene. Ita legimus cap. 28 Geneseos Mesopotamiam Syria; & lib. 2. Reg. cap. 8 dicitur David praesidium posuisse in Syria Damasci. Cum vero postea Parthi Babyloniam occupassent, & Mesopotamiam suis regulis pareret, utraque regione a Syria avulsa, haec angustioribus spatiis claudebatur. Nam Syria quae in Romanorum potestatem venit, ab Septemtrione Ciliciam & Cappadociam habebat; ab Occidente, Mediterraneo mari praeindebatur; ab Ortu vero eandem Euphrates terminabat; & a meridie Aegyptus & partim etiam Arabia Petraea. Cum vero Seleucus Nicator, occiso Antigono anno IV Olympiadis CXIX, Urbis Romae CCCCLIII superiorem Syriam occupasset, ac in plures abs se ibidem aut conditas, aut restauratas urbes, milites Macedones colonos deduxisset, Syri

victricis populi instituta amplecti, eorum sermone uti, annumque ac ejusdem menses Macedonicis nominibus appellare cœperunt. Judæi tamen qui in Syria censebantur, patrios & avitos ritus Dei lege sancitos servarunt, nec anni menses novis Macedonum nominibus nuncuparunt, quod alterum etiã ii Syri fecerunt, qui Græcorum idioma non receperunt, & præsertim in Mesopotamia, ubi etiã posteriori ætate non pauci Episcopi Syriace tantum loquebantur, Græcæ linguæ prorsus ignari. Nam in Synodo Calchedonenſi Act. X, ex gestis apud Berytum in causa Iba Edessæ in Mesopotamia Episcopi, legitur: *Rogamus ut ea, quæ dicuntur, dicantur Syria lingua propter sanctissimum Episcopum Uranium.* Et in Actis pseudosynodi Ephesinæ habetur: *Uranus Episcopus Himeria Osrhoena provincie, interpretante eo Eulogio presbytero Edesseno, dixit.* Theodoretus in lib. de vitis Patrum laudat Abramum Charrarum in eadem Mesopotamia Episcopum, qui ne intelligere quidem poterat linguam Græcam. Uti vero certum est Syros annum Lunarem Macedonicum servasse; ita incertum est, quandoam post Julianam Solaris anni correctionem, etiã ipsi, ut rerum Dominis Romanis morem gererent, solarem annum admiserint.

Syri annum solarem Macedonicum ab autumnno ordiebantur; quemadmodum Asiatici qui Asiam postea proconsularem a Romanis appellatam incolebant; hoc tamen ab ipsis discrepantes, quod ab Hyperberetæo annum inibant, cujus initium erat in Asia minori mensis Dius. Sanctus Hieronymus in illa initio prophetiæ Ezechielis: *Et factum est in trigesimo anno, in Quarto, in quinta mensis,* ait: *Illud intelligendum quod in tricesimo atatis sue anno Dominus ad baptismum venerit: in Quarto mense qui apud nos vocatur Januarius, & est in anni primus exordio, præter Nisan mensẽ novorum, in quo Pascha celebratur. Apud Orientales enim populos post collectionem frugum & torcularia, quando decima deferrebantur in templum, October erat primus mensis, & Januarius quartus.* Idem Hieronymus in cap. i Zachariæ de mense Hebræorum Schebat scribens ait: *Est autem in acerrimo tempore biemis, qui ab Aegyptiis Mechir, a Macedonibus Πλεγκτις, a Romanis Fe-*

Februarius appellatur. At Februarius est quintus mensis ab Octobri, & Peritius Macedonum itidem quintus ab Hyperberetæo. Hic vero Syromacedones ab Hieronymo intelligi inde constat, quod apud Asiaticos Macedones Dystrus cum Romano Febuario concurrebat. S. Athanasius in lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ celebratis pag. 678 ait: *Mensis erat a Romanis September, ab Aegyptiis Thoth, a Macedonibus Gorpiaus nominatus; ejus autem mensis decima sexta secundum Aegyptios.* At dies XVI Thoth cum decima tertia Septembris componitur. Galenus alias mihi appellatus lib. 4 de valet. tuenda cap. 8, laudat Cemenabietis circa Arcturi emersionem, *quo tempore*, inquit, *Roma quidem September mensis vocatus est; apud nos Pergami Hyperberetæus*, cujus dies XX. cum decima tertia Septembris copulabatur. Itaque Athanasius Syromacedonum Gorpizum ibidem appellat. Hujusce vero in ordinandis mensibus diversitatis Asianos inter ac Syros causam ab Alexandro Magno derivatam putant. Nam cum Alexander ad Granicum amnem Phrygiæ aciem contra Persas instrueret, *quidam Dasis mensis religionem observandam existimabant*, uti scribit Plutarchus in Alexandro; veteri enim instituto cautum erat, ne Macedones eo mense prælia committerent: *Quam rem facile correxit Alexander, ipsum Dasium secundum vocari Artemisium edicens.* Quare cum iteratus Artemisius Dasis locum occupasset, ceteri quoque menses veteri sede moti, in proximorum locum prorsus sunt; atque ita Hyperberetæus, qui in anno veteri Macedonum cum Juliano Septembri proleptico magna parte decurrebat, cœpit postea Octobri correspondere. At Asiatici vetustum ordinem servarunt. Hæc tamen subtiliter excogitata, quamvis memoratæ diversitatis causam probabilem faciunt, sine ullo tamen teste dicuntur. Enane cum id temporis menses essent Lunares, Alexander alterum Artemisium anno communi inferens, vetustum facile ordinem ac situm mensium restituisset, proximo anno alias embolismo, nullo mense intercalato. Hinc puto Syros annum Solarem recepisse anno corrente apud ipsos intercalari, quo cum Hyperberetæus magna sui parte cum Romanorum Octobri decurreret, alium ab Asianis eadem

dem situm in anno Solari assignarunt. Ptolemæus lib. 9 Syntaxeos cap. 7 referens ex libris Chaldaeorum quandam siderum observationem, ait: *Anno LXXV Chaldaeorum, Dii mensis XIV, Mercurius matutino tempore conspiciebatur supra lancem Austrinam sive meridionalem &c. Est vero tempus hoc annus DXII Nabonassari, LX mensis Thoth Ægyptiaci, sequenti decimo mane.* Anno Nabonassari qui fuit ab urbe Roma condita 517, ante Christum 237, Periodi Julianæ 4477, prima dies Thoth anni vagi Ægyptiorum incidit in diem XXI Octobris anni Juliani proleptici. Quare Neomenia Dii fuit die XVI Octobris, cui proxima exierat ultima Hyperberetæi, qui cum in anno Lunari modo maiorem, modo minorem partem Octobris occuparet, ad annum postea Solarem traductus, cum Octobri Romanorum æquatus fuit. Et quidem Syros pro arbitrio initium Hyperberetæi in Octobri fixisse probat varietas dierum, a quibus variæ in Syria gentes eundem mensem inibant. Nam Antiocheni Hyperberetæum Kalendis Octobris auspicabantur, uti patet ex Evagrio; itemque Cæsarienses in Palæstina, ex Eusebio passim in libro de Martyribus Palæstinis. At Tyrii neomeniam sive diem primam Hyperberetæi a diè 19 Octobris deducebant, cujus initium Gazenses a 23 Septembris capiebant, omnesque menses habebant tricenarios. At alii Syri a sequenti diè 24 Septembris Hyperberetæum inchoabant, ita ut menses aliquos servarent tricenarios, alios unius & triginta dierum. Sanctus Epiphanius in lib. de mens. & ponder. scribit Valentiniarum II laqueo necatum *Sabbato pridie Pentecostes &c. In ipsa autem die Pentecostes elatus est.* Erat autem tunc secundum Ægyptios Pachon XXI, juxta Græcos Artemisii mensis XXIII, secundum Romanos XVII Kal. Junias. Hic fuit annus Christi bissextilis 392, quo Dominica Pentecostes incidit in diem XVI Maji, apud Ægyptios Pachon XXI, Cyclo Solis IX, Lunæ XIII, lit. DC. Arcadio Augusto II & Rufino Coss. quo anno ab Idacio & Prospero rex Imperatoris Valentiniiani recte statuitur. Scaliger ac Petavius anni Syromacedonum formam ab Epiphanio propositam neutiquam assequuti sunt. Etenim ille lib. 5 de emend. Temp. pag. 482 ait: *Sed obscurum quod addit Epiphanius eam, nempe diem*

em XVI Maji, fuisse XXIII Artemisii secundum Græcos, hoc est, Syro-græcos. Erat enim XVI non XXIII. Artimysius Syromacedonicus est purus pater Majus Julianus. Easdem fere voces licet adversarii, reddit Petavius in notis Epiphaniæ: Si Artemisii, inquit, vice-sima tertia dies est Maji Juliani XVI, caput Artemisius Aprilis XXIII. At tum nova & inaudita mensuræ dispositio nascetur. Nam ἑλλὰς-
 ves sunt Syromacedones, quorum menses Juliani sunt. Neuter varia initia annorum apud Syromacedones ab Epiphania indicata intellexit. Nam quemadmodum Macedones Asiatici annum a die 24 Septembris inibant, ita alii Macedones Syri ab eadem die anni initium capiebant; hoc tamen inter utrosque discrimine, quod Asiatici Hyperberetæum: illi vero Syri Dium primum anni mensem habebant, ut de Gazensibus demonstrabo; quamvis hi mensem Dium a die 28 Octobris inirent. Jam vero si a 24 Septembris usque ad 16 Maji anni Christi bissextilis 392. dies colligantur, fit summa dierum 236, quot pariter numerantur a prima Hyperberetæi ad XXIII Artemisii, e septem mensibus ante Artemisium quatuor positis tricenariis, ac tribus dierum XXXI, uti in diagrammate Anni Macedonum Asianorum cum Usserio exposui, in quo priorum septem mensium quatuor sunt tricenarii, tres vero unius ac triginta dierum. Tyrii annum suum ab Hyperberetæo inibant die 19 Octobris apud Romanos; Gazenses autem, uti dicebam, a mense Dio, cujus initium cum 28 ejusdem Octobris componebant. Hinc fortasse alii in eadem Syria annum a 24 Octobris auspicabantur, cujus primum mensem, uti Gazenses, Dium habebant. At a 24 Octobris ad diem 16 Maji anni bissextilis dies 206 numerantur, quot plane colliguntur ab initio mensis Dii ad 23 Artemisii, ex sex integris mensibus Artemisium præcedentibus partim tricenariis, & partim dierum XXXI. Hic autem alter Epiphaniæ explicandi modus probabilior videtur, quod Syromacedones annum ab Octobri id temporis auspicabantur; licet non eadem die Juliani Octobris eidem initium concorditer darent, ut suo inferius loco mihi demonstrabitur.

In gestis Schismaticorum in Synodo Ephesina recitatur epistola, quam Joannes Patriarcha Antiochenus cum collegis O-

rientalium Episcoporum Legatis Chalcedone Ephesum ad suæ factionis Antistites misit; ibi vero hæc leguntur: *Expectamus autem hodie, hoc est, undecima mensis Gorpiaz, transitorium pientissimum nostrum Regem ad Rufinianum, & illic causam auditurum.* In vetusto codice Cassinensi, quæm ex variis Patrum epistolis conflatum edidit incomparabilis eruditionis scriptor Christianus Lupus, juxta aliam interpretationem cap. 26 legitur: *Sustinemus vero præsentis die, id est, Gorpiaz mensis undecimo, Imperatorem piissimum transire, atque in Rufinianis causis audientiam facere.* Uterque interpresensem juxta Græcum codicem Syromacedonum nomine expressit. Joannes Antiochenus alique sex cum eodem Schismaticorum Legati erant in Syria Episcopi; siquidem Himerius Nicomediensis Metropoli ex eorundem numero nondum Chalcedonem advenerat, ut ibidem testantur. Hinc Syri ad Orientales scribentes, Gorpiazum mensẽm populari vocabulo eoque jam inde a Macedonum regno usitato appellarunt; uti Cyrillus scribens ad Clerum ac populum Alexandrinum in literis Epheso datis, ait Nestorium damnatum fuisse *die vicesima octava mensis Payni* juxta suos Egyptios, nempe die 22 Junii Romanorum. Porro laudatus Lupus in Notis ad idem cap. 26 ait: *Epistola data est undecimo Gorpiaz mensis, qui est quartus dies Romani Septembris.* Ex quo lucet, quod Legati sub Augusti finem advenerint Chalcedonem. Ita vir summus Usserii opinionem secutus est, qui cap. 4 de Anno Solari Asianorum pag. 41 in diagrammate tradit, Antiochenos mensẽm Gorpiazum die 25 Augusti Romanorum inchoasse; unde undecimus ejusdem Gorpiaz cum die quarto Septembris componitur. At Syri suos menses in anno Solari jam recepto, una cum Romanorum mensibus auspiciatos fuisse ex Sanctis Anatolio Laodicensi, Epiphanio, itemque Eusebio Cæsariensi, qui ante Ephesinam Synodum vixerunt, satis superque probatum est, quod ipsum ex Evagrio, Joanne Malela Antiocheno, aliisque posterioribus scriptoribus constat. Inter epistolas quæ post Act. VI Synodi Ephesinæ recitantur, extant literæ quorundam Episcoporum Constantinopoli ad Ephesinos Patres conscriptæ, quæ initio notantur datæ *die vicesima mensis* Me-

Mesori Egyptiorum, id est, decima tertia Augusti juxta Romanos. Illi vero petunt, num opus sit ipsos quoque Ephesum ad Synodum proficisci; vel potius in regia urbe remanere; *nam*, inquit, *Et Dei amantissimus Et piissimus Imperator propter adorandum Deum, meliora de nobis cogitare dicitur.* His vero literis Synodus Ephesina reposuit Epistolam, cujus initium est: *Qui ita affecti sunt Et c.* At constat utramque epistolam scriptam fuisse, antequam Orthodoxorum ac Schismaticorum Legati jussu Theodosii Augusti, ad Comitatum destinarentur. Nam in laudatis literis scribit Synodus: *Tam arcte enim terra marique nunc obsidemur, ut nihil eorum quae eveniunt, vestra sanctitati significare potuerimus; & in fine addunt se alteram relationem Imperatori Theodosio offerendam transmittere.* Nondum ergo Legati discesserant; siquidem hi universa in Synodo gesta, Principi postea renuntiaverunt, ac literas Synodi ad quoscunque in regia urbe degentes ullo sine impedimento detulerunt. At priores literæ scriptæ Constantinopoli die 13 Augusti, vix nono die Ephesum pervenerunt, quæ urbs erat in Ioniz confiniis prope Cariam. Et quidem V. C. Lupus in notis ad cap. 21 pag. 83 ait: *Proinde Irenæus Epheso abire non potuit nisi circa Julii medium, nec nisi ad ejus finem pervenisse Constantinopolim.* Quare Ephesus itinere XV dierum Constantinopoli distasse eidem putatur; quod rursus repetit in notis ad cap. 21 pag. 112. Ex Itinerario Antonini Constantinopoli Calchedonem M. P. IV per fretum numerantur; inde Nicæam Bithyniæ M. P. CV. Itaque Calchedone Nicæam erat iter quatuor circiter dierum. Nicæa in ultimo sinu Ascanii lacus sita erat, ex Plinio lib. 5 cap. 32, Vuillelmo Tyrio lib. 3 de bello Hierosol. cap. 6; qui lacus *mira latitudinis ac longitudinis* dicitur Alberto Aquerensi lib. 2 de eodem bello cap. 24, ac describitur Jacobo Sponio part. 1 Itinerarii pag. 215. Idem verò Sponius a proxima huic lacui mansione, quæ *Loupadi* incolis dicitur, Smyrnam usque iter quinque dierum enumerat; Smyrna vero Ephesum intra diem ac dimidium idem pervenit. Itaque Calchedo itinere decem dierum Epheso distabat. Hinc literæ scriptæ Constantinopoli die 13 Augusti, ante 23 ejusdem mensis Ephesum nequitquam dela-

ta sunt. Ar nondum hac die Legati utriusque partis ad Comitatum evocati fuerant; ut ex rescriptis a Patribus Synodi intelligimus. Quod si fingamus eosdem legatos post biduum evocatos, videlicet die 25 Augusti; aliud insuper biduum infumendum fuit, quo a Synodo ii deligerentur, quibus publicam legationem imponerent, ac mandatum eisdem consignandum traderetur, quod legitur ante Act. VII pag. 779 tom. 3 Concil. postremæ edit. Parisiensis; ubi & octo Legatorum nomina recitantur. Quamvis vero Legati circa diem 28 Augusti Epheso discessissent, sexta tantum Septembris die Calchedonem pervenire potuerunt, quo etiam totidem Legati Schismaticorum se contulerunt. Et hi quidem una cum Orthodoxis apud Calchedonem regio ~~mandato~~ sistere iussi, ad suos scribere se expectare Imperatorem ea die, nempe *undecima mensis Gorpizai*, Calchedonem ad partium querelas audiendas transmissurum. Ex his patet mensem Gorpizai nentiquam a die 25 Augusti inchoatum, ita ut illius undecima cum quarta die Septembris decurreret; siquidem hac quarta Septembris die nondum Legati Calchedonem pervenerant, quorum tamen adventus una aut altera saltem die Theodosii Augusti eandem in urbem transmissionem præcessit, quæ contigit undecima Gorpizai, id est, undecima die Septembris. Hinc intelligimus Actionem VII Synodi Calchedonenfis, quæ dicitur celebrata *pridie Kalendas Septembris*, habitam fuisse S. Cyrillo ac Memnone Ephesio sub militari custodia positis, ac Arcadio Episcopo & Philippo Presbytero Apostolicæ Sedis Legatis una cum sex aliis collegis a Synodo ad Principem missis, una cum Relatione ad eundem Augustum, quæ duo in Actis Ephesinis etiam laudatæ Actioni VII proxime præponuntur.

Josephus in libris de bello Judaico menses Syromacedonum sæpius appellat; nec sibi scriptores conveniunt in eisdem mensibus apud eundem exponendis. Nam Scaliger lib. 5 de emend. Temp. pag. 444, Baronius in Annal. ad annum Christi 72 & Usserius tom. 2 Annal. ad A. Christi 70 putant, Josephum intelligere illis in libris menses Syrorum Solares, qui cum Romanis pari dierum numero decurrerent. At Petavius lib. XI doctr.

Temp.

Temp. cap. 17, Bucherius cap. 8 de Paschali Judæorum Cyclo, ac Langius lib. 1 de annis Christi cap. 9 scribunt, Josephum uti ibidem mensibus Judaicis Lunaribus, nomine tamen Macedonicorum mensium expressis. Denique Petitus lib. 4 Eclog. Chronol. cap. 15 contendit eundem menses Lunares designare juxta periodum Macedonicam, quam ille scriptor comminiscitur. Hæc mihi paucis excutienda sunt. Josephus lib. 7 de bello cap. 12 scribit: *Modo ante defectianem primosque belli motus, populo conveniente ad diem festum Azymorum, octavus erat dies mensis Xanthici* (*ἡ δὲ ἡμέρα τῶν ἑξαήμερων μῆνης*) *hora nona nocturna, circa aram itemque templum tantum lumen effulsit &c.* Baronius interpretem, Josephi secutus, ad annum Christi 68, qui est æræ vulgaris 66 C. Suetonio Paulino & Cajo Luccio Telefino Coss. ut ex Ariminensi Inscriptione Gruteri pag. 1102 & Dione in Nerone, secundi Consulis prænomen ac familiam restitui in additis ad epistolam Consularem, scribit num. 34, illud prodigium contigisse Hierosolymis *hoc eodem anno, octava Aprilis*; Xanthicum apud Josephum pro Romanorum Aprili accipiens. Verum eo anno Romæ 819 Paulino ac Telefino Coss. Novilunium Paschale contigit juxta meridianum urbis Romæ secundum medium motum, die 14 Martii Hor. 10, 17, 21" post meridiem; ac proinde die 15 Martii fuit Luna prima, Cyclo Lunæ X, Solis XIX, lit. E. feria Sabbati. Plenilunium fuit die 29 Martii, Hor. 4, 39, 23" post meridiem; unde etiam juxta Cyclos Christianorum Pascha eo anno signatur die 30 Martii a Dionysio Exiguo tom. 1 operum Bedæ pag. 31, & ab ipso etiam Beda pag. 360. Itaque certum est illud miraculum non contigisse anno æræ Christi 66. At anno superiori 65 urbis Romæ 818 A. Licinio Nerva Siliano & M. Vestino Attico Coss. ut hoc quoque collegium emendavi pag. 43 ejusdem epistolæ Consularem, Novilunium Paschale fuit die 25 Martii, Hor. 1, 28, 43" post meridiem juxta urbis Romæ meridianum; nempe hora 4 post meridiem Hierosolymis. Ptolemæus statuit Romam sub altitudine Graduum poli 41, 40. Hierosolyma vero Grad. 31, 40. Ricciolus vero post examinatas aliorum opiniones lib. 7 & 9 Geogr. reform. locat Romam sub Grad. 42, 0. Hierosolyma vero sub

Grad. 32, 0. Itaque differentia meridiani Romani ac Hierosolymitani est horarum duarum; licet juxta aliorum opiniones quædam minuta desint, de quibus hic superfluum est disputare, cum satis sit notare duabus circiter horis meridianum Hierosolymorum Romanum præcedere. Jam vero Plenilunium Paschale eo anno Christi 65 accidit die 9 Aprilis, hor. 4, 10' ante meridiem. Quare cum Luna XIV cœperit die VII Xanthici Solaris sive Aprilis jam ad occasum declinante, Hebræi ad vesperam ejusdem diei potuerunt Pascha, agno immolato, celebrare, ac die infrequenti octava Xanthici Azymorum diem primam peragere. Hinc Josephus quibusdam videtur nomine Xanthici ipsum Solarem Syromacedonum mensem indicare, qui Romanorum Aprilis correspondebat. Verum qui putant Lunares menses ibidem a Josepho designari, facile reperiunt eundem diem VIII Xanthici notare, non qua festum Azymorum celebratum est, sed quam memoratum prodigium Hierosolymis contigit, populo Judæorum ex diversis Orbis provinciis Hierosolyma conveniente ad festa Paschalia die XIV Xanthici sive Nisan Judaici peragenda. Et cum Josephus annum, quo prodigium illud contigit, non designet, æque poterit etiam referri cum Baronio ad annum Christi 66, quo bellum Judaicum cœpit. Hæc magis etiam exponuntur in examine proximi testimonii ex eodem Josepho appellati, in quo rursus alterius anni Pascha metioratur.

Nam lib. 6 de bello cap. 4 ait: *Instante die Azymorum decima quarta mensis Xanthici (hoc enim se primum tempore opinatur Judæi ab Aegyptiis esse liberatos) &c.* Narfat gesta initio obsidionis Hierosolymorum, quæ contigit A. V. Romæ 823, Æræ Christi LXX Vespasiano Augusto II & Tito Cæsare Coss. ex Tacito lib. 5 Hist. Josepho & aliis. Baronius in Annal. tom. 1 ad annum Christi 71, siquidem biennio vulgarem Christianorum Epacham prævertit, num. 2 ait: *Quidnam est quod Josephus anno obsidionis & excidii Hierosolyma incidisse dicat diem Azymorum in decimam quartam mensis Aprilis, quod cum nullo poterit convenire, nec Astronomico, nec Cyclico, neque Judaico computu, nec Christiano; additque eo anno, quo & secundus annus Vespasiani incipit; diem decimam quin-*

quintam mensis Nisan secundum omnem motus Lunaris computum vigesima secunda die Aprilis, vel modo civili tardius contigisse. Vir summus in Ecclesiastica historia Lunares Cyclos minus perspectos habuit; & quod miror, neque Paschales Cyclos tomo priori operum Bedæ descriptos consuluit; imo & Lunam XIV Paschalem Judæorum ad vicesimam usque secundam diem Aprilis extendit. Nam Judæi Lunam XIV qua Pascha celebrabant, ad diem tantum sextamdecimam Aprilis diffundebant. Sanctus Ambrosius in epistola Paschali ad Episcopos per Æmiliam scribens de Paschate anni Christi 387 ait: *Denique in futurum Judæi duodecimo, non primo mense celebraturi sunt Pascha, hoc est, decimotertio Kal. Aprilis secundum nos.* Quo anno ait ab sua Mediolanensi Ecclesia Pascha celebrandum fore *septimo Kal. Maji.* Neomenia Paschalis eo anno juxta Cyclos Theophili Alexandrini, fuit die V Aprilis, Luna vero XIV incidit die XVIII ejusdem mensis, quæ cum esset Dominica, in proximam Dominicam 25 Aprilis Pascha dilatum fuit, uti etiam testatur S. Proterius Alexandrinus Antistes ac Martyr in Epistola ad S. Leonem Magnum. Eo autem anno 387 Novilunium secundum medium motum contigit Romæ die 6 Martii, Horis 2, 53, 14" ante meridiem. Quare Luna XIV exivit die XIII Kal. Aprilis, id est, 20 Martii, qua Hebræi, teste Ambrosio, in Italia Pascha celebrarunt, ne proximam Lunam Aprilis cum Christianis pro Paschali accipientes, Lunam XIV præter morem ad diem 18 Aprilis prorogarent. Et quidem etiam Romanam Ecclesiam sub initium quinti sæculi reculasse festum Paschatis ad diem 22 Aprilis protrahere, tradit diserte Paschasinus Episcopus Lilybitanus, Apostolicæ Sedis in magna Synodo Calchedonenſi Legatus, in Epistola ad S. Leonem Magnum: *Tempore, inquit, beata recordationis domini mei prædecessoris vestri Zosimi, anno consulatus Honorii Augusti XI & Constantii II, nempe ex Fastis anno Christi 417, ne decimo Kal. Maji dies Pascha teneretur, celebratum est VIII Kal. Aprilis, id est, pro embolismo communis est annus tentus, & error gravissimus est ortus &c.* Eo anno Christi 417 juxta Cyclos Alexandrinorum, quos postea universa Ecclesia secuta est, Pascha contigit die 22 Aprilis, Luna

XIX.

XIX. At Romana Ecclesia, ne tam longius Paschale festum prorogaret, præcedentem Lunam Martii pro Paschali accipiens, Pascha die 25 Martii celebravit. Et sane Lunam XIV Paschalem non ultra diem XVIII Aprilis diffundi, Alexandrini harum rerum scientissimi docuerunt. Unus S. Cyrillus audiatur in prologo sui Cycli: *Quæ quidem, inquit, Luna efficitur decima quarta a XII Kalendarum Aprilium die, usque in XIV Kalendarum Maji.* Ex his patet Baronium nec Judæorum nec Alexandrinorum Patrum Cyclos attendisse, cum scripsit eo anno quo Vespasianus alterum imperii inivit, qui fuit vulgaris Æræ Christi LXX, *diem decimam quintam Nisan secundum omnem motus Lunaris computum vigesima secunda die Aprilis, vel modo civili tardius contigisse,* ac proinde apud Josephum pro die 18 decima quarta legendum esse $\alpha \beta$ *vicecima secunda Xanthici.* Quæ correctio ex hætenus dictis refellitur.

Jam vero laudatum Josephi testimonium diligentius expendendum est. Eo anno Christi 70, quo Hierosolyma a Tito Cæsare obfessa sunt, Novilunium Paschale secundum medium motum, ad meridianum urbis Romæ, fuit die trigesima Martii hora 1 ante meridiem. Anticipa horas duas, habebis Novilunium, juxta meridianum Hierosolymorum. Verum juxta eos, quibus modo Judæi utuntur, Cyclos, neomenia Nisan die 31 Martii statuenda est, quo etiam die Lunam primam Paschalem produnt Cycli Dionysii Exigui ac Bedæ, in quibus Luna XIV Paschalis die 13 Aprilis signatur. Josephus laudato loco obsidionem Hierosolymorum describens, ait: *Instante die Azymorum decima quarta mensis Xanthici.* Petitus cit. pag. 283 contendit designari a Josepho mensem Lunarem Syromacedonum, cujus neomenia cum Kalendis Aprilis ab eodem Petito componitur, cum neomenia Nisan Judaici, ut ille ait, die 31 Martii contigerit. Hujusce vero opinionis rationem ex laudatis Josephi verbis arcessit, qui ait: *Instante die Azymorum decima quarta mensis Xanthici;* etenim dies Nisan XIV erat dies Paschatis; dies vero XV Nisan erat prima solemnitatis Azymorum. Quare cum Josephus diem XIV Xanthici vocet diem Azymorum, nomine Xanthici non expri-

exprimit Judaicum Nisan, sed Lunarem mensē Syromacedonum, cujus dies XIV eo anno cum XV Nisan concurrebat, quæ prima erat solemnitatis Azymorum. Hæc tamen opinio lubrico nititur fundamento; quia apud Judæos ipsummet Pascha dies Azymorum vulgo dicebatur. Ita Lucæ XXII. initio legitur *Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* Ipse etiam Josephus lib. 10 Antiquit. cap. 5 scribit Josiæ regis jussu populum Hierosolyma advocatum, ad celebrandam *Azymorum festivitatem, quæ dicitur Pascha.* Et quidem Deus cap. XII Exodi jubet agnum servari *usque ad quartam decimam mensis hujus, nempe Nisan, & postea ait: immolabisque eum universa multitudo filiorum Israël ad vespertam.* Et postea v. 18. *Primo mense quattodecima die mensis ad vespertam, comedetis Azymos usque ad diem vigesimam primam ejusdem mensis ad vespertam.* Itaque solemnia Azymorum a vespere diei XIV Nisan inibant, quæ etiam die pariter ad vespertam agnus Paschalis immolabatur. Hinc Pascha & Azyma eadem die celebrabantur; quamvis Azymorum solemnia integra hebdomade agerentur uno insuper die addito. Præterea incompertum est, num Judæi ante excisam Hierosolymam, ad neomenias designandas, Astronomicis calculis, vel potius Cyclis uterentur, vel easdem a phase tantum indicarent; quo potremo modo usos fuisse vetustiores eorundem Rabbinæ tradunt apud Langium lib. 1 de annis Christi cap. 6; quam & ipse sententiam sequitur, uti & Petavius lib. 2 doctr. Temp. a cap. 30 ad 43, alique plures, quos inter Panvinius in Fastis ad A. V. 786, quorum sententiæ diserte favet vetus Auctor apud Clementem Alexandrinum lib. 6 Strom. scribens de Judæis: *Et nisi Luna appaverit, non agunt Sabbatum, quod dicitur primum, neque agunt neomeniam, neque Azyma, neque festum, neque magnum diem.* Cum vero anno Christi 70 Novilunium Astronomicum juxta medium motum fuerit Hierosolymis paulo ante meridiem diei 30 Martii, ac phasis Lunæ post horas 27 haberi possit, prima dies seu neomenia Nisan eo anno ex phase fuit Kalendis Aprilis, ita ut dies XIV Nisan Judaici corresponderit diei XIV Xanthici Solaris Syromacedonum ac XIV pariter Aprilis Romanorum. Hinc ex

laudato Josephi testimonio neutiquam probatur eundem ibidem Xanthicum Solarem Syromacedonum appellasse, cum a phase neomenias Nisan deducta, ejusdem dies XIV cum die pariter XIV Solaris Xanthici eo anno componatur; etenim quandoque dies mensium Lunarium Hebræorum cum diebus mensium Solarium Syrorum ac Romanorum conveniebant. Ita Josephus lib. 3 belli cap. 13 scribit, Jotapata a Vespasiano deleta fuisse *Πανεμυ νηρηία, die prima Panemi*; & antea cap. 10 ait Romanos eandem urbem aggressos *εκαδέ μὲν ἐν Δαυὶδ μηνὲς, die viceſima Δαβὶ μηνός*. Hæc gesta sunt anno Christi 67, quo Novilunium Nisan juxta medium motum ad meridianum Hierosolymorum fuit paulo ante noctem, quam sequebatur dies tertia Aprilis, quæ proinde, si ex calculis Astronomicis neomenias colligebant, fuit prima dies Nisan. Ita dies 20 Sivan Judaici, qua Romani memoratæ urbis mœnia aggressi sunt, fuit viceſima etiam Δαβὶ Solaris; & rursus neomenia Tamuz Lunaris mensis Hebræorum fuit dies prima Panemi Syromacedonum, quæ die Jotapata diruta fuisse qui eidem urbi cum imperio præerat, Josephus testatur. Interim adverto Josephum lib. 2 Antiq. cap. 5 scribere Moysen populo jussisse, ut sacrificium paratum haberent *tertiam decimam Xanthici mensis in quartam decimam, qui apud Aegyptios Pharmuthi vocatur*; Macedones vero ipsum appellant Xanthicum. Pharmuthus mensis semper apud Aegyptios fuit Solaris, & ætate Josephi inibat die 27 Martii. Hinc quoties dies XIV Nisan Judaici cadebat inter 18 ac 27 Martii, Judæi Pascha celebrabant mense apud Aegyptios Phamenoth. Ita anno Christi 387, uti in laudata epistola scribit S. Ambrosius, Judæi egerunt Pascha die 20 Martii juxta Romanos; at *secundum Aegyptios*, inquit, *viceſimo quarto die Phamenoth mensis*, qui erat 10 Dystri Solaris Syromacedonum. Quare uti Josephus Lunarem syrorum popularium Nisan notiori nomine Pharmuthi Solaris Aegyptiorum mensis, quo sæpius, quam mense Phamenoth, Pascha contingebat, exposuit; ita potuit Xanthici quoque Solaris nomine, Nisan Judæorum exteris nationibus ignotum indicare.

Idem Josephus lib. 7 belli cap. 15 narrat jussu Titi milites con-

construendis aggeribus distributos, *Loi mensis vicefima*; eosque cap. 16 ait perfectos *septima Gorpiaz mensis, decima octava die*, videlicet ab opere incœpto. Si Lous ponatur Solaris Augusto mensi æquatus, a decima ejusdem ad 7 Gorpiaz, id est, Septembris Romanorum, dies undeviginti numerantur, qui cum octo, decim tantum Josepho colligantur, nomine Loi suorum popularium Lunarem Ab mensum dierum 30 intellexit. At facile reponetur, Josephum ab eo numero diem 20 Loi excludere, quo aggeres jussu sunt construi; vel ex parte posteriori ejusdem diei ac priori septimi Gorpiaz unum integrum diem conflasse. Ita antea lib. 6 cap. 12 scripserat: *A Romano enim duodecimo die mensis Artemisis aggeres inchoati, vix nono & vicefimo perfecti sunt, cum septemdecim dies continenter laborassent.* Ubi a 12 Artemisii ad 19 ejusdem diei, uno termino excluso, septemdecim dies numerat. Idem historicus lib. 2 cap. 17. narrat festo die, qui Xylophorias dicebatur, cum omnes ligna ad perpetuum ignem servandum in templum convherent, seditiosos publica archiva, domum Pontificis, ac regis Agrippæ palatium incendiisse; quibus narratis ait: *Postridie autem decimaquinta mensis Loi fecerunt impetum in Auloniatu*, munitissimam ibidem turrim. Scaliger lib. 7 de emend. Temp. pag. 609 scribit hæc contigisse anno Christi 65, Cyclo Solis XVIII, quo neomenia mensis Ab Judaici cœpit Julii 24, feria IV, ac proinde dies 14 Loi Solaris, quo festum Xylophorias ex Josepho agebatur, erat XXII mensis Ab. Sed neque ex hoc testimonio menses apud Josephum Solares colliguntur. Nam cum in Calendariis Hebræorum, utpote post excisum templum descriptis, dies festi Xylophorias non signetur, sed ejus tantum mentio lib. 2 Esdræ cap. X & ultimo habeatur, nec die, imo nec mense ibidem designato, nihil inde discimus, quo mensium apud Josephum ratio sive modus indicetur. Errat tamen Scaliger eum tumultum referens ad annum Christi 65, qui plane anno sequenti proximo 66 contigit, ut Ulserius tom. 2. Annal. aliique prænotarunt. Hoc autem anno cum neomenia Nisan fuerit die 15 Martii, ut antea dixi, Ab Judaicus cœpit die XI Julii; illius vero XIV, qua solemnitas Xylophorias celebrabatur, fuit die 24 Julii, feria

V, Cyclo Solis XIX, lit. E. Nam proxime ostendo locupletissimo Josephi testimonio menses Lunares illis in libris nominibus tamē Solarium mensium Syromacedonum designari.

Præterea Josephus lib. 7 belli cap. 9, notans tempus combusti a Romanis Templi Hierosolymitani, scribit fuisse *diem decimam mensis Loi*, qua pariter prius etiam templum ab exercitu regis Nabuchodonosor incensum fuerat. Petitus pag. 285 ait, certissime sibi constare erratos esse apud Josephum eorum dierum numeros; siquidem Judæi in suis Kalendariis utriusque templi combustionem recitant die 9 mensis Lunaris Ab. Sed haud necesse est ea Kalendaria consulere, cum Jeremias cap. LII, 12 scribat: *In mense autem Quinto, decima mensis, ipse est annus nonus decimus Nabuchodonosor regis Babylonis, venit Nabuzardan princeps militia, qui stabat coram rege Babylonis in Jerusalem. Et incendit domum Domini, & domum regis.* Cum ergo Jeremias, qui id temporis vivebat, & destructo nuper templo, ac populo in captivitatem abducto, sacram monodiam, quæ Threni dicitur, recitavit, testetur prius Templum conflagrasse die decima mensis Quinti, id est, Ab, & Josephus, qui postremi Templi excidio interfuit, scribat idem die decima Loi flammis absumptum, frustra a Petito mustea illa Judæorum Kalendaria appellantur. Petavius lib. II cap. 17, cum advertat a Josepho affirmari utrumque templum eadem die incensum fuisse, ac constet prius templum die decima Lunaris Ab. conflagrasse, eadem quoque decima Loi Lunaris, quo notiori nomine Josephus gentilem Ab indicavit, alterum quoque templum incensum existimat. Verum Romani Parilia Urbis die 21 Aprilis tum in anno Lunari, tum etiam postea Solarī celebrarunt; & Tacitus lib. 2 Hist. scribit Vitellium de cæremoniis publicis *decimo quinto Kal. Augusti edixisse, antiquitus infausito die Cremerensi Aliensique cladibus*; cum tamen illæ clades die 18 Quintilis Lunaris mensis contigerint; edictum vero Vitellii eadem die 18 Julii Solari, emissum fuerit. Cum anno Christi LXX, urbis Romæ 823, quo templum Hierosolymorum a Romanis incensum fuit, neomenia Nisan juxta posteriores Judæorum Cyclos fuerit die 31 Martii, Ab mensis Judæorum Quintus cœpit die

die 27 Julii. Quare dies decima Ab cum quinta Loi Solaris Syrorum, ac quinta pariter Augusti Romanorum concurret, qua postremum templum flammis absumptum fuit. Idem Josephus ibidem cap. 18 scribit Hierosolyma everfa fuisse a Romanis *anno secundo imperii Vespasiani, die octava mensis Gorpizi*. Hoc nomine Elul mensē Judæorum indicavit, qui cœpit die 26 Augusti; cujus videlicet dies octava fuit secunda Septembris, Dominica, Cyclo Solis XXIII, lit. G. Dio tamen in Vespasiano scribit: *Itaque Hierosolyma die Saturni, quem diem in primis Judæi colunt, conciderunt*. Hinc Baronius ad A. Christi 72 num. 18 ait eam urbem oppugnatam *septima die Septembris*; octava vero captam, *ipso die Sabbati*. Et sane cum eo anno dies 8 Septembris inciderit in Sabbatum, alii etiam cum Baronio ex collatis Josephi ac Dionis testimoniis, putarunt a Josepho nomine Gorpizi mensē Solarem Syromacedonum, pari dierum numero cum Septembri decurrentem, designari. Verum idem Dio lib. 37 scribit etiam antea a Pompejo Hierosolyma die Saturni expugnata, quod Judæi festo die propugnationem intermittentes, *Romanis eo libero spacio occasionem mari subruendi dederunt*. At dudum Hebræi eum scrupulam exuerant, ut patet ex lib. 2 Maccab. cap. II, 41 ac Josepho lib. 14 Antiq. cap. 8. Nam quamvis illi putarent haud sibi licere diebus Sabbati hostes ultro aggredi, vel eorum machinas disjicere vel incendere; vim tamen sibi ab hostibus illatam, salva feriatorum dierum religione, propulsandam esse ducebant. Petavius lib. II de doctr. Temp. cap. 17 scribit: *Templum quidem succensum est Augusti V, hoc est, Loi vel Ab Lunarium mensium decima die. Urbs vero capta Augusti XXXI feria septima, uti Xiphilinus ex Dione prodidit*. Erratum tamen est viro eruditissimo; cum enim proxime scribat anno Christi 70 novilunium mensis Elul fuisse *Augusti 25 feria septima*, perperam postea dies ejusdem mensis 31 feria septima dicitur, cum reapse fuerit feria VI, sive dies Veneris. Eo anno Elul mensis in anno Judæorum sextus, juxta hodiernos ipsorum Cyclos, cœpit die 26 Augusti; ejus vero dies octavus fuit secundus Septembris, idemque dies Dominicus, sive Solis, qui postremus urbi toto Orbe celeberrimæ illuxit. Josephus Elul nomine Gorpizi Macedonici exposuit, ut mox ostendo.

Idem Historicus lib. 5 belli cap. 13, five Græcæ edit. lib. 4 cap. 42, scribit Imperatorem Vitellium occisum fuisse τῆς τριτῆς μηνὸς Ἀπὲλλαίς, *die tertia mensis Apellæi*. In libro vero 12 Antiq. cap. 11 ait templum a Juda repurgatum *die 25 Casleu, quem Macedones Apellæum vocant*, cum illud antecetricanum ea ipsa die *quinta ac vicefima Apellæi mensis* rex Antiochus Epiphanes profanasset; quæ profanationis dies *quinta ac vicefima mensis Noni*, qui & *Casleu*, dicitur lib. 1 Maccab. cap. I, 53. 54. Ubi certum est Josephum suorum gentilium Casleu nomine Apellæi Lunaris exprimere, cum diem 25 Casleu vocet etiam 25 Apellæi. At difficile est plane assignare, quem ille Apellæum intelligat, cujus die tertia Vitellium interemptum scribit. Nam Apellæus Solaris Syromacedonum pari dierum numero cum Romanorum Decembri docurrebat. At ex Tacito lib. 3 Hist. Vitellius festis Saturnalibus, quorum prima dies agebatur XVI Kalendas Januarias, erat superstes, & ut ibidem ait, *XV Kal. Januarii* audita militum apud Narniam defectione, pullo amictu palatio digressus fuit. Itaque certum est Vitellium non fuisse occisum die tertia Apellæi Solaris. Sed nec die tertia Casleu sive Apellæi Lunaris idem interfectus dici potest. Nam cum anno Christi 70 novilunium Nisan juxta Judæorum Cyclos, uti prenotavi, fuerit die 31 Martii, anno superiori Christianæ Epochæ 69, quo Vitellius interiit, neomenia Casleu fuit die tertia Novembris; erat enim hic annus embolimæus, cujus mensis intercalaris Veadar cœpit Kalendis Martii. Quare dies tertia Casleu fuit quinta Novembris, postquam ultra dies 40 Vitellius imperavit. Scaliger lib. 5 pag. 443 de tempore imperii Galbæ, Othonis, ac Vitellii disputans, concludit nihil ex Tacito ac Suetonio colligi *præter argumenta, quæ incerta eorum Imperatorum initia, & vacillantes Scriptorum sententias magis prodant, quam explicant*. Baronius Latinum Josephi interpretem secutus, ad A. Christi 71 num. 5 ait: *Sed a Josepho idem dissentit Tacitus, dum ille tradit Vitellium occisum esse mensis Octobris die tertia; Tacitus vero mense Decembri*. Et quidem interpres, qui mensem apud Josephum lib. 2 belli cap. 24 *Hyperberetæum* Latine *Octobrem* vertit, insigni errore loco laudato tertiam diem Apellæi, tertiam Octo-

Octobris Latine reddidit. Cum Josephus anno, quo Vitellius interiiit, in castris Romanorum cum honore fuerit, ac paulo post diutius Romæ degerit, prodigio propius videri possit, eundem in designando non tantum die, sed etiam mense necis Vitellii aberrasse. Cum vero Josephus omnium accuratissime tempus imperii Galbæ, Othonis, ac denique Vitellii adnotaverit, suo veluti jure poscit, ut hæc ipsa paucis exponam. Nero semet interfecit die 9 Junii A. V. 821, *Æræ Christi* 68, C. Silio Italico & M. Galerio Trachalo Coss. Jam vero Galba a nece Neronis dicitur Josepho lib. 5 belli cap. 6 imperasse *mensēs septem ac totidem dies*. Tacitus lib. 1 Hist. ait: *Decimo octavo Kal. Februarii sacrificanti pro ade Apollinis Galba, baruspex Umbricius tristia exta & instantes insidias, ac domesticum hostem prædicit*; ac paulo post eadem die 15 Januarii, occupante imperium Othone, Galbam occisum tradit, cui similiter loquitur Suetonius cap. 19 in Galba. Porro a die 9 Junii, qua Galba, occiso Nerone, solus imperare cœpit, ad diem XV Januarii, qua idem Galba periit, numerantur menses septem ac dies septem; uti optime scripsit Josephus. Aurelius Victor idem testatur narrans Galbam interemptum *in mense imperii ac die septimo*.

Otho, qui Galbæ vitam cum imperio eripuit, dicitur Dionii imperasse *dies nonaginta*. Suetonius cap. ult. de vita ejusdem; tradit illum celeriter funeratum, *trigesimo octavo atatis anno, & nonagesimo quinto imperii die*. At Josephus lib. 5 cap. 8 scribit Othonem semet interfecisse, *postquam biduum tresque menses imperium tenuit*. Otho, cum *mane*, ut ait Suetonius cap. 19 citato, Galba sacrificaret, inde digressus, siquidem sacrificio eidem aderat, a militibus Imperator consalutatus fuit. Occiso vero Galba, eadem XV Januarii, *vergente jam die*, Otho in Senatum a prætore advocatum ingressus, coactum se dixit ad suscipiendum imperium &c. ex Suetonio cap. 7 ac Tacito lib. 1 laudato. Quare cum Otho ante necem Galbæ, Imperator salutatus fuerit, dies XV Januarii fuit Natalis imperii ejusdem, a qua menses tres ac biduum ejusdem principatus cum Josepho numerantes, erimus ad diem XVI Aprilis, quam Otho imperii ac vitæ sibi postremam fecit,

fecit. Otho, teste Dione, vixit *annos triginta septem, detractis diebus undecim*. Natus erat ex Suetonio cap. 2 de vita ejusdem, *IV Kal. Maji*, M. Furio Camillo Scriboniano & Cn. Domitio Ahenobarbo Coss. A. V. Romæ 785, Christianæ Ætæ 32. Adde annos vitæ illius 37, quot cum vixisse etiam Tacitus testatur, æris ad A. V. 822, Christi 69, quo die 27 Aprilis Otho annum vitæ 37 explevisset; cui tamen complendo cum dies XI defuerint, idem die XVI Aprilis suo se pugione interemit. Scribit de eodem Tacitus lib. 2: *Luce prima, in ferrum pectore incubuit*, nempe, sub auroram ejus diei XVI Aprilis. Cum vero dies XV Januarii fuerit Natalis imperii ejusdem, accuratissime tempus principatus Othonis a Josepho trium mensium ac bidui spacio circumscribitur. Dio nonaginta dies imperii eidem assignat, utrumque terminum excludens, cum tamen mane diei 15 Januarii imperium invaserit, ac pleraque jam Imperator eadem die egerit, quæ Tacito enarrantur. Suetonius triduum superaddit: Otho, inquit, *celeriter (ita præceperat) fateratur, trigesimo octavo ætatis anno, & nonagesimo quinto imperii die*. Hinc Panvinus lib. 2 Fast. ad A. V. 822 scribit, Othonem sibi necem intulisse XII Kal. Maji sive 20 Aprilis, *computatione satis certa*, addit Lipsius in notis, ad lib. 2 Taciti. At ea computatio Panvini tum in initio, tum in fine Imperii Othonis statuendo, erronea est. Nam vir insignis ait ex Tacito illum inivisse imperium XVII Kal. Februarias, cum Tacitus die anteriori *XVIII Kalendas Februarias* scribat. Idem postea Panvinus a die 16 Januarii cum Suetonio dies 95 enumerans, finem imperii ejusdem Othonis prorogat ad diem 20 Aprilis. Hoc vero egregio Taciti testimonio confutantur. Nam ibidem scribit: *Et mors Othonis quo laudabilior, eo velocius audita. At Roma nihil trepidationis. Cereales ludi ex more spectabantur, ut cessasse vita Othonem & c. certi auctores in theatrum accesserunt*. In veteri Kalendario Gruteri pag. 133 die 19 Aprilis legitur: CER. N. LVDI IN CIRCO, nempe *Cerealia* eo die agebantur; & in altero Kalendario a Lambecio tom. 4 Bibliothecæ Vind. edito, mense Aprili legitur: *XIII. Kal. Maji Cerealia*. C. M. XXIII, id est, *Circensium Missus XXIV*. Ita dies 19 Aprilis erat

erat postrema Cerealiū, qua Romam mortui Othonis nuntius pervenit. Cum ergo die 19 Aprilis inter solemnia Cerealiū, mors Othonis Romanis innotuerit, perperam idem die sequenti 20 extinctus dicitur; inde etiam recte ejusdem obitus die 16 Aprilis statuitur, ut Brixello ad Padum M. P. VIII Parma distante, intra quatrīdum nuntius occisi Othonis Romam, mutatis equis, pervenerit. Ex his patet Josephum diligentissime tempus imperii Othonis statuisse; Suetonium vero errasse, dum & Othonis vitæ annum & imperiō tres insuper dies superaddidit. Scio V. C. amicum meum insignem Chronologum pag. 203 Dissert. Hypaticæ scribere, Othonem mortuum quidem fuisse die XVI Aprilis, sed XIX ejusdem mensis sepulturæ mandatum, ac Suetonium de die funeris 95 ab inito Othonis imperio locutum esse. Est benigna, at falsa interpretatio. Nam Tacitus lib. 2 cit. narrata morte Othonis, ait: *Funus maturatum; ambisiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput, ludibrio futurum.* Idem ipsi etiam Suetonio dicitur *celeriter funeratus; ita praeceperat.* At non fuisset maturatum funus, si in quartum ab obitu diem illud milites distulissent.

Cum Josephus adeo exacte tempus imperii Galbæ, & Othonis adnotaverit, Vitellius eidem libro 5 cap. 13 dicitur occisus *die tertia Apellai*, a nece Othonis *octo menses & dies quinque potius imperio.* Dio in excerptis a Xiphilino, ait Vitellium imperasse, *ab eo die quo in Germania salutat⁹ fuit Imperator a militibus, annum unum, minus diebus decem; post Othonem vero menses octo, dies quinque;* Et hoc postremum Josepho similiter. Cum ergo Otho prima luce diei XVI Aprilis semet interemerit, eadem dies prima fuit imperii Vitellii post necem Othonis, ut proinde die XVI Decembris nonum imperii mensem inierit; unde cum occisus fuerit die quinta post mensem principatus octavum, idem die 20 Decembris interfectus fuit. Panvinus lib. 2 Fast. laudato, Pighius tom. 3 Annal. ad A. V. 821 alique scribunt, Vitellium periisse IX Kal. Januarii; uti enim mortem Othonis recitant die 20 Aprilis, ab eodem menses octo ac dies quinque imperii Vitelliani deducentes, die 24 Decembris Vitellium extinctum produunt. At cum demonstratum mihi sit Othonem die XVI Aprilis

lis extinctum fuisse, nex Vitellii XIII Kal. Januarii, sive die 20 Decembris recitanda est. Panvinus ac Pighius locis proxime laudatis scribunt Vitellium imperium inisse *III Nonas Januarii* Imperatore Galba II, T. Vinio Coss. A. V. Romæ a palilibus 822. At diem IV Nonas, seu secundam Januarii fuisse Natalem imperii Vitellii, ex Tacito ac Suetonio paucis ostendo. Auctor est Tacitus lib. I Hist. quartam ac duodevicesimam legiones *ipso Kalendarum Januariarum die* Imperatoris Galbæ imaginibus diruptis, in S. P. Q. R. verba jurasse; *ac nocte qua Kalendas Januarias secuta est*, legionum seditionem ab aquilifero epulanti Vitellio nuntiatam. Tum narrat *postero die*, id est IV Nonas Januarii, Fabium Valentem cum equitibus atque auxiliariis primæ legionis, quæ in proximo hibernabat, coloniam Agrippinam ingressum, Vitellium consalutasse *Imperatorem*, ac dein superiorem quoque exercitum *tertio Nonas Januarii* Vitellio accessisse. Itaque Vitellius die secunda Januarii primitus Imperator consalutatus fuit. Suetonius cap. 8 de Vitellio scribit: *Neque diei, neque temporis habita ratione, ac jam vespere subito a militibus e cubiculo raptus, ita ut erat in veste domestica, Imperator est consalutatus.* Dies IV Nonas Januarii erat postridie ejusdem Kalendas, ac proinde nefasta. Macrobius lib. I Sat. cap. 16 scribit: *Dies autem postriduanos ad omnia majores nostri cavendos putarunt, quos etiam atros velut infausla appellatione damnarunt*; veteri enim Pontificum decreto statutum fuerat, *postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus, atros dies habendos &c.* Hinc in laudato veteri Calendario apud Lambecium legitur ad IV Nonas Januarii *Dies Aegyptiacus*. Divus Ambrosius in epistola Paschali ad Episcopos per Æmiliam scribit etiam sua ætate plerosque veteri superstitione ductos, *posteros dies vel Aegyptiacos declinare consuevisse*. Plura de his scripsi in Cennotaphiis Pisanis pag. 373. Hinc Suetonius ait Vitellium *nec diei neque temporis habita ratione*, Imperatorem salutatum, quia erat dies postridie Kalendas Januarii, ac proinde atra & nefasta, quam ad omnia cavendam esse Pontificum collegium decreverat. Idem etiam Tacitus diem vitæ ac imperii Vitellii postremam indicat lib. 3 Hist. ubi narrate eundem intellecta suorum, militum apud

pud Narniam rebellionē, *decimoquinto Kalendas Januarias* pullo
 amictu palatio digressum, quasi imperium egeret, cum interim
 Senatores ac plerique equestres Ordinis viri domum Flavii Sabin-
 ni, fratris Vespasiani jam in Oriente imperantis, se contulerunt.
 At milites Vitellii captis armis, Imperatorem in palatium rever-
 ti, Sabinum vero vitæ servandæ causa, in Capitolium semet reci-
 pere coegerunt. Addit Sabinum in Capitolio obsessum *noctem
 adeo quietam egisse, ut digredi sine noxa potuerit.* Hæc die XVIII
 Decembris contigere. At Sabinus *luce prima*, inquit Tacitus,
 nempe illucescente die XIX Decembris, Martialem cum man-
 datis ad Vitellium misit. Verum *vix dum regresso in Capitolium
 Martiale*, furentes milites sine duce, cito agmine Capitolium
 aggressi, ipsum incenderunt, captumque Sabinum necarunt,
 cuncta sanguine, ferro flammisque miscentes. Interea Flaviani
 Duces, qui Oriculi per otium cum exercitu festos Saturni dies
 agitaverant, obsessi Capitolii nuncio accepto, Romam magna
 celeritate properarunt. *Antonius per Flaminiam*, inquit Tacitus,
ad Saxa rubra, multo jam noctis, serum auxilium venit. Erat
 nox quæ diem XIX Decembris consequebatur, qua jam Capito-
 lium conflagraverat, ac Sabinus alique necati fuerant. Aurelio
 Victori in lib. de Cæsaribus dicitur Maxentius *ab Urbe in Saxa ru-
 bram illa ferme novem ægerrime progressus.* In fine Itinerarii Hier-
 osolymitani, initio itineris Roma Mediolanum legitur: *Muta-
 tio. Rubras M. P. IX.* Vitellius hostium adventu intellecto, lega-
 tos ad eorum ducem Antonium Primum misit, & ut ait Tacitus:
*obvia fuere & Virgines Vestales cum epistolis Vitellii ad Antonium
 scriptis. Eximi supremo certamini unum diem postulabant.* Hæc
 legatio missa fuit die 20 Decembris ad Antonium, qui sub auro-
 ram e Saxis rubris jam propius Urbi copias dubio procul admo-
 verat. Addit Tacitus: *Virgines cum honore dimissa: Vitellio re-
 scriptum, Sabini cade & incendio Capitolii, dirempta belli commet-
 tia.* Tentavit tamen Antonius vocatas ad concionem legiones miti-
 gare, ut castris juxta pontem Milvium positis, postera die urbem in-
 grederentur. At milites qui omnem prolationem ut inimicam
 victoriæ suspiciebant, Antonii verba surdis auribus excipientes,

tripartito statim agmine, Romam irruerunt, ac cuncta caedibus ac rapinis foedantes, ipsum etiam captum Imperatorem Vitellium, ac ad Gemonias tractum, congestis vulneribus trucidarunt. Uti vero constat missos fuisse legatos cum Vestalibus die 20 Decembris ad Antonium aliosque Flaviani exercitus duces jam suburbana occupantes; ita incertum est, num Antonius ea ipsa die 20 concionem ad milites habuerit; an potius die insequenti 21 ejusdem Decembris; cum enim a militibus impetrare non potuerit, ut *postera die* Romam ingrederentur, illi eadem die qua eosdem alloquutus fuerat Antonius, in urbem irrumpentes, Vitellium interfecerunt. Suetonius cap. 16 in Vitellio scribit eundem suasisse Senatui, ut legatos cum virginibus Vestalibus mitterent; & statim ait: *Postridie responsa opperienti, nuntiatum est per exploratorem, hostem appropinquare.* Cum legati ac Vestales die 20 memorati mensis in castra Flaviana venerint, die insequenti 21 Vitellio responsa opperiente, hostes in urbem irruperunt. Itaque si Suetonio fides praestetur, eadem 21 Decembris Vitellius interiit. At juxta numeratum a Josepho Vitelliani imperii tempus a morte Othonis, contigit mors Vitellii die 20 Decembris. Nam uti initium principatus Galbae ac Othonis ab ea primam die numerat, qua decessoribus pereuntibus, uterque imperium primitus auspicatus fuit; ita primam quoque diem principatus Vitellii a morte Othonis illam statuisset dicendus est, qua *luce prima* eodem Othone occiso, solus usque ad inaugurationem novi Augusti Vespasiani, coepit imperare. Idem vero Josephus lib. 5 cap. 6 testatur, ea bella civilia *a multis Gracorum itemque Romanorum copiose descripta fuisse*, quorum tamen Scriptorum nullus nobis superest; cum Tacitus Josepho posterior, imperante Trajano, libros Annalium descripserit. Hinc Hebraeus historicus in tot Auctoribus quos laudat, tempus imperii trium illorum principum exacte notatum legit, quod etiam ab innumeris civibus in Urbe didicit, qui eosdem Caesares toties suismet oculis viderant. Hic vero diligentius diem occisi Vitellii indagandum putavi, ut alterum Josephi testimonium vero conforme demonstrarem. Nam cum laudato lib. 5 cap. 13 scribit Vi-

telli-

tellium interfectum fuisse *die tertia mensis Apellæ*, ibi nomine Apellæ nec suorum popularium Casleu Lunarem intelligit, nec ipsum Apellæum Solarem Antiochenſium aliarumque in ſuperiori Syria gentium, ſed plane designat Apellæum Solarem Tyriorum aliorumque in Phœnicia, qui quidem Tyriorum menſis in eorundem anno Solari inibat die XVIII Decembris, ut inferius Differt. IV cap. 1 ostendam; unde tertia Apellæ cum 10 ejusdem Decembris concurrebat. Cum Phœnicia eſſet provincia Palæſtinæ finitima, Joſephus Apellæum menſem loco laudato Phœnicum more expreſſit. Hanc puto germanam memorati textus interpretationem. Cum enim Joſephus menſes & inſuper dies imperii Galbæ, Othonis, ac Vitellii adeo exacte designaverit, qui fieri poſſit, ut in menſe necis Vitellii indicando aberraverit?

Ægidius Bucherius cap. 8 de Paſchali Judæorum Cyclo inſigne Joſephi teſtimonium fuſius, alia licet occasione, expendit, ex quò plane demonſtratur Hebræum hiſtoricum Lunares ſuorum menſes nominibus tamen Macedonicis in laudatis libris de bello Judaico designaſſe. Nam lib. 2 cap. 23 & 24 narrans ſuſceptam Ceſtio Gallo Syriæ præſidi contra Judæos Hieroſolymis rebelantes expeditionem, ſcribit eundem Liddam, quæ a laudata metropoli M. P. XXXII diſtabat, cum exercitu perveſſiſſe, urbemque vacuam offendiſſe; *nam, inquit, propter Scenopegiarum dies feſtos in Hieroſolyma populus omnis aſcenderat.* Ceſtius Lidda incenſa, contra Hieroſolyma movit. At Judæi metropoli metuentes, *omiffis*, ut idem ait, *dierum feſtorum ſolemnis & t. ne dierum quidem ſeptem feriatarum, erat enim Sabbatum, quod apud eos magna religione colitur*, cultum ſervantes, facta ex urbe eruptione, impetum fecerunt contra Romanos, qui apud Gabao, ita loco nomen intra ſextum ab Hieroſolymis lapidem, caſtra metati erant. Illos tamen Ceſtius facile in urbem repulit. Hæc contingere anno urbis Romæ 819, Eræ Chriſti 66, C. Suetonio Paulino & C. Luccio Teleſino Coſſ. cum Nero in Græcia ludos ederet, ex Joſepho initio lib. 3 de bello, ac Suetonio cap. 4 in Veſpaſiano. Eo anno, uti ſuperius notavi, Niſan cœpit die XV Martii. Hinc neomenia Tiſri ſeptimi a Niſan menſis, fuit die 8 Septembris.

In lib. 3 Regum cap. VIII, 2 dicitur populus convenisse ad defendendam arcam in templum *in mense Etbanim, in solemni die, ipse est mensis septimus*; qui mensis, inquit Josephus lib. 8 Antiq. cap. 2 dicitur *Macedonibus Hyperberetens*; *intiditque in idem tempus Scenopogia, festum apud Judaeos sanctissimum & maximum*. Et antea lib. 3 cap. 3 scripserat solemnia Scenopogiae annua religione celebrari *Septimo mense, quem Macedones Hyperberetum vocant*. Cum prima dies Scenopogiae esset decimaquinta Tisri; cumque hic mensis, uti dixi, anno memorato inierit die 8 Septembris, solemnia Scenopogiae inchoata sunt die 22 Septembris, feria II, Cyclo Solis XIX, lit. E. Itaque Cestius post diem 22 Septembris Liddam ingressus, vacuum offendit, civibus Scenopogiae solemnia Hierosolymis agitantibus. Judaei vero *Sabbato*, nempe die 27 Septembris, eademque die sexta sollemnis hebdomadis, ac 20 Tisri Judaici, Hierosolymis erumpentes, impetum in Romanos fecerunt. Cestius hostibus intra moenia compulsis, *triduo in agris moratus* dicitur Josepho, nempe diebus 28, 29 ac 30 Septembris, sive Tisri diebus 21, 22 ac 23. Interim Judaei proximos montes armati occupabant, ut Romanorum in urbem transitum impedirent. Tum rex Agrippa, qui cum auxiliaribus copiis in Romana castra descenderat, duos in urbem legatos misit, ut cives ad obsequium revocaret. At Judaei jure gentium violato, alterum legatorum interfecerunt, altero fuga sibi consulente; quo facto seditio in urbe orta est, pluribus legati necem unaque bellum de-
testantibus. *Cestius vero*, inquit Josephus, *qui intestinam eorum discordiam noverat, opportunum ad irruendum tempus invenit, ac totum in eos duxit exercitum, inque fugam versos, usque ad Hierosolyma persecutus est*. Hac biduo contingere, die 24 ac 25 Tisri, sive prima & altera die Octobris. Dein Cestius die 25 Tisri, tertia Octobris, castris Gabao motis, ad Scopon progressus est, qui locus septem tantum ab urbe stadiis distabat, unde Templum ac superior urbis pars conspiciebantur, ex eodem lib. 6 cap. 3. Ibi Cestius tentoria figens, ut ait Josephus, *nihil per triduum adversus civitatem conabatur*; nempe Tisri 27, 28 & 29, sive Octobris IV, V, ac pridie Nonas Octobris. Tum Josephus: *Quarta autem die* (*ἡ τριτὰς ὑπερβερταῖς μὴνός*) *que erat trigesima mensis Hyper-*
bere.

beretæ; urbem ingressus, &c. prope aulam regiam castra posuit. Ita trigessimam Tisri diem Hyperberetæi trigessimam appellavit, Lunari mense Judæorum septimo mensis Solaris Syromacedonum nomine indicato. Hæc dies 30 Lunaris Hyperberetæi cum Nonis Octobris Romanorum ac septima die Hyperberetæi Solaris Syromacedonum concurrebat. Itaque erratum est Scaligero lib. 7 de emend. Temp. pag. 593 scribenti: *Nam & Josephus tempora belli Judaici descriptionibus dierum Julianorum Antiochensum designat*; Etenim apud Antiochenos trigesima Hyperberetæi Juliani cum trigesima Octobris componebatur, apud Josephum vero eadem 30 Hyperberetæi, quem ille ibidem mensem appellat, cum septima Hyperberetæi Juliani Antiochensum copulatur. Josephus Cestii in Judæos expeditionem narrans, eandem a solemnibus Scenopægiæ per insequentes dies describens usque ad trigessimam Hyperberetæi, hunc plane Lunarem mensem prodit, uti hactenus est demonstratum. Nam a Sabbato inter solemnia Scenopægiæ die 20 Tisri sive Juliani Septembris ac Gorpæi Antiochensum vicesima septima, usque ad 30 Hyperberetæi undecim tantum dies enumerat, cum a 27 Juliani Gorpæi Antiochensum ad 30 eorundem Hyperberetæi quatuor ac triginta dies colligantur, ita ut Cestius per aliquot hebdomadas exercitum per otium in suburbanis continuisset, priusquam in inferiorem Hierosolymorum partem ingrederetur, secus ac Josephus, testis omni exceptione major, affirmat.

Ne quid tamen dissimulem, cetera quæ ibidem Josephus prosequitur, paucis recitabo, quod inde Hyperberetæus Solaris unius ac triginta dierum colligi videatur. Nam scribit Cestium eo ipso die, quo inferiorem urbis partem occupavit, eodem facile impetu potuisse in superiorem etiam partem evadere, nisi prava quorundam consilia intempestivas eidem moras iniecerent. Cum vero Cestius Judæorum pertinacia cognita, superiora aggressus fuisset, *per dies QVINQVE, Romanis undique tentantibus, frustrabatur conatus*, uti scribit Josephus; *SEXTO autem die Cestius cum plurimis selectis &c.* & Septentrionali tractu urbem aggreditur; cum præter expectationem signo receptui dato, non modo milites ab oppugnatione revocavit, verum etiam

iam

iam ex occupata inferiore parte urbis improvise copias educens, in castra ad Scopum rediit; ac statim *die ALTERO* inde discedens, hostibus audaciam addidit, qui facta eruptione, recedentes Romanos insecuti sunt. Cestius tertio ac quadragesimo ab urbe stadio, sive intra sextum ab urbe lapidem castra apud Gabao posuit. *Hic autem, inquit Josephus, Cestius BIDVVM commoratus, inops consilii quid ageret, cum TERTIO die majorem hostium numerum vidisset*, fugienti similis, Bethoron movit. At Judæi Romanos undique aggressi, quinque mille ac trecentos pedites, equites vero octoginta obtruncarunt. Cestio proxima nocte, ad triginta stadia progressa, cum Judæi MANE Romanorum fugam advertissent, occiso apud Bethoron eorundem presidio, *insequendo Romanos, Antipatridem usque venerunt*. Verum, cum fugientes assequi non possent, relicta ab eisdem tormenta bellica asportantes, atque hostium spoliis onusti, Hierosolyma reversi sunt. Hjs autem narratis, Josephus ait: *Hac quidem gesta sunt OCTAVO DIE mensis Dii, anno duodecimo imperii Nervæ*. Hanc Romanorum cladem memorat etiam Suetonius cap. 4 in Vespasiano. In hac narratione a Josepho a die 30 Hyperberetæi ad 8 Dii, quo Romani cladem acceperunt, decem dies numerantur, qui tamen posito Hyperberetæo Lunari dierum 30 octo solummodo dies dicendi essent. Cum vero Cestius motis Scopo castris, dicatur Josepho *biduum* apud Gabao commoratus, dies quo Scopo discessit, primus idem etiam fuit factæ apud Gabao moræ, cum ea loca stadiis tantum triginta sex, nempe quater mille ac quingentis passibus invicem distarent. Ita a die 30 Hyperberetæi ad 8 Dii, novem dies numerabuntur, ac proinde Hyperberetæus erit Solaris dierum XXXI, Romanorum Octobri ac Solari Hyperberetæo Antiochensium æquatus. Samuel Petrus lib. 4 Eclg. Chronol. pag. 280, cum huncce dierum apud Josephum excessum adnotasset, ait se suspicari a Syromacedonibus fuisse intercalatum inter Hyperberetæum mensem & Diem. Quare, inquit, *mensis intercalaris elapsus est, dum fugit Cestius, instant Judæi, & in urbem sacram redeunt*. Ita ne diem adimeret, mensem addidit. Verum præcipitata Cestio fuga, nullum intercalari mense locum relinquit. Nam post 30 Hyperberetæi, qua die Cestius cum

cum exercitu Hierosolymis egressus est, usque ad diem, qua Bethoron movens, ingentem a Judæis cladem accepit, novem omnino dies Josepho numerantur; si dies qua Scopo digrediens, Gabao pervenit, pro priori qua in hoc altero loco substitit, die una eademque accipiat. Cum Cestius die cladis Bethoron se recepisset, quadringentis ibidem prædianis relictis, nocte cum ceteris *silenter* (ita vox *ἡσυχῇ* vertenda est, non autem *otiose*, ut illam reddit interpres) usque ad triginta stadia progreditur: Unde, MANE Judæi, cum locum, in quo Romani tetenderant, desertum viderent, relictos apud Bethoron prædianos interfecerunt. Hoc mane signat diem decimam a 30 Hyperberetæi exclusive. Mox, addit Josephus, *Cestium persequi properabant; sed ille cum nocte*, nempe qua Bethoro excesserat, non parvum spacium itineris peregisset, die vehementius quoque fugiebat, quæ videlicet diem cladis consecuta est. At Judæi, inquit, *insequendo Romanos, Antipatridem usque venerunt*. In Itinerario Hierosolymitano legimus.

ITEM AB HIÉROSOLYMA SIC.

Civitas	Nicopolis.	M. P. XXII.
---------	------------	-------------

Civitas	Lidda.	M. P. X.
---------	--------	----------

Mutatio	Antipatrida.	M. P. X.
---------	--------------	----------

Itaque Antipatris M. P. XXXXII Hierosolymis distabat. Cum autem Judæi fugientes Romanos assequi desperarent, Antipatridæ cum spoliis ac bellicis machinis quas Romani, ne fugam retardarent, reliquerant, Hierosolyma victores reversi sunt. Cum Romani tanta celeritate fugam intenderent, ut & bellica tormenta hostibus rapienda relinquerent, ac ipsa etiam nocte iter continuarent, & Judæi fugientes non ultra Antipatridem duobus ac quadraginta tantum milliariis Hierosolymis distantem urbem, insecuti fuerint, frustra iis peragendis mensis intercalaris a Petito fingitur, ac Dii insuper octo dies Josepho memorati. Cum constet Tisri Lunarem nomine Hyperberetæi a Josepho appellari; in gestorum postea mense Dio narratione, unus ejusdem calamo dies superfluous excidit, quod non semel aliis quoque Scriptoribus contigit, & ne extra hoc in quo sumus campo, procil excurramus, Jacobus Usserius tom. 2 Annal. ad annum vulgaris Epochæ Christi 68 scribit Cestium die IV Octobris Hierosolyma ingressum; ubi 30

Hyperberetæi apud Josephum cum 4 Octobris componens, mensẽ Hyperberetæum, juxta Josephum, Lunarem facit. Deinde scribit cladem Romanis a Judæis illatam fuisse *die octavo Novembris*, quam cum Josephus scribat contigisse *die octavo mensis Dii*, Usserius mensẽ Dium a Josepho appellatum, solarem facit, pari cum Novembri Romanorum numero dierum decurrentem. In quo eidem plane erratum est, dum Hyperberetæum Lunarem, huic vero proximum Dium mensẽ Solarem constituit. Sed & alter eidem Usserio insignis error admittitur. Nam si dies 30 Hyperberetæi a Josepho laudati, concurrat cum quarta Octobris Juliani, ac postea dies VIII Dii ab eodem Josepho memorati, cum octava pariter Novembris copulatur, Dius cœpit Kalendis Juliani Novembris; cum vero proximus huic mensis Hyperberetæus exierit juxta Usserium die IV Octobris, remanent reliqui 27 Octobris dies ante neomeniam Dii, sive ante Kalendas Novembris, ex quibus sane 27 diebus mensis intercalaris conflatur in opinione Usserii, cujus decurtati mensis nullum uspiam gentium exemplum invenitur. Itaque cum Josephus ait cladem illam Romanorum contigisse die VIII mensis Dii hoc nomine Judæorum Marchesuan intellexit, cujus dies octavus cum XV Juliani Octobris eo anno decurrebat. Cum vero addit *anno duodecimo imperii Neronis*, annum XII ante triduum tamen Neroni exactum intellexit, quod dies passim ab Historicis in tempore designando omittuntur.

Interim ex hoc insigni Josephi testimonio, quod dudum Ægidius Bucherius ac Samuel Petitus, aliud licet probantes, protulerunt, optime demonstratur, Josephum ibidem Lunarem Hebræorum mensẽ Tisri designasse nomine Hyperberetæi, qui apud Syromacedones in superiori Syria ac Phœnice annum aperiebat. Hinc fit, ut cum aliis laudatis superius locis Artemisium, Panemum, aliosque Macedonum menses nominat, Lunares Judæorum menses notioribus apud Græcos vocabulis appellaverit. Hæc de anno ac mensibus Syromacedonum præscribenda duxi, ut eorundem Epochas, quas hoc in opere exponendas mihi proposui, facilius intelligeremus; cum illæ nil aliud sint quam certa quorundam annorum enumeratio, qua Syromacedones temporum intervalla publice privatimque designabant. DIS-

DISSERTATIO SECUNDA, DE EPOCHA SELEUCIDARUM.

Quemadmodum in locorum intervallis indicandis Romani fixis subinde intra æqualia spacia lapidibus, quos *miliarios* vocabant, utebantur, ita ad determinatas temporum mensuras exponendas, quædam intervalla, quæ Græci *στοχάς Epochas* vocant, inventa sunt, quibus tanquam indicibus rerum gestarum tempora demonstrarentur. Harum vero Epocharum initia vel ab urbium conditu aut earundem parta libertate & autonomia, vel ab exordio regni Principum, aut ab celebratissimis ludis deducta sunt. Ita anni ab Urbe condita apud Romanos: ab initio regni Seleuci Nicatoris apud Syromacedones: & a primis ludis Olympicis apud Græcos Epochas constituerunt, quibus deinceps Scriptores usi sunt, ad rerum gestarum ordinem indicandum. In præsentia Epocham Seleucidarum exponam, qua initio Syromacedones eisdemque subditæ gentes usæ sunt; dein ad speciales alias Epochas descendam, quas variæ in Syria urbes, priori illa Æra antiquata, invexerunt; earumque causas & initia hætenus partim confusa, partim ignorata, in optimo, ni mea me fallit opinio, lumine collocabo.

CAPUT I.

Seleucus Nicator e satrapia Babylonis ab Antigono pulsus, eandem recuperat. Hinc regni & Æra Seleucidarum anni cæpti numerari. Idem Rex Syriam superiorem occupat. Epochæ Seleucidarum anni ab Autumno inchoati ex nummis demonstrantur. Antiochi Epiphanis ac Demetrii Soteris numismata cum annis laudata Epochæ. In libro priori & altero Maccabæorum anni Seleucidarum non ab eadem utrobique anni tempestate deducti.

Alexandro Magno apud Babylonem immaturo fato surrepto, ac maximo imperio in varias satrapias sub Aridæo Rege Alexandri fratre, fatali divisione distributo, quod nul-

lus aut parem aut superiorem pati poterat, civilia statim bella eruperunt, quæ ut plurimis provinciarum Præfectis exitium, ita quibusdam meliori sorte, ingentium regnorum incrementa pepererunt. Initio in prima regni Macedonum divisione, nullius provinciae præfectura Seleuco, qui postea ~~dictus~~ ^{rege} dictus est, demandata fuerat, sed sociorum equitum ducatus, ut ait Arrianus apud Photium cœd. XCII, sive castrorum tribunatus, uti scribit ex Trogo Justinus lib. 13. Verum in altera provinciarum divisione anno a priori tertio ab Antipatro peracta, Seleuco Babyloniae ditio obtigit; cum Syria in utraque distributione Laomedonti Mytilenæo decreta fuisset, a qua tamen a Ptolemæo Lagi filio, cui Ægyptus obtigerat, pulsus fuit. Interea Antigonus majori cis & ultra Taurum Asiæ parte occupata, capto etiam cum exercitu Eumene, Mediam suam in potestatem redegit, ac Seleuco meru Antigoni Babylone in Ægyptum secedente, hujus quoque satrapiam invasit. Hinc Seleuco auctore, Ptolemæus contra Antigonum in Syriam cum copiis profectus, Demetrium ejusdem Antigoni filium inito apud Gazam prælio, superavit, magnamque Syriæ partem eadem victoria occupavit. Castor Chronologus apud Josephum lib. 1 contra Apionem, & Diodorus Siculus lib. 18 scribunt, hoc prælium contigisse anno primo Olympiadis CXVII, qua vicit in stadio Parmenio Mytilenæus, urbis Romæ A. 442, ante Æram Christi 312. Seleucus post fugatum Demetrium, mille peditibus ac ducentis equitibus, ut ait Appianus in Syriacis, a Ptolemæo acceptis, junctisque aliis apud Charras in Mesopotamia militibus, ad Babyloniae satrapiam recuperandam properavit, ac popularium benevolentia exceptus, eadem obtenta, Nicanorem Antigoni præfectum sibi occurrentem, copiis exuit, eodemque victoriæ impetu Susianam ac Mediam Antigonino eripuit. Hinc vero initium regni, quod postea amplissimum ab Hellesponto ad Indos usque obtinuit, Seleucus deduxit, quamvis nondum diadema aut regium titulum usurparet. Eusebius in Chronico ad annum primum Olympiadis CXVII scribit: *Regnum Syriæ, & Babylonis, & superiorum locorum nascitur.* Et in lib. 8 de demonstr. Evang. ait: *Cum Seleucus Babylonem cepisset, Asia*

Asia sibi diadema circumdedit, anno post Alexandri mortem duodecimo. Josephus etiam lib. 13 cap. XI ait, Judæos Simonis Maccabæi opera, Macedonum jugo excusso, libertatem indeptos anno CLXX, ex quo Seleucus Nicator Syriæ regnum obtinuit. Hæc non paucos in errorem traxere; quippe qui scripserunt Æram Seleucidarum, uti nuper loquitur Joannes Harduinus pag. 67, coepisse *A. V. 442 cum Seleuci Nicatoris principatu in Syria.* Quæ dubio procul falsò dicuntur. Nam eo ipso anno Antigonus cum prævalido exercitu in Syriam descendens, Ptolemæum Coelesyriæ ac Phœnicia exactum, intra Ægypti terminos compulit, uti fulius narrat laudatus Diodorus, cujus verba sunt: *Porro Antigonus cum citra periculum Syriam totam, Phœnicenque recuperasset, in regionem Arabum, quæ Nabatæi disuntur, expeditionem suscepit.* Idem lib. 20 anno secundo Olympiadis CXVIII de Antigono scribit: *Is per id tempus in superiore Syria commorans, urbem suo nomine Antigoniæ vocitatum, juxta Orontem flumen condebat;* quo anno cum Ptolemæus navali prælio a Demetrio victus fuisset, Antigonus diadema sibi imposuit, ac Regis deinceps nomen usurpavit, quod ipsum ejusdem exemplo Lysimachus, Cassander, Ptolemæus, ac ipse etiam Seleucus, teste eodem scriptore, fecerunt. Verum hi contra Antigonom rerum successu superbientem, ac finitimis regibus, suis quondam sub Alexandro commilitonibus, formidabilem conspirarunt, ictoque fœdere, eundem apud Ipsum Phrygiæ oppidum ingenti prælio victum, regno ac vita privarunt. Ad contigit anno IV Olympiadis CXIX, ab urbe Roma condita 453, ante Christi Æram 301. Tum victores occisi Antigoni regnum secum invicem partiti sunt, ac Seleucus superiorem Syriam obtinuit; Ptolemæo autem Coelesyria, Phœnicia, ac ~~Palaestina~~ *dada* sunt, Demetrio Antigoni filio Tyrum adhuc ad Sidonem valido cum præsidio retinente. Itaque Seleucus anno tantum undecimo post Babyloniam recuperatam, Syriam indeptus est, cum antea varias in Oriente nationes subegisset, ac Babylonici regni fines ad Indos usque promovisset, uti narrat Appianus in Syriacis, & Justinus lib. 15. Porro Seleucus annos sui regni ab eo tempore numeravit, quo Babylone recepta, ad maximum omnium Asiæ

regum post Alexandrum, imperium aditum sibi aperuit; quamvis nondum regium diadema aut nomen assumpsisset. Hæc est celeberrima Epochæ Seleucidarum ab anno recuperatæ Babylonis, non autem Syriæ obtentæ, a Seleuci successoribus, eorumque subditis deducta, quæ Syri, Phœnices, Judæi, Palæstini, Chaldæi, aliique diutius usi sunt. Hæc Epochæ in regum ac urbium Syriæ nummis ob signata legitur; hæc in utroque libro Maccabæorum anni designantur; eadem Chaldæorum Astronomi cælestium observationum tempora antiquitus indicarunt. Hanc pariter & sacra Nicæna Synodus adhibuit, ac illa Archiepiscopi Apamenses Metropolitæ secundæ Syriæ in literis Paschalibus usi sunt. In libris Maccabæorum cum subinde *anni Græcorum* numerantur, Epochæ Seleucidarum intelligitur. Judæi eandem *Æram contractuum* nuncupabant, quod in nundinis ac ceteris contractibus publicæ ac privatæ tabulæ ejusdem Epochæ annis ob signabantur. Et quamvis a Seleucidarum jugo sese in libertatem asserentes, novam Epocham ab anno primo regiminis Simonis Maccabæi induxissent, Epocham tamen Seleucidarum retinuerunt. Hinc in æreis tabulis hæc initio inscripta dicuntur 1. Maccab. cap. XIV, 27. *Octava decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo*, nempe Epochæ Seleucidarum, sive regni Græcorum, *anno tertio sub Simone Sacerdote magno in Asamel, in conventu magno Sacerdotum & populi & principum gentis &c.* Novæ vero Epochæ ab anno primo Pontificatus ac principatus Simonis institutio cap. 13 recitatur. Epochæ Seleucidarum ab Arabibus dicitur *Dul Karnaim*, nempe *Bicornis*, quod Alexander Magnus, cum Jovis Ammonis filium se jactaret, in nummis cornutus scalpi voluit, quod etiam in nummis Seleuci passim observamus. Arabes tamen scriptores ejus cognominis etymologiam produnt, quod Alexander, uti loquitur Abul Pharagius Dyn. 5, *duo Solis cornua adsecutus esset, Orientem & Occidentem*.

Epocha Seleucidarum ab initio principatu Seleuci Nicatoris apud Babylonem eruditis Chronologis colligitur ab Autumno anni periodi Julianæ 4402, ac primo Olympiadis, CXVII ab urbe Roma condita 442, ante Æram Christi 312, Cyclo Lunæ XIII,

Solis

Solis VI. In magna Synodo Calchedonenſi Act. II Symbolum, in Concilio Nicæno compositum, hiſce chronologicis notis præſignatur: *Consulatu Paulini & Juliani Clarissimorum Consuluum, anno post Alexandrum 636, mensis secundum Græcos Dæſii XIX, quod est XIII Kalendarum Juliarum, in Nicæa metropoli Bithyniæ &c.* Socrates etiam annum Synodi Nicænz designat consulatu Paulini & Juliani. Epochæ Seleucidarum cœpit anno Urbis 442; adde annos in Synodo positos 636, eris ad A. V. 1078, Christi 325, quo in Fastis signantur Consules Paulinus & Julianus. Ibi anni post Alexandrum non indicant tempus ab obitu Alexandri, sed novi post Alexandrum regni a Seleuco in Asia conditi. Interim patet Æram Seleucidarum iniri ab Autumno, non a verno tempore; alias die 19 Dæſii, sive Junii anno Christi 325, numeratus fuisset annus Seleucidarum 637 a verno tempore cœptus. Et sane cum Syromacedones annum ab Autumno inchoarent, ut de Antiochenis, Tyriis, ac Gazensibus inferius demonstrabo, ab Autumno quoque annos Epochæ Seleucidarum multiplicabant; eademque dies annum novum cum civilem tum ipsorum etiam Epochæ aperiebat. Vlugh Beghus ultra citraque Gangem princeps, idemque insignis Astronomus, in libro de Epochis celebrioribus, quem Latio Joannes Gravius donatum, Londini publicavit anno Domini 1650, cap. 4 scribit: *Sciendum etiam est quod Epochæ Græcæ prior sit Arabica diebus 340700, prior autem Epochæ Persicæ diebus 344324.* Et antea cap. 2 de eadem Epochæ Rumanæ sive Græcæ dixerat: *Hæc Epochæ die Luna elapsis annis duodecim Solaribus a morte Alexandri Philippi Græci filii, initium duxit. Ejus anni & menses sunt communes Solares. Annus e trecentis sexaginta quinque diebus cum quadrante diei præcise constat.* Quamvis verò ea anni Solaris forma apud Syromacedones adeo vetusta mihi non probetur; laudatus tamen Astronomus ita uniformiter annos ejusdem Epochæ collegit, uti eosdem a scriptoribus suæ ætate antiquioribus acceptos observabat. Jam vero annus duodecimus a morte Alexandri Magni fuit ab Urbe Roma condita 442, ante Christum 312, quo Cyclo Solis VI, lit. G, Kalendæ Octobris in anno Juliano proleptico, sive in eo simili quem Vlugh Beghus

Beghus perpetuo in Epochâ Græcorum in Syria servatum putat, contigerunt diē Lunæ, a qua diē ad initium Hegiræ sive Epochæ Arabum numerat dies 340700. Hæc vero Arabum Epochâ cœpit anno Christi 622, Urbis Romæ 1375, diē XV Julii, qua incidit Novilunium Muharramæ primi mensis anni Lunaris Arabum, ut ex ejusdem sectæ Astronomis Scaliger, Petavius, aliique passim prænotarunt. Porro a Kalendis Octobris, A. V. Romæ 442 ad annum 1375. ac pridie Kalendas Octobris, numerantur anni Juliani exacti DCCCCXXXIII, qui dant dies 340778. Deme ab hæc dierum summa dies 78, eris incluso termino ad diē XV Julii anni Christi 622, sive Urbis Romæ 1375, quo anni Hegiræ exordium sumpserunt, ac proinde Epochâ Seleucidarum sive Græcorum in Syria initium habuit ineunte Octobri anni Juliani proleptici A. V. 442, ac prior est altera Arabum diebus 340700. Præterea ab hac ipsa diē atque anno numerando dies 344324, erimus ad annum Christi 632, Urbis Romæ 1385 ac diē 16 Junii, qua cœpit Æra Persica sive Jezdegirdis, quæ est posterior Hegira diebus 3624, uti tradunt Alfraganus, Alcabitius, Albumasar Astronomi Arabes apud Ricciolum lib. 5 Chronol. Refor. cap. 11 num. 2. Albategnius cap. 30 de scientia stellarum narrat, anno 1224. ab obitu Alexandri Magni, & 1212 Dhyl Karnain, nocte inter secundum ac tertium diē mensis Ab, hora 15, 20' post meridiem Antiochiæ sibi observatam Lunæ eclipsim fere totalem. Epochâ Dhyl Karnain sive Bicornis, est ipsamet apud Arabes Æra Seleucidarum, quæ cum inierit ab autumno A. V. 442, annus ejusdem 1212 concurrat cum anno Urbis Romæ 1654, Christi 901, quò tabulæ Astronomicæ post meridiem diēi 2 Ab, sive Augusti, Hor. 15, 20, exhibent eclipsim Lunæ, Sole in Leonis Gr. 14 ac totidem in Aquario Luna existentibus. Idem alias ibidem Solis ac Lunæ eclipses memorat cum annis Epochæ Seleucidarum, ex quibus patet, initium ejusdem Æræ deducendum esse ab autumno A. V. Romæ 442, ut dudum eruditi ex eodem Astronomo observarunt.

Hoc ipsum ex nummis, quod hætenus nemo præstitit, paucis in præsentia demonstro. Extat in Gaza Medicea nummus Imperatoris Hadriani, cujus typum cap. 2, §. 4. proferam, cum post-

postica epigraphæ: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΗΚΤ *Tripolitarum. Anno* CCCCXXVIII. Sunt anni Epochæ Seleucidarum. Nam si ab autumno A. V. Romæ 442 numeres annos Seleucidarum exactos 427, devenies ad Autumnum A. V. 869, quo cœpit annus Epochæ Seleucidarum quadringentesimus vicesimus octavus, qui anno insequenti Urbis 870 per Autumnum exiit. At Hadrianus imperium inivit A. V. 870, die XI Augusti, Nigro & Aproniano Coss. Quare ille nummus scalptus fuit primo aut secundo mense imperii recens initi ab Hadriano in Syria, antequam, incumbente Autumno, inciperet annus Seleucidarum 429. Hinc patet Epocham Seleucidarum non posse inchoari ante A. V. 442, alias annus illius 428 non posset concurrere cum novo imperio Hadriani. Rursus palam intelligimus annos Æræ Seleucidarum deduci ab Autumno; siquidem A. V. 870, post diem XI Augusti natalem imperii Hadriani, adhuc numerabatur annus CCCCXXVIII. Unde falsa est opinio viri insignis, qui ob arietem in nummis Antiochenisum scalptum, putat annos Æræ Seleucidarum verno tempore inchoatos. Præterea extat nummus Antonini Caracallæ, quem itidem ære delineatum proximo cap. 2 §. 3 proferam, in quo legitur: ΕΜΙΣΕΝΟΝ ΚΟΛΩΝΙΑΣ. ΗΚΤ. *Emisenorum Colonia. Anno DXXVIII.* Qui anni sunt Epochæ Seleucidarum, quæ cum cœperit ab Autumno A. V. Romæ 442, annus ejusdem in nummo signatus 528, iniit ab autumno A. V. 969, qui fuit Christi 216. Caracalla occisus fuit die 8 Aprilis, eodem A. V. 969 usque ad palilia, Christi 217, C. Bruttio Præfente, T. Messio Extricato Coss. At si Epochæ Seleucidarum initium habuisset per autumnum A. V. 443, annus abhinc illius 528 cœpisset in autumno A. V. 970, Caracalla ante sex menses occiso, ac Macrino imperante. Itaque ex duobus laudatis nummis initium Epochæ Seleucidarum necessario desumendum est ab autumno A. V. 442, Periodi Julianæ 4402, ante Æram vulgarem Christi 312. Idem quoque probatur ex nummo Antonini Elagabali, quem eodem cap. 2 §. IV producam.

Hæc Seleucidarum Epochæ sive ejusdem anni in pluribus Regum Syriæ nummis scalpti leguntur, quos omnium primus V.

Joannes Vaillantius amicus noster pari laude ac diligentia collegit, ac in Historia regum Syriæ publicavit, a quibus plurimum lucis ad sacros Maccabæorum libros illustrandos accipimus. Ex Cimelio Mediceo unum & alterum æcum numisma profero.



Primum in antica exhibet Antiochum capite diademato, & in postica: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΤΥΡΙΩΝ. ΗΜΡ. *Regis Antiochi. Tyriorum. Anno CXLVII.* Is est Antiochus Epiphanes, octavus a Seleuco Nicatore, Syriæ rex. Nummus a Tyriis percussus est anno Seleucidarum 147, qui iniit ab Autumno A.V. 588, ante Christianam Æram 166, anno regni ejusdem decimo; siquidem Antiochus Epiphanes sive Illustris, uti legitur 1 Maccab. cap. I, 11 regnare cœpit in anno centesimo trigesimo septimo regni Græcorum, nempe Seleucidarum. Et cap. III, 37 de eodem dicitur: *Et rex assumpsit partem exercitus residui, & exiit ab Antiochia civitate regni sui, anno centesimo quadagesimo septimo, &c.* qui annus in laudatō Tyriorum nummo scalptus legitur. De eodem Antiocho in 2 Maccab. cap. IV, 18 hæc recitantur: *Cum autem quinquennialis agō Tyricelebraretur, & rex præsens esset &c.* Ita Epiphanes festos Tyriorum ludos regia præsentia augustiores efficiebat; unde & Tyrii in ipsius honorem nummos plurimos percusserunt. Et inferius in eodem capite V, 44 dicitur: *Et cum venisset rex Tyrium.* Ita ille in urbem Phœniciæ nobilissimam subinde se conferebat. Alter nummus ab iisdem Tyriis scalptus, in antica præfert caput regis diadematum cum epigraphe in parte altera: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡΙΩΝ. ΗΝΡ. *Regis Demetrii. Tyrio-*

Tyriorum. Anno CLVIII. Hic est Demetrius I, cognomento *Soter*, Seleuci IV filius, ac Antiochi Epiphanis nepos, qui cum diutius fuerit Romæ obses, a Polybio celebri historico ad regnum Syriæ occupandum animatus, Senatu inconsulto, clam navi ex Italia fugiens, ac a Syris cum plausu exceptus, regnum simulque vitam Antiocho Eupatori Antiochi Epiphanis filio ac tum pupillo abstulit. Initio cap. 7 lib. 1 Maccab. legitur: *Anno centesimo quinquagesimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab arbe Roma, & ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, & regnavit illic;* nempe Tripolim urbem Phœnicæ, ex initio cap. 14 lib. 2 Maccabæorum. Itaque annus Seleucidarum CLVIII in delineato nummo signatus, fuit octavus regni Demetrii Soteris, ac cœpit ab autumno A. V. 599, ante Christum 155. Verum advertendum est, Scriptorem libri primi Maccabæorum annos Epochæ Seleucidarum non ab Autumno, sed a neomenia Nisan verni mensis auspiciari, a quo Hebræi annos legales inchoabant ex Dei præcepto Exodi XII initio & vers. 18 & Levitici XXIII, 5, Esther III, 7 scribitur: *in mense primo, cujus vocabulum est Nisan &c.* Josephus lib. 3 Antiquit. cap. 10 ait: *Mense autem Xanthico, qui Nisan nobis vocatur, & anni initium est.* Hinc in lib. 1 Maccab. cap. IV, 52 encæniam repurgati Templi Hierosolymorum dicuntur celebrata *quinta & vigesima die mensis noni* (hic est mensis Casleu) *centesimi quadragesimi octavi anni*, id est, Seleucidarum. Josephus vero lib. 12 cap. XI tradit ea solemnia peracta *quinta ac vigesima Apellæ mensis, anno centesimo quadragesimo octavo.* Apellæus apud Syromacedones erat secundus, vel apud quosdam tertius mensis anni Syrorum, qui cum nono mense Judæorum a Josepho componitur. In eodem lib. 1 Maccab. cap. 10 legitur: *Et induit se Jonathan stola sancta septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die solemni Scenopægiæ.* Quæ solemnitas agebatur die 15 Tisri, septimi mensis, ex Levitici XXIII, 34. Et cap. ult. vers. 14: *anno centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo: hic est mensis Sabath,* qui hiemalis mensis est. Quare Scriptor libri primi Maccabæorum annos Seleucidarum a Nisan inchoans, semestri spatio annos Syromacedonum ab autumno cœptos antevertit. Hinc si Demetrius Soter

Roma clam se surripuit verna tempestate A. V. 592, ea fuga contingit altera parte anni Seleucidarum CL; qui tamen ab eo Scriptore dicitur CLI, ob annum a neomenia Nisan inchoatum, qui tantum apud Syros per autumnum initium sumebat. Viri eruditi dudum tradiderunt, diversitatem, quæ in annis designandis in duobus libris Maccabæorum apparet, inde ortam, quod Scriptor libri primi annos Seleucidarum inchoat a mense Nisan; alter vero (nempe Jason Cyrenensis qui eandem historiam quinque libris complexus est, quam Anonymus in unum compendio coegit) usus est annis Seleucidarum a neomenia Tisri, qui septimus est mensis anni Judæorum, a quo mense annos etiam Sabbaticos colligebant. In lib. 1 Maccab. cap. VI bellum contra Judæos a novo rege Antiocho Eupatore motum recitatur *anno centesimo quinquagesimo*; quod tamen lib. 2 initio cap. 13 dicitur contigisse *anno centesimo quadragesimo nono*. Scriptor libri primi a Neomenia Nisan orditur annum Seleucidarum CL; Scriptor vero libri secundi post sex menses, a Tisri eundem annum auspicatur. Hinc bellum per ætatem gestum uni dicitur anno CL, alteri vero CXLIX. Rursus lib. 1 initio cap. 7 hæc narrantur: *Anno centesimo quinquagesimo primo exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma, & ascendit cum paucis viris in civitatem maritimam, & regnavit illic*. At in lib. 2 cap. 14 a vers. 1 recitatur initium regni ejusdem Demetrii; statimque dicitur Alcimus qui summo Sacerdotio dejectus fuerat, venisse ad regem *Demetrium centesimo quinquagesimo anno &c.* Demetrius A. V. Romæ 592 post Nisan, clam ex Urbe in Syriam transmisit. Polybius qui eidem Demetrio fugæ auctor vel præcipuus saltem adhortator fuit, scribit Legat. 114 illum navem Carthaginensem ascendisse, quæ una illarum erat, quas solebant cum cura ex ceteris deligere, *quæ sunt Carthagine, ad deferendas primitias, quas illuc Carthaginenses Diis patriis mittunt*. Carthaginenses Tyrionum colonia erant, ac proinde annua dona aperto statim mari, Herculi Tyrio aliisque vetustæ patriæ Diis mittebant. Itaque Demetrius, verno tempore labente, Roma fugit, anno Seleucidarum CL, qui tamen CLI dicitur Scriptori memorato, ob annum popularem a Nisan inchoatum.

tum. Vaillantius pag. 243 Hist. Regum Syriæ nummum Demetrii exhibet cum epigraphæ: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΒΕΡ: *Regis Demetrii Soteris. Anno CLXII.* In L. I Maccab. cap. X, 50 dicitur Demetrius ab Alexandro, vulgo Balæ, acie victus, ac interemptus; dein narrantur nuptiæ ejusdem Alexandri regis cum Cleopatra filia Ptolemæi Philometoris, quæ dicuntur celebratæ vers. 58 *anno centesimo sexagesimo secundo.* Annus Seleucidarum CLXII cœpit ab autumno A. V. 603. Itaque Demetrius post initum autumnum occisus fuit, anno regni labente duodecimo, quot illum annos regnasse testatur synchronus ac regis ejusdem familiaris Polybius. Cum vero Alexander Syriæ rex post necem Demetrii, Cleopatram sibi uxorem dari a Ptolemæo rege Egypti per legatos petierit, ac postea ingenti apparatu nuptiæ coram utroque rege apud Ptolemaidem celebratæ fuerint, quæ dicuntur confectæ anno centesimo sexagesimo secundo, vere ineunte contigisse dicendæ sunt ante initium Nisan, a quo ille Auctor annum Græcorum CLXIII auspicabatur.

In libro 2 Maccab. cap. XI recitantur literæ Antiochi Eupatoris ad Judæos, quæ signantur, datæ: *Anno centesimo quadragésimo octavo, Xanthici mensis quintadecima die.* Interpretibus atque eruditioribus Chronologis nota illa temporis visa est difficilissima, ita ut Scaliger lib. 5 pag. 406, cum prænotasset Antiochum Eupatorem pacem cum Judæis fecisse post Scenopegiam anno 149, putans, illam regis epistolam pertinere ad pacem ineundam, ait: *Quis Oedipus hæc solverit? Itaque bene de illo Auctore meruerit, qui illum a suspitione erroris vindicaverit.* Petavius lib. 2 de doctr. temp. cap. 21 putat Xanthicum, cujus dies 15 ea in epistola appellatur, pertinere ad annum centesimum quinquagesimum. Usserius tom. 1 Annal. pag. 15 ait scriptas illas literas anno 148 *Æræ Chaldaeorum*, ac die 15 Xanthici itidem Chaldaici; & pag. 49 scripserat ab autumno anni periodi Julianæ 4550, ante Christum 164, qui fuit urbis Romæ 590, iniisse annum *Æræ Contractum* sive Dhyl Karnaim CXLIX; *Æræ vero Chaldaeorum in Principum rescriptis CXLVIII.* Verum vix animum inducere possum, ut credam Reges Seleucidas in signandis literis ac rescriptis usos fuisse *Æræ*

Chaldaica, quæ a Syris certe nunquam in usum redacta fuit. Urbes Syriacæ regum Seleucidarum numismata eorundem Epocha ab anno primo Olympiadis CXVII obsignabant; cur vero Reges non hac communi Æra, sed Chaldaica, quæ anno altera posterior erat, usi fuisse credantur? At si Reges Syriæ Epocha communi utebantur, ac nullus in illius anni characterem librariorum negligentia error irrepsit, ea Epistola scripta fuit ab Eupatore primis initi regni diebus, quod non obscure superioris epistolæ verba indicant; *Patre nostro inter Deos translato, nos volentes eos qui sunt in regno nostro, sine tumultu agere &c.* Quare scripta est anno Seleucidarum CXLVIII, quo sub initium Nisan mortuo Antiocho Epiphane, Eupator ejusdem filius regnum capessiverat. Sed his repugnat rerum series post mortem Antiochi Epiphanis gestarum, priusquam illæ literæ a novo rege ad Judæos scriberentur. Nam cum constet Epiphanem mortuum esse post Nisan, cum ejus obitus a scriptore libri primi dicatur contigisse anno CXLIX, qui a neomenia ejus mensis inchoatur, ac deinde cap. X lib. 2 post recitatam V, 9 mortem Antiochi, narrentur proelia, quæ secunda fecit Judas cum Idumæis, ac postea cum Timotheo Eupatoris in Asia duce; ac cap. XI recitetur bellum a Lyfia Eupatoris pueri regis tutore, cum Judæis infelicitè gestum, ac denique pax inita dicatur, scriptis memoratis literis ab Eupatore, atque hæ signentur datæ die 15 Xanthici, profecto non eodem anno, quo Antiochus Epiphanes obiit, scriptæ dici possunt, cum Nisan ac Xanthicus sint primi menses verni, & in anno Lunari potuerint una simul decurrere. Num illæ literæ ab Eupatore initio regni scriptæ sunt, sed a Scriptore libri secundi historię Maccabæicæ alia occasione altero anno recitatæ? Spero fore ut hunc nobis nodum solvat Nicolaus Toinardus Aurelianensis in Harmonia libri utriusque Maccabæorum. Nam cum in sacra æque ac profana historia sit versatissimus, idemque peregrinarum linguarum peritissimus, simulque veterum nammorum Regum Syriæ aliorumque curiosus perscrutator ac interpret doctissimus, in laudato opere typis quidem impresso, sed nondum publici juris facto, historiam Maccabæorum ac rerum ab iisdem gestarum tempora summa eruditione explicabit.

CAPUT

CAPUT II,

*Apamenses, Damasceni, Emiseni, ac Tripolitæ Epochæ
Seleucidarum usi ex ipsorum Nummis.*

Quamvis omnes Syriæ urbes jam inde a Seleuco Nicatorē communi Seleucidarum Epochā usæ fuerint, plures tamen earundem autonomia vel a quibusdam Syriæ regibus, vel postea a Romanis obtenta, antiquata veteri Epochā, novam instituerunt, ut in sequentibus Dissertationibus ostendam. At quædam aliæ everlo regnō Macedonum in Syriā, ac in Romanorum potestatem redactæ, etiam sub imperio Caesarum vetustam Seleucidarum Ærā retinuerunt, ut ex earundem nummis intelligimus.

§. I.

EPOCHA APAMENSIIUM.

Apamea a Seleuci Nicatoris uxore nomen sortita. Ejuādem sitis ex Strabone. Metropolis Syriæ secunda. Insigne templum Jovis apud eandem a S. Marcello Episcopo destructum: Elephantū regum Syriæ in agro Apameno nutriti. Æra Seleucidarum in literis Paphlagonibus a Metropolitā Apamea adhibita. Errores Chronici Alexandrini. Eadem Epochā in nummo regis Alexandri Bala ex sacris literis illustratur. De Axio flumine prope Apameam V. C. opinio insigni Sozomeni testimonio refellitur.

Apamea sive Apamia e quatuor præcipuis urbibus fuit, quas in Syriā Seleucus Nicator aut condidit, aut prolato pomoerio auxit. Macedones initio eandem de nomine patriæ Alexandriæ Pellam nuncupaverant, quam postea Seleucus novis ædificiis instauratam, aliisque auctam colonis, ab Apama uxore, Artabazi Darii regis ducis filia, Apameam appellavit. Errat Stephanus scribens Apameam ab *Apama Seleuci matre* nomen traxisse. Nam Laodice fuit mater Seleuci, uti testantur ex Trogo Justinus lib. 15, Appianus in Syriacis, aliique antiquorum. Pinedo in notis ad Stephanum Apameam prope Orontem in Coele Syriā cum Apamea trans Euphratem ex adverso Zeugmatis perpetuam confundit.

dit. Plinius lib. 5 cap. 23 scribit; *Cœle habet Apamiam Marfyamne divisam a Nazerinorum tetrarchia*; & cap. 24 laudat Zeugma *transita Euphratis mobile*. Ex adverso *Apamiam Seleucus idem utriusque conditor, ponto iunxerat*. Apamea in Cœle Syria distabat Antiochia M. P. LXIX in itinere Emesam, ex Antonini Itinerario. Strabo lib. 6 pag. 196 ait: *Quemadmodum Orontes in Syria biatu terra, qui inter Apamiam est & Antiochiam, ac dicitur Charybdis, absorptus, post 20 stadia rursus emergit*. Idem lib. 16 pag. 517 laudatæ urbis situm describens, *Apamia*, id est regio, inquit, *urbem habet magna ex parte probe munitam. Est enim collis quidam, in campo muris bene cinctus, quem Orontes & ingens quidam lacus circumpositus, & lata paludes peninsulam faciunt; tum prata pascendis equis & bobus amplissima circumjacent. Urbs in tuto sita est, & Chersonesus e re ipsa vocata*. Cæcilius Bassus Cæsaris Dictatoris legato in Syria occiso, eandem urbem belli sedem elegit; ubi a ducibus Cæsarianis frustra diutius obsessus, Cassio tandem Cæsaris interfectori se urbemque dedit, uti narrant Dio lib. 47 & Appianus lib. 4 bel. civil. ac paucioribus Strabo laudato lib. 16, & Josephus lib. 14 Antiq. cap. 17. Unus audiatur Cassius epist. 12 famil. lib. 12 ad Ciceronem: *Nam Bassus misere noluit mihi legationem tradere; quod nisi milites invito eo, legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset, quoad vi esset expugnata*. Cum vero ab Imperatoribus Christianis Syria in duas provincias, nempe primam ac secundam, sive Salutarem divisa, suos unaquæque Rectores sortita fuisset, Apamea evalit metropolis Syriae secundæ; unde & ejusdem Episcopus provinciæ metropolitana constitutus fuit. In subscriptionibus Synodi Nicænæ & Antiochenæ Arrianorum anno Christi 341, ac denique Constantinopolitanæ sub Damaso, Episcopi Apamenses inter suffraganeos recitantur. Quare Arcadio imperante, Apamea Ecclesiastica Syriae secundæ metropolis constituta videri possit. In Concilio schismaticorum apud Ephesum nominatur post Joannem Antiochenum *Alexander Apamea metropolitanus*, uti & in literis Patrum ab eximia eruditionis viro Christiano Lupo publicatis cap. 7, 8 & 13, quo postremo loco *Amasa* Typographus perperam excudit. In Synodo C. P. sub

Menna

Menna Act. V recitantur prolixa gesta judicialia contra Petrum hæreticum Apameæ Episcopum, quæ ibidem Præses provincie Eutychianus ait lecta coram populo, qui incolit τὴν Ἀπαμείων μητρόπολιν *Apamensium metropolim*. Evagrius lib. 5 cap. 10 scribit Apameam a Seleuco colonis auctam, *civitatem quondam beatam, temporis tamen diuturnitate multum diminutam, ac labefactam*, a Persis, Justino II imperante, captam, atque incensam, civibus cum urbis Præfecto ac etiam Episcopo in servitutem abductis. In Museo Mediceo huncce Apamensium Nummum vidi.



In antica parte Nummi cernitur caput Jovis sine epigraphe. Theodoretus lib. 5 cap. 21 describit Apameæ *delubrum Jovis amplissimum, multis ac variis ornamentis illustratum*, quod cum iussu Theodosii Magni Præfectus Orientis cum duobus hominum milibus Apameam missus, demoliri non posset, ob ingentes lapides ferro plumboque colligatos, sanctus Marcellus ejusdem urbis Episcopus, unius cæmentarii arte dejecit. Rem narrat pluribus Theodoretus. In postica nummi visitur elephas cum epigraphe: ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΤΑΟΥ: *Apamensium urbis sacra & inviolata*; addita Epochæ ΖΑΣ: *Anno CCXXXVII*. Strabo lib. 16 cit. describens agri Apamensis fertilitatem, ait: *Hoc loco Seleucus Nicator quingentos illos elephantos alebat, & magnam exercitus partem; sic etiam posteriores reges*. Inter conditiones pacis, quas Romanorum legati apud Apameam Phrygiæ legatis Antiochi Magni Syriæ regis A. V. 566 coram Cn. Manlio Proconsule præscripserunt, una hæc erat: *Elephantos omnes, quos Apameæ habet, tradito, neque alios parato*; apud Polybium Legat. 35. Quos elephantos ab Antiocho acceptos, Proconsul Eumeni Asiæ apud Perga-

Pergamum regi dono dedit, uti tradit Livius lib. 38. Hinc elephantus in Apamensium nummis sculptus est, quod regii elephantum prope Apameam nutriebantur, cum ob agri fertilitatem, optima ibi essent pascua. Extat in lib. 7 Cod. Theod. lex 3 *de pascuis*, qua Imperator Arcadius animalia militum a publicis pratis Apamensis prohiberi præcipit. Apamea in Phrygia, ubi laudatæ pacis leges victo Antiocho datæ sunt, condita fuerat ab Antiocho Sotere, cui, inquit Strabo lib. 12, a matre Apama ipse nomen fecit, filia Artabazæ, qua nuptum data fuerat Seleuco Nicatori. Hinc tres Apameas urbes a Seleuco conditas, teste Appiano in Syriacis, intelligimus; nempe Apameam in Tetrapoli Syriæ; alteram ex Plinio ad Euphratem ex adverso Zeugmatis; tertiam denique in Media ad Tigrim, ex eodem Appiano. Anni vero 237, in eo nummo obsignati, sunt Epochæ Seleucidarum. In Chronico, uti vocant, Alexandrino anno III Olympiadis CXVII, qui fuit V. C. 444, hæc leguntur: *Ab his Consulibus numerantur anni Syromacedonum sive Apameorum secundum Paschalia*. Patriarchæ Alexandrini in literis encyclicis ad Ecclesias suæ dioceseos datis, quibus diem proxime celebrandi Paschalis festi indicabant, annos ab imperio Diocletiani nominabant, qui erant postrema Ægyptiorum Epochæ, uti patet ex Epistola S. Proterii Alexandrini ad S. Leonem Magnum, ac S. Cyrillo in suo Cyclo Paschali, teste Dionysio Exiguo in epistola ad Petronium Episcopum, ubi ait: *Nolumus Circulis nostris memoriam impii & persecutoris, videlicet Diocletiani, innectere, sed magis elegimus ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi annorum tempora prænotare*. Quare Dionysius Exiguus ea in epistola scripta anno Christi 525, Probo Consule, primum se auctorem prodit Æræ ab Incarnatione Christi, quam diu postea Christiani in usum admiserunt. Verum Metropolitæ Apamenses in suis literis Paschalibus, quas singulis quibusque annis de futuro die Paschatis ad suæ dioceseos Ecclesias mittebant, annos juxta Epocham Syromacedonum, qua Apamenses vulgo utebantur, prænotabant. Ceterum nullus dubito, quin Auctor laudati Chronici biennii metachronismum admiserit; dum Epocham Seleucidarum, qua initio omnes Syromacedones

ac

ac postea plures eorundem urbes annos designabant, inchoat ab anno tertio, non autem primo Olympiadis CXVII. Idem Scriptor tradit Pulcheriam Augustam obiisse Vincomalo & Opilione Coss. mense Peritio, die XII Kal. Martii, *anno Syromacedonum septingentesimo sexagesimo tertio*. Ille consulatus signat in Fastis A. V. Romæ 1206, Christi 453. Si Epochæ Syromacedonum cœpisset anno III memoratæ Olympiadis, V. C. 444, annus Syromacedonum 763 correspondisset A. V. 1207 a parilibus. Itaque ille Chronologus in designando anno obitus Pulcheriæ, initium Epochæ Syromacedonum auspicatur ab A. V. 443. Quare utrobique eadem erratum est; siquidem Æra Syromacedonum sive Seleucidarum iniiit ab autumno A. V. 442. Hinc annus ejus Epochæ 237 in Mediceo Apamensium nummo sculptus, cœpit ab autumno A. V. Romæ 678, Cn. Octavio, C. Scribonio Curione Coss. Extat Parisiis in Museo D. Francisci Dron, mihi hoc in opere ob eruditæ antiquitatis studium sapius commendandi, nummus, in cujus antica parte visitur caput diadematum Alexandri Balæ regis Syriæ. In postica Juppiter sedens galeam dextra præfert, cujus numinis splendidissimum templum, uti prænotavi, Apamæ frequentabatur, cum epigraphe: ΑΠΑΜΕΩΝ. ΓΕΡ. *Apamensium*. Anno *CLXIII*. In lib. I Maccab. initio cap. X legitur: *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis, & occupavit Ptolemaidam; & receperunt eum, & regnavit illic; Demetrio interim Sotere in reliqua Syria regnante*. Cum vero uterque certatim Jonatham Judæorum ducem suas in partes trahere conaretur, hic oblato sibi ab Alexandro novo rege, summo Pontificatu, ad ejusdem factionem transit. Ibidem V, 21. *Et induit se Jonathas stolam sanctam septimo mense, anno centesimo sexagesimo, in die solenni Sarnopegia*. Cum vero hic Scriptor a neomenia Nisan annos Seleucidarum ordiatur, qui Syromacedonibus ab autumno inchoabantur, colligimus Alexandrum Theopatorem Syris vulgo *Balam* nuncupatum, regnum Demetrii invasisse anno labente Seleucidarum CLIX; siquidem Jonathas ab Alexandro rege Pontifex designatus, stolam sanctam in festo Sarnopegiz, die XV Tisri, insigni pompa induit. Itaque annus primus

mus regni Alexandri Theopatoris concurrat cum A.V. 601, ante Christum 153, ac proinde annus Seleucidarum CLXIII iniiit ab autumno A. V. 604, qui erat quartus regni Alexandri.

Eruditus amicus noster Joannes Vaillantius pag. 260 Hist. Regum Syriæ nummum e suo Museo profert, in quo cum ejusdem regis Alexandri effigie, in altera parte Juppiter sedens cum victoriola & hasta visitur, cum epigraphe: ΑΗΑΜΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΖΙΩ: *Apamensium qui sunt ad Axium.* Ubi notat Apameam sitam fuisse prope Orontem, cui flumini novum Axii nomen ab Axio celebri Macedoniæ flumine a Seleuco Nicatore, impositum putat, quemadmodum idem urbes abs se in Syria ac alibi conditas, Macedoniæ aut Græciæ urbium nominibus appellavit. Hæc laudati nummi interpretatio haud placuit V. C. Harduino, qui pag. 57 laudat Plinii verba ex lib. 5 cap. 23: *Cæle habet Apamiam, Marsya amne divisam.* Quem amnem Macedones, cum rerum ibi potirentur, *Axium*, inquit, *quod eo nomine in Macedonia insignis amnis est, appellant.* Et postea more sibi familiari, ait: *Affertur hic nummus a Scriptore historia Regum Syriæ: a nemine ante nos feliciter explanatus.* Sed plane infeliciter nummum explicuit, qui & ipsa Plinii, in quo aliquot annos vixit, verba intelligere dissimulavit. Hæc ibi noster Veronensis Plinius scribit: *Cæle habet Apamiam Marsya amne divisam a Nazerinorum tetrarchia.* Quibus verbis neutiquam describitur ipsamet urbs Apamea amne Marsya divisæ, quasi urbem ille fluvius interfunderet, ut textu Plinii dedita opera mutilato, Lectori eruditus alias Interpres imposuit, sed illis verbis ager Apameæ designatur Marsya amne divisus a tetrarchia proxima Nazerinorum, Strabo lib. 16 pag. 517 de Apamea ait: *Regione multa & ubere abundat, per quam Orontes fluit, & multis in ea vagatur.* Hanc Apameæ regionem Plinius ait Marsya amne divisam ab illa tetrarchia. In Itinerario Antonini iter a Callicomo Emesam pag. 42 ita describitur:

Chalcidæa M. P. XVIII.

Temmelison M. P. XX.

Apamiam M. P. XXV.

Larissam M. P. XVI.

Porro

Porro Strabo ibidem scribit: *Apamienſium regioni ad ortum finitima eſt regulorum ditio Arabum, qua Parapotamia dicitur, & Chalcidica a Marſya deſcendens.* Narrat Cæcilium Baſſum, qui occiſo Sex. Cæſare, Syriæ adminiſtrationem uſurpaverat, Apameæ a legatis Cæſaris Dictatoris obſeſſum, a proximis regulis ſuppetias tulſiſſe, quos inter nominat Ptolemaum Mennæi filium, *qui Heſiopolim, Chalcidem, & Marſyam, & Ituraorum montes obtinebat.* Erat Marſya convallis inter radices Libani & Antilibani egregie deſcripta Polybio lib. 5 pag. 390 edit. Caſauboni. Equidem Ptolemaeo Geographo in Apamienſi regione numerantur *Nazama, Ebhelminiſſa, Apamia, Emefa.* Uti vero Thelminiſſus in laudato Itinerario Temmelifon dicitur; ita Nazama eadem fortassis fuit quæ Nazerinorum ditio Plinio appellatur; ubi an legendum ſit *Naxanorum*, harum rerum curioſi viderint. Interim hoc certum lit, ex Plinii verbis aperte colligi omnem Marſyam procul ab ipſa Apamea fluxiſſe, nempe in confiniis agri perampli Apamienſium verſus tetrarchiam Nazerinorum, ac proinde vanam eſſe interpretationem numiſmatis ab Harduino, & quidem ſibi ob eandem plaudente, conſectam. Quis enim Apameam prope Marſyam dixerit, a quo flumine ea urbs plurimis, uti Syri dicebant, ſchoenis diſtabat? Ex Sozomeno lib. 7 cap. 15 nummi explicatio petenda erat. Is numerans quosdam populos, qui Chriſtianis Imperatoribus ſubditi, etiam tum avita Deorum templa armis tutabantur, eos inter recenſet Syros, qui pro templo ΑΠΑΜΕΙΑΣ τῆς ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΞΙΩ πόλει: *Apamia prope Axium flumen* pugnabant. Eſt nummi Inſcriptio: ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΤΩ ΑΞΙΩ. Erat illud ex Theodoreto templum vetuſtiſſimum Jovis, cujus effigies eo in nummo ſcalpta eſt. Itaque Axius erat fluviuſ Apameæ propior quam Oromes; unde quæ eadem civitas a cæteriſ ejusdem nominis urbibus diſtingueretur, tum in nummo recitato, tum etiam a Sozomeno Apamea *apud Axium* nuncupatur. Hac de urbe Strabo lib. 16 ſcribit: *Olim Pelle dicta fuit a primis Macedonibus, propterea quod maxima Macedonum pars, qui in Aſia miſitaverant, hic habitare.* Caſaubonus in notis ad hunc locum, hanc vetuſtioris nominis Pellam-

cum altera Pella in Decapoli Syriæ ab Antiocho Magno captam, ex lib. 5 Polybii, supina hallucinatione confundit. Pellam Macedoniæ urbem Philippi Græciæ, ac Alexandri filii Asiæ domitorum natales nobilitaverant. Hinc Juvenalis Sat. X vers. 168 scribit:

Unus Pellaio juveni non sufficit orbis.

Ejus Macedoniæ urbis situm describit Livius in fine lib. 44. *Sita est, inquit, in tumulo vergente in Occidentem bibernum: cingunt paludes inexuperabilis altitudinis æstate & hieme, quas restagnantes faciunt lacus.* Prope eandem Pellam Axius amnis decurrens, in proximum mare exonerabatur, uti docet Ptolemæus lib. 3 Geographiæ in descriptione Macedoniæ. Livius etiam eadem antea narrat regem Perseum acie a Romanis victum, ac fugam capientem, variis viæ difficultatibus *ad mediam fere noctem* vexatum, Pellam regiam Macedonum sedem pervenisse, paulo post inde etiam *quarta vigilia* profugisse. Additque Livius: *sed nocte a Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem trajicere.* Quare aurora fere proxima, Pella se proripuit. Itaque Axius prope Pellam decurrebat. Cum ergo urbs illa Syriæ, in quam Macedones coloni deducti fuerant, uti ipsorum in Macedonia, Pella, in colle sita, paludibus ac circumstagnanti lacu cingeretur, eandem de memoratæ in Macedonia urbis nomine Pellam nuncuparunt, unaque proxime permeantem fluvium eodem, quo prope Pellam fluens amnis dicebatur, nomine Axium appellarunt. Ita urbem Mesopotamiæ ad Scirtum, quod ibidem aquarum catarractæ viscebantur, quales erant apud Edessam Macedoniæ urbem M. P. XXXX Pella distantem, Edessam pariter nuncuparunt, ut proxime cap. 36. i ostendam. Strabo loco laudato scribit de Apamea Syriæ: *Urbs in tuto sita est, & Cherronesus e re ipsa vocata.* Et Dionysius Periegetes: *Hujus, inquit, ad ortum labitur liquidus Orontes.* Hinc satis ampla illa planicies, in cujus medio colle Apamea sita erat, hinc Oronte, inde vero lacu, ac propiori Axio flumine cincta, Cherronesus, sive peninsula Syriæ dicebatur. Strabo testatur regios equorum greges, in quibus triginta mille equæ numerabantur, in eadem peninsula alitos fuisse. Auctor est Plutarchus in Demetrio, hunc a militibus Seleuci

leuci Nicatoris captum, in *Χερρόνησον τῆς Συρίας* *Cherronesum*, Syria relegatum fuisse; ubi sub libera custodia corpus venationibus ludisque exercebat. Hanc vero Syriae Cherronesum eam fuisse, in qua sita erat Apamea, recte notavit eruditissimus Scriptor regiusque Geographus idemque amicus meus Augustinus Lubin, provinciarum Augustiniani nostri Ordinis in Gallia, uti vocamus, Assistens, pag. 18 Tabul. Geograph. in Annales Usserii. Itaque cum ex tot millium equarum numero ac ex Demetrii venationibus eadem Cherronesus satis iuxta amplitudinis fuisse, colligatur, non ab uno Oronte, & lacu, sed ab Axio quoque flumine cincta intelligitur. Cur enim Sozomenus, qui sex fere saeculis post sculptum illum Alexandri Regis Syriae nummum, historiam scripsit, nempe post Theodosii consulatum XVII, celebri omnibusque noto Orontis nomine omisso, Axium eundem fluvium antiquato olim vocabulo designasset? Hinc Axius diversus ab Oronte amnis dicendus videtur, idemque Oronte Apameae propior. Si quis tamen certiore hujusce rei notitiam comparare velit, is, per me licet, in Syriam transmittet, ac circum Apameam tum decurrentes, tum etiam stagnantes aquas pro libito suis met oculis contempletur.

§. II.

Damascus a quo condita. Regia totius quondam Syriae Metropolis. Ab Assyriis eversa. Seleucidis: item Arabibus paruit. Pompejus eandem Romanorum imperio adjecit. Sub Christianis Imperatoribus Metropolis Phœnicia mediterranea. Damasceni posteritatem atate annum ex mensibus tricenarius verno tempore inibant. Epocha Seleucidarum in eorundem nummis sculpta.

Damascus antiquissima Syriae urbs & antequam Assyriorum regnum proximas quasque provincias absorberet, plurimorum regum sedes, quibusdam a Baccho Indorum domitore, quem & Deum finxerunt, condita dicitur; alii ab Asco gigante, a Jove postea occiso, exstructam narrant apud Isidorum in vita Damascii in codice Photii 242. Nonnulli auctorem ejusdem ex Justino lib. 36 Damascum regem faciunt; alii autem quemdam

dam Damascum, de quo Abrahamus in cap. XV, 3 Geneseos ait: *Filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer.* At D. Hieronymus in lib. de quæst. Hebr. ad cap. 10 Geneseos ait: *Hæc filius Aram Thraconitidis & Damasci conditor.* Erat Aram filius Seml. primogeniti Noe. Damasci situm describit Gvillelmus Tyrius lib. 17 de bello sacro cap. 2, cum eam urbem Conradus Imperator Ludovicus VII Galliz, & Balduinus Hierosolymorum reges anno Christi 1148 irrito conatu obsederunt. Hæc regum Syriæ sedes ac metropolis laudatur Isaia cap. VII, 8: *Caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin,* qui initio ejus capitis *Rex Syriæ* appellatur. Hieronymus in cap. 17 Isaia ait: *Damascus regalis quondam civitas fuit, & in omni Syriæ tenuit principatum.* Necdum florebat *Antiochia, Laodicea, Apamea,* quas urbes post Alexandrum & Macedonum imperium auctas esse cognovimus. Nicolaus civis Damascenus, cujus totius Orbis historiz in CXXIV libros digesta Josepho laudantur, apud eundem lib. 7 scribit: *Longo post tempore indigenarum quidam nomine Adadus, secetis potentior, Damasci & reliqua Syriæ, præter Phœnicem, regnum obtinuit & c.* Illo defuncto posterij ejus decimam usque generationem regnum obtinuerunt, quisque a suo patre cum imperio nomen accipiens, quemadmodum apud *Ægyptios Ptolemei.* Hinc in sacris literis 2 Reg. cap. VIII, 5 *Syriæ Damasci* legitur, nempe ea Syriæ pars, quæ Damasceno regi parebat. De Asa Judæorum rege lib. 3 Reg. cap. XV, 18 dicitur: *Tollens itaque Asa omne argentum & aurum quod remansit in thesauris domus Domini & c. misit ad Benadad filium Tabremon filij Hezion, regem Syriæ, qui habitabat in Damasco.* Hic est quem Nicolaus Damascenus Adadum vocat, cujus posteros ad decimam usque generationem narrat apud Damascum regnasse. Isaia initio cap. 17 Damasceni regni ruinam prædicens: *Ecce, inquit, Damascus desinet esse civitas, & erit sicut acervus lapidum in ruina.* Id contigit Achaz in Judæa regnante, qui cum a Rasin Damasci rege bello premeretur, ingenti sacri ac regii auri pondere ad regem Assyriorum per legatos misso, eundem ad invadendam Syriam pertraxit, ut 4 Reg. cap. 16 narratur. Hæc ibi: *Ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastavit eam, & transfugis habitatores ejus*

ejus Cyrenem, Rafin autem interfecit. Quam Damasceni regni ruinam Amos quoque vaticinatus, sub initium cap. i inquit: E mittam ignem in domum Azael, & devorabit domos Benadad. Et conteram veſtem Damasci: & diſperdam habitatorem de campo Idoli, & tementem ſceptrum de domo voluptatis, & transferetur populus Syriae Cyrenem, dicit Dominus. Tum Damascus civibus in capti- vitatem abductis, templis ac ædibus ſolo æquatis, deſuit eſſe civi- tas, uti Iſaias prædixerat. Verum Aſſyriis in Perſarum poteſta- tem reductis, Damascus reſtaurata, ſpeciem urbis recepit; ac Da- rius movens contra Alexandrum, regiam gazam Damascum mi- ſit, quam poſtea una cum urbe victor Alexander occupavit. Eo vero deſuncto, Seleuco ac ſucceſſoribus ultra annos ducentos paruit. Cum autem inter Antiochi Grypi filios fatales regno Syriae contentiones erupiſſent, Antiochus cognomento Diony- ſus Damascum occupans, proprii ibidem regni ſedem poſuit; at paullo poſt Philippus frater eidem Damascum ſurripuit, a qua ur- be ſtatim pulſus fuit opera Mileſii arcis Præfecti, qui illi urbem antea tradiderat. Interea Antiochus Dionyſus ad recuperan- dam Damascum, exercitum ex Arabia reducens, cum Alexandro Judæorum rege proelio conſerto, pene parta victoria, occiditur. Hæc cum Joſephus lib. 13 cap. 23 narraſſet, ait; *Poſt hunc Cœleſyriae regnum Aretas adipiſcitur, vocatus ad imperium & Damascenis propter odium quo proſequabantur Ptolemaum Mennei.* Is Ptolemaus, ut ſ. ſuperiori ex Strabone notabatur, Heliopolim atque Abilam urbem M. P. XVIII. Damasco diſtantem, Seleucidis fratribus ſo- cum invicem bella gerentibus, uſurpatam tenebat. Ceterum cum Pompejus Tigrane Syriae regno mulſtato, in Cœleſyriam, cum legionibus veniſſet, Metellus ac Lollius ejusdem legati Areta- ram regem Arabum Damasco expulerunt A. V. 690, ex Joſepho lib. 14 cap. 4, qui cap. 5 ait: *Non multa poſt cum Pompejus Damascum veniſſet, &c.* ubi Hyrcanum & Ariſtobulum, de principatu Judai- co diſſidentes, audivit. Inde Damascus Romanorum magiſtra- tibus paruit. Hieronymus in cap. 17 Iſaiæ ad illa prophetæ ver- ba: *Ecce Damascus deſinet eſſe civitas,* ait: *Alii exiſtimant de Ro- mana captivitate prædici, quando & Judæorum a Pompejo captus eſt*

est populus, & Damascus, cui imperabat Areta, similem sustinuit servitutem. Josephus lib. 14 cap. 20 statim post necem Julii Caesaris Dictatoris, Fabium Romanorum *Damasci præsidentem* nominat. Veram eandem urbem ab Augusto alteri Aretæ regi Arabum restitutam colligimus ex Apostolo in epistola secunda ad Corinthios cap. XI, 32. *Damasci*, inquit, *propositus gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum &c.* Sed Arabum rege a Cornelio Palma, cui Trajanus Syriam regendam tradiderat, bello victo, Damascus Syriæ dein Phœnicia addita fuit. Tertullianus in lib. advers. Judæos cap. 9 ait: *Damascus Arabia olim deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœniciam ex distinctione Syriarum*; quam quidem distinctionem ab Hadriano factam tradit in ejusdem vita Spartianus cap. 14, qua de re inferius sermo redibit. Extat lib. 1 eod. Lex 3 *de divers. rescriptis* a Diocletiano missa *Crispino præfidi provincie Phœnicia*. Id temporis Phœnicia erat unica provincia, cujus metropolis Tyrus. At Phœnicia a Christianis Imperatoribus in duas provincias dissecta, una quarum prima Phœnicia, seu maritima, altera secunda sive mediterranea vel Libani dicta est, Damascus hujusce Phœnicia secundæ tum civilis tum etiam Ecclesiastica metropolis evasit, ut pluribus ostendam Dissert. 4 cap. 1; cum tamen ex nummis Commodi, Severi, aliorumque Augustorum honorarium metropoleos titulum antea obtinuisset. Extat in gaza Medicea nummus Imperatoris Alexandri Severi inscriptus: M. AY. AAEZANAPOC K. M. *Aurelius Alexander Caesar*, & in altera parte: ΔΑΜΑΚΟΤ ΠΕΡΑΚ ΜΗΤΡΟΗ. *Damasci sacra metropoleos*, & in corona: CEBACMIA: *Augusta*. In aliis Caesarum nummis Colonia nuncupatur, quos ex volumine, quod modo eruditissimus Vaillantius adornat, brevi intelligemus. Nummum vero Augusti indicavit ille mihi, in cujus antica parte legitur: ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Augustus*; altera parte ita obsignata.



Nem-

Nempe: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. L. ΕΚΤ. *Damascenorum. Anno CCCXXV.* qui cœpit ab autumno A.V. Romæ DCCLXVI, eodemque postremo imperii Augusti. Ex hoc pariter nummo constat Epocham Seleucidarum inchoatam fuisse A. V. Romæ 442. Nam si cœpisset ab autumno anni insequentis 443, annus 325 inisset Augusto jam vita defuncto.

Damasceni Epocham Seleucidarum diutius servarunt; quamvis annum more veterum Arabum, a verno tempore inchoarent. Nam Simplicius in comm. ad lib. 5 Physicorum Aristotelis scribit: *Qua vero a nobis statuuntur initia, anni quidem circa Solstitium æstivum, ut apud Athenienses: vel circa Equinoctium autumnale, velut in Asia proprie sic dicta: vel circa brumam, quod Romanis: vel denique incuncente vere, quod Arabibus & Damascenis in usu est.* Verum cum Damasceni in Seleucidarum regno censebantur, una cum ceteris Syris, annum ab autumno inibat. At cum ultro Aretæ postea regi Arabum se tradidissent, tum primum fortassis initium anni ad vernam tempestatem traduxerunt. Et quidem annum Arabicum fuisse olim Solarem recte colligit Scaliger lib. 4 de emend. Temp. pag. 229 ex S. Epiphanio ad Hæresim LI Alogorum, ubi ait diem VIII Novembris apud Romanos fuisse juxta Ægyptios XII Athyr: *juxta Arabes Angalthabaith vigesimam secundam; & rursus sextam Januarii Romani fuisse apud Ægyptios XI Tybi: juxta Arabes Aleon vigesimam primam.* Itaque Angalthabaith incipiebat die 18 Octobris, ut illius vigesima secundam cum octava die Novembris concurreret. Rursus prima dies Aleon cadebat in diem 17 Decembris, ut ejus XXI cum sexta Januarii decurreret. Porro a die 18 Octobris ad 16 Decembris colliguntur menses duo tricenarii. Quare vetustus ille Arabum annus erat similis anno Ægyptiorum; quamvis initium anni a diverso cardine ab utrisque deduceretur. Vaillantius pag. 314 Hist. regum Syriæ profert nummum Demetrii II, vulgo Nicatoris, in cujus postica parte retro sedem Jovis Δ littera visitur, ex qua nummum ad Damascenos revocat. Ibi vero inferius signatur Epocham Seleucidarum Δ Π Ρ. *Anno CLXXXIV.* Illustrissimus Comes Franciscus Mediobarbus eruditæ rei nummarie studiosissimus,

quam etiam locupletissimo Occoniano auctario eximie illustravit, nummum e suo Museo ad me transmisit; alterum accepi e Cimeliis viri spectatissimi D. Francisci Dron, Parisiis Canonici S. Thomæ ad Luparam.



In priori nummo Comitis Mediobarbi cum Symbolo Victoriæ legitur: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. Λ. ΗΚΤ. *Damascenorum. Anno CCCXXVIII*; qui annus iniit A. V. Romæ 769, Æræ Christianæ XVI, ac tertio imperii Tiberii Augusti. In altero nummo cum Dama, quod in aliis etiam Damascenorum nummis animal occurrit, legitur: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. ΕΜΤ. errore monetarii litera Σ deficiente. *Damascenorum. Anno CCCXLV*. qui cœpit anno urbis Romæ 786 eodem Tiberio imperante. In alio quoque nummo, quem delineatum proferunt Tristano tom. I pag. 231 ac Spanhemius Disfert. 4 pag. 318, legitur: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. ΓΠΣ. *Damascenorum. Anno CCLXXXIII*, qui cum A. V. Romæ 715 copulatur. Hunc quoque nummum ex Tristano nuper recitavit V. C. Harduinus pag. 134, putatque priorem literam Γ esse Λ inversam, quæ idem sit ac Græce λυκάβας, id est, *annus*. Itaque legit: *Damascenorum anno σπ'*, hoc est, CCLX. Additque: *Quare hunc Damascenorum nummum omnino cufum esse oportuit anno Urbis Romæ DCCI, quo fere M. Crassus in Parthis occisus*. Error est viri eruditi, calamo ad alia properantis. Nam cum ibi concedat signari in eo nummo annos Epochæ Seleucidarum, quæ cœpit anno Urbis Romæ 442, ut ibidem prænotat; annus abhinc Damascenorum ΣΠ 280, non ut ille perperam numerat 260, concurreret cum anno Urbis Romæ DCCXXII, occiso ante quatuor lustra in Parthis Crasso. At rectius, uti dixi, legitur ΓΠΣ, *Anno 283*, qui cœpit A. V. Romæ

724 eoque primo imperii Augusti in Syria, uti pluribus Dissert. 3 cap. 6 demonstrabo.

§. III.

EPOCHA EMESENORUM.

Emesa urbs vetusta regni Seleucidarum: dein Sampficerami ac successorum regia sedes. Romanis provinciis addita, duarum Augustarum patria fuit. Epocha Seleucidarum ibidem adhibita. Qualis imago Solis apud Emesam culti. Fit Romanorum colonia ab Antonino Caracalla.

EMesa, quam alii Emisam, vel Emessam scribunt, *saeculis condita* priscis dicitur Ammiano Marcellino lib. 24, ubi inter præcipuas Phœnicum urbes eidem laudatur. Distabat Antiochia M. P. CXXXIII, ex Itinerario Antonini, qui Antiochia Apameam numerat M. P. LXIX; hinc vero per Larissam, Epiphaniam, & Arethusam usque Emesam M. P. LXIV. Cum Aurelianus Augustus contra Zenobiam Antiochia movisset, illum, inquit Zosimus lib. 2, *Apamea, Larissa, & Arethusa excipiebant, ubi Palmyrenorum exercitum ante Emesam in campo collocatum vidisset &c.* Zenobiam vero apud Emesam magno certamine victam scribit in Aureliano Vopiscus cap. 25. Emesa intra Seleucidarum regnum fuit, quousque Antiochi Grypi filiis secum invicem dissidentibus, plures tyranni emerferunt, qui sitas in mediterraneis Phœnicæ urbes sibi usurparunt; cum etiam, uti diximus, Damasceni ultro se Aretæ regi Arabum tradidissent. Judæi Alexandro rege duce magnam Coelefyriæ partem occupaverant, ac Tigranes vocatus ad regnum ab Antiochenis, Syriam ac Mesopotamiam invaserat. In tanto imperii Seleucidarum excidio, quidam Sampficeramus novum apud Emesam regnum condidit. Strabo lib. 16 pag. 518 scribit Cæcilium Bassum a binis exercitibus obsesum Apameæ, diutius usque ad Cassii in Syriam adventum restitisse, quod finitimi reguli eidem suppetias ferebant: *Item*, inquit, *Sampficerami & Jamblichi ejus filii regio, qui genti Emesenorum imperabant: ubi eidem nominatur etiam Sampficerami Arethusa,* quæ M. P. XVI Emesa distabat. Hunc Sampficeramum antea

Pompejus in Syriam descendens, P. R. tributarium fecerat A. V. 691. Cujus Emesenorum reguli in Antilibano angustius imperantis nomen cum ceteros inter subactorum regum titulos in triumpho ferculis Pompejus prætulisset, nomen idem ignotum ac barbarum plerisque risui fuit; unde Cicero non uno loco Pompejum irrisu gratia *Sampsiceramum* appellat. Hæc scribit epist. 16 lib. 1 ad Atticum: *Nunc vero, Sampsicerame, quid dices, ve- ligal te nobis in monte Antilibano constituisse?* Verum idem Cicero cum proconsul Ciliciæ Parthorum irruptionem timeret, ejusdem Sampsicerami filium Jamblichum *Phylarchum Arabum, hominum opinione, Romane Reipublice amicum* laudat epist. 1 lib. 15 familiarium. Hunc Jamblichum Sampsicerami filium Antonius Triumvir ut sibi suspectum, bello Actiaco interfecit, ex Dione lib. 50. Verum Augustus A. V. 734 Syriam perlustrans, Jamblichum Jamblichi perempti filio paternum in Arabia principatum restituit, ex eodem Dione lib. 54. Hujus posterii diutius apud Emesam regnarunt. Nam rex Agrippa *Azizo Emesenorum regi circumciso* Drusiam sororem in matrimonio collocavit, ex Josepho, qui anno primo Neronis lib. 2 de bello cap. 7 ejusdem obitum recitat, succedente eidem fratre Sohemo. Vespasiano imperium ab exercitu A. V. 82 in Syria accipienti accessit, inquit Tacitus lib. 2 Hist. *cum regno Sobemus haud spernendis viribus*. Cum vero anno quarto imperii Vespasiani, Cæsennius Pætus Syriæ Præses contra regem Commagenorum Antiochum exercitum duceret, *habuit*, inquit Josephus, *auxilio reges Chalcidice Aristobulum, ac Sobemum Emesa*; lib. 7 de bello cap. 22. Verum uti maxima quæque finitimorum regna, ita mediocre etiam Emesenum Romana potentia absorbit, ac Phoeniciæ provinciæ additum fuit. Quamvis vero Emesa regum sedes esse desiisset, plurimum tamen Romanorum Cæsarum, ac Augustarum patria evasit. Nam ea in urbe natales habuerunt Julia Domna Septimii Severi uxor, ac Imperatorum Caracallæ & Getæ mater, ejusque soror Julia Mæsa. Augusta avia Imperatorum Elagabali & Alexandri Severi, ac mater Soemiadis & Mamæ Augustarum. Herodianus lib. 5 ait: *Mæsa erat quadam nomine Phœnissa mulier ab Emesa urbe Phœnicia,*
cui

cui soror Julia fuerat, Severi conjux, ac mater Antonini. Qui ut suae matris patriam honoraret, eandem coloniam fecit, teste Paulo lib. 50 Digest. L. 8 de censibus, ubi ait: *Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum coloniam juris Italici fecit.* Unum & alterum Emisenorum nummum exhibeo.



Prior nummus est Antonini Caracalla in scriniis D. Francisci Dron, Parisiis Canonici S. Thomae ad Luparam, quem etiam recitat Eques Patinus pag. 304. Alter Juliae Domnae servatur in Cimetis Regis Christianissimi. Utriusque postica Inscriptio Latine redditur: *Emisenorum colonia.* Epocha HKΦ eadem utrobique visitur; quamvis litera H in regio numismate partim detrita sit. Herodiano lib. 5 Elagabalus ac Alexander Severus, cum essent privati adolescentes, dicuntur *sacerdotes ambo Solis, quem maxime indigena*, nempe Emeseni, de quibus loquitur, *colunt, Pbaenicam lingua Heleagababum vocitantes, templumque illi maximum constructum habent, auro argentoque plurimo, ac lapidum ingenti magnificentia exornatum.* Itaque Emeseni celeberrimi apud ipsos templi imaginem, in nummis delineatis expressam, publicarunt. Epocha ibidem sculpta legitur HKΦ: *Anno quingentesimo vigesimo octavo.* Priorem nummum esse Antonini Caracallae, ex ejusdem effigie mihi per literas testatus est harum rerum peritissimus Nicolaus Toinardus; quamvis Inscriptio detrita sit. In eo vero effigies Solis ab Emesenis culti exhibetur, de quo Herodianus loco laudato scribit: *Simulacrum vero nullam Graeco aut Romano more manu factum ad ejus Dei similitudinem, sed lapis est maxi-*

*maximus ab imo rotundus, & sensim fastigiatus propemodum ad con-
figuram. Additque: Solis imaginem illam esse affirmant, minime
humano artificio fabricatam, quam & coelitus sibi ipsis demissam
commentabantur. Hinc Antonini qui post Macrinum impera-
vit, a Sole, cujus apud Emesam sacerdos fuerat, Elagabali cogno-
men derivavit, ut cap. 1 de vita ejusdem Lampridius scribit. Ex-
tant ejusdem nummi in postica inscripti: SANCTO DEO SO-
LI ELAGABAL, in quibus Solis simulacrum in speciem con-
formatum visitur. Baronius ad annum Christi 220 putavit eam
esse imaginem Solis vel fortassis Antonini *versis humeris* currum
insidentis. Cum nulli ibidem humeri, aut alia humani corpo-
ris pars appareat, sed lapis sit sensim fastigiatus, quem Emesenus
Antoninus novum Deum Romæ consecravit. De voce *Elagabal*
plura prænotavit Seldenus Syntagmate 2 de Diis Syris. Vopiscus
in Aureliano cap. 25 ait: *Emesam victor Aurelianus ingressus est,
ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio vo-
ta soluturus. Verum illic eam formam numinis reperit, quam in
bello sibi faventem vidit.* Nempe formam lapidis, quam delineas-
tus nummus præfert. Avieni poetæ carmina de Emesa sunt:*

Denique flammicomo devoti pectora Soli

Vitam agitant. Libanus frondosa cacumina turgēt;

Et tamen bis certant celsi fastigia templi.

Idem vero annus HKΦ, *quingentesimus vicesimus octavus* in hoc
quoque Caracallæ nummo legitur. Sunt anni Epochæ Seleuci-
darum, quæ cum inierit ab autumno A. V. 442, annus ejusdem
DXXVIII coepit per autumnum A. V. 969, Æræ vulgaris Christi
216, ac sexto imperii Caracallæ post mortem Severi patris. Ex hoc
insigni nummo probavi, Epocham Seleucidarum non posse in-
choari ab autumno A. V. 443, quia annus illius DXXVIII inisset A.
V. 670 Macrino jam imperante; siquidem Caracalla eo anno a
parilibus inchoando, Christi 217, die suo Natali, octavo Aprilis
occisus fuit. Extant in Museo regio parvi nummi cum epigra-
phe: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC, cum ejusdem Caracal-
læ capite, & retrorsus: ΕΜΙCΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC, cum muliere
turrata, ac subtus figura partim aquis immerfa, & ΕΚΦ, Anno
DXXV.

DXXV. Item alius: ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC, *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus*; & in altera parte: ΕΜΙCΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC. ΖΚΦ. *Emisenorum colonia. Anno DXXVII*; ubi visitur Aquila globo insitens, ac rostro coronam tenens. Alios nummos ex eodem regio Museo appellat V. C. Harduinus Juliae Domnae ac Caracallae inscriptos: ΕΜΙCΩΝ ΚΟΛΩΝΙΑC. ΚΦ. *Emisenorum colonia. Anno DXX.* Verum puto eosdem esse quos recensui, ac priorem notam numeralem eidem omissam fuisse. Nam annus Emesenorum DXX exiit per autumnum A. V. 962, Pompejano & Avito Coss. Severo Septimio ac M. Antonino & Septimio Geta Augustis. At Emesa facta fuit colonia post mortem Septimii Severi, ab Antonino Caracalla, quod laudatus Paulus lib. 50 Digest. tit. XV testatur, & insuper eidem Synchronus qui sub Caracalla scripsit, alter insignis Juris consultus Ulpianus in eodem lib. 50 Digest. *Sed*, inquit, *& Emisena civitati Phoenices Imperator noster jus coloniae dedit, jurisque Italici eam fecit.* Unum ibi Imperatorem coloniae Emisena auctorem laudat, nempe Antoninum, uti diserte illum vocat Paulus. Ibidem vero Tyro jus coloniae a Ulpiano dicuntur donasse *Divus Severus & Imperator noster*; ex quibus patet, *Imperatoris nostri* nomine solum Caracallam, Severi demortui filium ac tunc Orbi Romano imperantem, a Ulpiano designari. Et recte. Nam edicta, rescripta, ac leges imperantibus Severo ac Caracalla emissae, utriusque nomen in titulis praeferebant. Quare cum a Ulpiano ac Paulo unus Caracalla auctor coloniae Emisena dicatur, eadem urbs ab illo post Severi Augusti mortem, jus coloniae accepit. Erratum summi & incomparabilis viri Panvinii in libro de imperio Romano emendandum est, qui inter viginti colonias in Syria conditas, numerat pag. 867 *Emesenam* coloniam in Phoenice, & postea *Misenam* coloniam, utramque a Caracalla deductam; cum una eademque fuerit colonia Emisena, quam ex depravato codice Panvinus uti distinctas obtrusit.

§. IV.

EPOCHA TRIPOLITARUM.

Tripolis a tribus Urbibus condita. Insigne ejusdem Urbis navale.

N

Casto-

Castoris ac Pollucis cultus in Syria maritima captus. Ex nummis Tripolitarum initium Epochæ Seleucidarum figitur in Autumno A. V. Roma 442.

TRipolis maritima Phœniciæ urbs, eo nomine, teste Strabone lib. 16, appellata, quod est condita a Tyriis, Sidoniis, & Aradiis, qui mercium causa illic conveniebant. Diodorus Siculus lib. 16 ad annum secundum Olympiadis CVII ait: *Celebris in Phœnicia urbs est Tripolis, consentaneam sibi appellationem habens; tres enim in ipsa urbes continentur stadii intervallo diremptæ. Una Aradiorum, altera Sidoniorum, tertia Tyriorum, cognomentum habet. Maximam hac inter omnes Phœnicia civitates dignitatem obtinet; utpote in qua Phœnicum Senatus convenire, deque rebus maximis consilia tractare solet.* Dario apud Ipsum ab Alexandro priori prælio superato, Græci duces transfugæ qui in Persarum castris militabant, Tripolim cum octo millibus militum, fugerunt, ibique *sumptis navibus recens in navale subductis*, quibus antea e Lesbo transvecti fuerant, in Cyprum fugerunt, uti narrat Arrianus lib. 2; ac statim Tripolis in Macedonum potestatem venit, Alexandro universam Phœniciam occupante. Eo vero defuncto, Tripolis cum Phœnicia diutius Ptolemæis Ægypti regibus paruit, quousque Antiochus Magnus Phœniciam Ptolemæo Epiphani abstulit, quam postea dotis nomine, Cleopatra filia eidem uxore tradita, restituit, ex Josepho lib. 12 cap. 3, iterumque eripuit. Ita Tripolis deinceps Seleucidis paruit, donec Antiochi Grypi filiis Syriacum regnum mutuis contentionibus evertentibus, Dionysius tyrannus Tripolim occupavit: quem postea Pompejus urbe in potestatem redacta, securi percussit, ex Josepho lib. 14 cap. 5. In lib. 2 Maccabæorum initio cap. XIV dicitur Demetrius Soter Antiochi Magni nepos, cum Roma in Syriam fugisset, *per portum Tripolis ascendisse ad loca opportuna*, qui Antiocho Eupatori regnum vitamque abstulit. Tripolitæ annum Macedonum atque Seleucidarum Epocham servabant, ut eorundem nummi produnt. Extant bina numismata in Cimeiiis Mediceis ejusdem typi, quem hic exhibeo.

Nempe



Nempe Latine: *Imperator Caesar Trajanus Hadrianus*; & in aver-
sa parte: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΗΚΥ. *Tripolitarum. Anno CCCCXXVIII.*
Itaque hic nummus Hadriani sculptus fuit anno Tripolitarum si-
ve Seleucidarum 428, qui exiit per autumnum A. V. Romæ 870,
quo Hadrianus die XI Augusti Imperator salutatus fuit, qua die,
ut ait Spartanus cap. 4, *natalem imperii instituit celebrandum.* Ex
hoc numismate superius ostendi, Epocham Seleucidarum a verno
tempore non cœpisse, sed ab autumnino; siquidem A. V. 870, men-
se Augusto, adhuc decurrebat annus Seleucidarum 428. Rursus
ex eodem nummo extra dubium ponitur finis imperii ac vitæ
Trajani, ac initium principatus Hadriani. Harduinus pag. 507
huncce nummum recitat ex suorum Museo Claramontano, ait-
que percussum anno *Hadriani secundo.* Errat. Nam dubio pro-
cul annus 428 Tripolitarum expletus est anno primo imperii
Hadriani; imo cum annus 428 Seleucidarum exitum habuerit
circa Octobrem A. V. Romæ 870, ille nummus ante exitum alteri-
us mensis anni primi imperii ejusdem Hadriani percussus fuit.
Est in eadem Gaza Medicea alter nummus Hadriani cum epigra-
phe: ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ: *Imperator Ca-*
sar Trajanus Hadrianus; & in postica: ΟΡΘΟΣΙΕΩΝ, *Orthosien-*
sium; ubi Castor ac Pollux hastati, suum uterque equum fræno
tenet. Hos autem haud novit Tristanus tom. I pag. 412 in num-
mo Trajani. Orthosias erat urbs Phœnicum maritima. Philo
apud Byblum in eadem Phœnice natus, referente Eusebio lib. I
de præparat. Evang. cap. 7, ex veterum Phœnicum theologia ait:
His temporibus Dioscurorum posterum navigia fabricati, tempestatibus-

que ad Casium montem dejecti, templum ibi condiderunt. Græci Dioscuros appellabant, quos Latini Castorem ac Pollucem dixerunt. Mons Casius erat prope Seleuciam. Ita illorum posterius ad maritimam Syriæ delati, Dioscurorum cultum ibidem propagaverunt. Polybius lib. 5 Seleuciam describens, laudat ibidem Διοσκύρων, *Fanum Castoris ac Pollucis.* Pacatus in Panegyri ad Theodosium: *Nam si olim, inquit, severi credidere majores Castoras geminos, libentibus equis, & stellatis apicibus insignes, pulverem cruoremque Thessalicum aquis Tiberis abluentes, & nuntiasse victoriam &c.* quam nempe Paullus Æmilius de Perseo rege Macedonum reportaverat; quæ etiam Cicero refert lib. 2 de nat. Deorum, Valerius Maximus lib. 1 cap. 9, ac Plutarchus in Paulo. Apulejo lib. 10 describuntur *Castor & Pollux, quorum capita cassides orbata, stellarum apicibus insignes, contegebant;* quales omnino in laudato nummo exhibentur. Duo enim sidera nautis propitia Castoris ac Pollucis alterna luce fulgentium, nomina tulerunt; unde Horatius lib. 1 Ode 12 ait: *quorum simul alba nautis stella refulsit.* Urbes quæ rei maritimæ vacabant, Dioscuros, sive Castorem ac Pollucem peculiari superstitione adorabant. Tripolitarum autem navale, & quidem amplissimum ex laudato lib. 2 Arriani intelligimus, qui scribit e ductis tot navibus ex Tripolitarum navali, quæ octo millibus militum vehendis sufficerent, *reliquas in navali succensas,* ne victor Alexander iis uti posset. Auctor est Ammianus Marcellinus lib. 19, Tertullum Præfectum Urbi *in difficultate annonæ Urbis Romæ Ostiam profectum, atque ibi in ade Castorum sacrificasse,* quo naves frumentariæ secundo vento portum subirent. Extat in eodem Museo Mediceo cum iisdem Dioscuris Antonini Pii nummus inscriptus: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Τ. ΑΙΑ. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CΕΒ. ΕΥC. *Imp. Caesar. T. Ælius Hadrianus Antoninus Augustus Pius.* Et retrorsus: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΕΝΤ. *Tripolitarum.* Anno CDLV, qui iniit ab autumno A. V. Romæ 896 Torquato & Herode Consulibus. Josephus Magna circa Bononiensis rei antiquariæ studiosissimus, cujus singulari erga me humanitati ac officiis plurimum debeo, suis in scriniis hunc Elagabali nummum possidet.

Nem-



Nempe: *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus*, & in postica. *Tripolitarum. Anno DXXXIII.* Alter etiam nummus visitur in Museo Regis Christianissimi inscriptus: *ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC.* *Imperator Caesar Marcus Aurelius Antoninus*; & retrorsus: *ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ* cum templo tetrastylo, in cujus medio inter binas figuras ara accensa visitur, & infra: *ΑΑΦ.* nempe: *Tripolitarum. Anno quingentesimo trigesimo primo.* Item in eisdem regiis Cimeliis extat alter nummus: *ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC*; & in altera parte: *ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΒΑΦ.* *Tripolitarum. Anno 532.* Vir magni inter Antiquarios nominis cum vidisset unicum tantum nummum signatum *ΑΑΦ.* putavit averfis literis *FLAVIÆ* cognomen Tripoli adjectum; in quam præposteram opinionem vir summi ingenii ac eruditionis neutiquam abiisset, si alios mihi laudatos ejus urbis nummos inspexisset; statim enim adnotasset Epocham illie Seleucidarum designari. Hunc errorem prænotavit V.C. Harduinus pag. 506; ubi contra memoratam interpretationem plures producti nummos Tripolitarum, hæc statim scribens initio pag. 507: *Alioqui enim quid fiet nummo alteri ejusdem Elagabali, e Cimelio Regio, quem sic inscriptum vidimus, ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΖΚΦ. nisi annum hæc literæ DXXVII significent?* Errat, dum putat hunc nummum esse Elagabali, qui dubio procul est Antonini Caracallæ, quod facile intellexisset, si ipsum nummum, non autem ejus tantum descriptionem in Indice vidisset. In antica illius parte legitur ... *ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC* *Aurelius Antoninus*; ubi Caracallæ facies obducto supercilio, ac genis breviquidem, sed torta ac implexa barba rigentibus,

visitur; cum Elagabali vultus imberbis in nummis appareat, quippe qui teste Dione, anno ætatis XVIII occisus fuit. Sed etiam si nummus non inspiciatur, hoc ipsum annus 527, ibidem signatus, aperte prodit. Epochæ Seleucidarum cœpit ab autumno A. V. Romæ 442; unde annus ejusdem 527 exiit per autumnum A. V. Romæ 969, Christi 216, Sabino II & Anulino Consulibus, Caracalla sextum simulque postremum annum imperii post obitum Severi patris agente. Præterea idem Harduinus exponens eas literas ΑΛΦ, ait easdem indicare annum *era Seleucidarum DXXXI, Elagabali tertium*. Itaque anno Seleucidarum 527 nondum Elagabalus imperabat, si annus Seleucidarum 531 erat tertius imperii Elagabali. At annus Seleucidarum Epochæ 531 cœpit ab autumno A. V. Romæ 972, Christi 219, eodemque secundo principatus Elagabali ante quatuor menses inito.

In altero delineato nummo amici nostri Magnavaccæ legitur: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΓΑΦ: *Tripolitarum. Anno DXXXIII*, qui annus Seleucidarum cœpit ab autumno A. V. Romæ 974, quo M. Antoninus Elagabalus mense Martio occisus fuit, ipsomet Elagabalo IV & Alexandro Cæsare Coss. Extat in Vaticana Bibliotheca sculptus in lapidea base Canon Paschalis S. Hippolyti Martyris & Episcopi, cujus Latine versu initium est: *Anno primo imperii Alexandri Imperatoris facta est XIV Paschalis Idibus Aprilis, Sabbato, &c.* At A. V. 975 a Palilibus, Christi 222, dies Iduum, sive XIII Aprilis incidit in Sabbatum, Cyclo Solis VII, Lunæ XIV, lit. F, quo item anno Luna decimaquarta Paschalis sive Martii fuit eadem die XIII Aprilis. Uti vero ex nummo Hadriani a Tripolititis obsignato ΗΚΥ, anno Seleucidarum CDXXVIII, ostendimus eandem Æram non posse retrahi ante autumnum A. V. 442, ita ex hoc altero Antonini Elagabali colligimus ipsammet Epocham non posse differri ad A. V. 443: nam annus abhinc quingentesimus trigessimus tertius in Elagabali nummo obsignatus, cœpisset ab autumno A. V. 975, quo tempore Imperator Alexander Severus, Elagabalo mense Martio occiso, imperabat. Itaque dudum isti nummi Tripolitarum Hadriani ac Antonini Elagabali nominibus, atque annis CDXXVIII ac DXXXIII Seleucidarum obsignati, ho-

rum

rum Epocham celeberrimam figunt in autumno Anni urbis Romæ CCCCXLII, ante vulgarem Christi Epocham 312.

§. V.

EPOCHÆ ORTHOSIENSIIUM.

Orthosia urbs Phœnicum in sacris literis memorata. Ejusdem situs. Vetusſam Seleucidarum Epocham retinuit. Nummi illius expoſiti. Gentile Orthoſienſium nomen in iisdem diverſimode expreſſum.

OOrthosia urbs Phœnicum, maritima lib. I Maccabæorum, cap. XV memoratur. Nam cum Tryphon, qui regnum Syriæ invaſerat, intra Dororum mœnia ab Antiochô Evergete, quem regem Syriæ venandi ſtudio Sidetem vulgo appellarunt, obſideretur A. V. Romæ 617, *fugit naſi in Orthoſiada*. Plinio lib. 5 cap. 20 junctim nominantur in Phœnicia *Orthoſia, Eleutheros flumen*, quo Phœnicia a ſuperiori Syriæ dividebatur. Strabo lib. 16 pag. 523 ait, Arthemidorum ab oſtiis Orontis ad Orthoſiam uſque maritima navigatione numerare ſtadia 1130, & ab Orthoſia Peluſium ſtadia 3650. Epochæ Orthoſienſium, ex duobus Antonini Pii nummis, quos hic ſubjicio, intelligitur.



Prior nummus ſervatur in Cimeliis Regis Chriſtianiſſimi cum antica Inſcriptione: ATT. KAI. TI. AIA. AΔP. ANTΩNEINOC CEB. *Imperator Caſar Titus Aelius Hadrianus Antoninus Auguſtus*. In averſa parte quænam ſint bina illa animalia non ſatis indicatur; quamvis enim cornua boves denotant, caudæ tamen alia animalia videntur designare. Inferius legitur epigraphe: ΟΡΘΩΝCΙΕΩΝ, *Orthoſienſium*. Alterius poſtica pars, quam mihi V. C. Vaillantius deſcriptam tranſmiſit, cum eadem Inſcriptione

ne Deam Astartem præfert. • In utroque autem nummo signatur Epochæ E. ΒΕΤ, *Anno CDLXII*. Orthosiensēs, uti proximi Tripolitæ, Epocham Seleucidarum servabant, quæ cum inierit ab autumno A. V. Romæ 442, annus ejusdem 462. cœpit ab autumno A. V. Romæ 903, eodemque decimotertio imperii Antonini Pii. Cum autem Epochæ Seleucidarum a Syris adhiberetur, laudati nummi spectant ad Orthosiam in Phœnice, non ad aliam ejusdem nominis urbem in Caria. Harduinus pag. 371, & iterum in *Curis secundis* pag. 607 scribit, Antonini Pii nummum, *quem*, inquit, *vidimus*, spectare ad Orthosiam in Caria. At vir eruditus nummum notavit in regio indice descriptum; si enim ipsummet nummum in Regiis scriniis observasset, non modo Epocham non omisisset, verum etiam ex eadem dubio procul illum ad Orthosiam Phœniciæ spectare intellexisset. Idem Harduinus in *Addendis* pag. 585 scribit: ΟΡΘΩCΙΕΩΝ. *Caracalla nummus e Gaza Regia, in templo quatuor columnarum Astartem exhibet*. Hunc quoque nummum ex indice tantum cognovit; in illo enim Regio numismate nomen gentile secus scalprium est; siquidem in anteriori parte ceteris titulis detritis, legitur: ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ, *Antoninus*. In posteriori vero media visitur Astarte inter Cybelem ac Fortunam cum epigrapha: ΟΡΘΩCΙΩΝ, *Orthosiorum*. Gentilia nomina plurali genitivo in ΙΩΝ desinentia, exempli gratia, Τυρίων, Σιδωνίων, Σαμίων, Latine redduntur, *Tyriorum*, *Sidoniorum*, *Samiorum*. Ex genitivo vero exeunte in ΕΩΝ, Αντιοχείων, Σελευκείων &c. Latinis fit: *Antiochenium*, *Seleucensium* &c. Orthosiæ urbis gentile utroque modo in nummis scalprium legitur, quod aliis etiam urbibus in usu fuit, uti pluribus ostendit Illustrissimus Spanhemius Dissert. IX de præstant. & usu Numismi, a pag. 910. Imo in Synodica Episcoporum Phœniciæ inserta Act. V. Concilii C. P. sub Menna Patriarcha, Stephanus Episcopus Ορθωσιαίων *Orthosiensium* accusatur, uti assecla ac minister Severi Antiocheni Patriarchæ hæretici; ubi penultima syllaba cum diphthongo scribitur, secus ac in nummis apparet. Phosphorus Antistes Ορθωσιᾶδος *Orthosiadis* recitatur in Synodo Antiochena sub Domino, & in Calchedonensi, in cujus Actione IV a Photio Tyri

Tyri

Tyi Metropoli accusatur Eustathius Berytensis, qui sex Tyriæ dioeceseos urbes invasisset, quas inter numerat *Ορδοιὰδα Ὀρθοσιadem*. Phosphoro successit Nonnus, qui in Synodica Phœnicæ maritimæ ad Leonem Augustum legitur.

CAP V T III.

EDESSA, AC PALMYRA SELEVCIDARVM EPOCHÆ VSÆ.

§. I.

Edeffa metropolis Osrboëna in Mesopotamia. Aristidis locus emendatus. Scitus fluvius in nummo Edessa. Abgari duntius ibidem regnarunt. Antoninus Caracalla eam urbem, ejecto rege, coloniam fecit. Nunquam fuit metropolis Phœnicia ad Libanum. Osrboëna ac Mesopotamia sub Christianis Imperatoribus provincia distincta. Edesseni Epochæ Seleucidarum usq. Eusebius a V. C. Harduini censura vindicatur. Annus primus imperii Probi demonstratur, ac ordo annorum Bissextilium ex Canone Paschali S. Hippolyti ostenditur, simulque insignium Scriptorum Fasti emendantur.

Edeffa urbs Mesopotamiæ Ptolemæo dicitur, ac postea etiam Socrati lib. 4 cap. 14, & Procopio lib. 2 de bello Persico. Eadem vero Osrhoënæ provinciæ adscribitur L. 79 & 105 de Decurionibus, lib. 12 Cod. Theod. Eutropio lib. 8, ubi de Caracalla; & Evagrio lib. 4 cap. 8 laudatur *Edessa urbs Osrhoënorum amplissima ac in primis beata*. Mesopotamia inter Euphratem ac Tigrim regio, unde & nomen accepit, duas in provincias divisa fuit, cuius pars quæ ad Occidentem Euphrati prætendebatur, Osrhoëna vel Osdroëna dicta fuit; altera quam Tigris terminabat, vetus Mesopotamiæ nomen servavit. Osrhoënam describit Theodoretus in libro de vitis Patrum in Abramo. Utraque provincia in Notitia imperii Orientalis recitatur. Et L. 2 de prad. & mancip. lib. 12 Cod. Theod. dicitur: *in Osdroëna specialiter provincia*. Edessa erat metropolis Osrhoënæ; Amida vero Mesopotamiæ, ut post-

postea ostendo. Procopius proxime laudatus ait; *Edeffa* verum ipsis locis *Osrhoëna*; est enim *Osrboës* nomen viri, qui hic regnavit superioribus temporibus, quando hi coloni Persis federati erant. Verum Dio ac Herodianus, qui Alexandro Severo imperante florebant, *Osrhoënos* nominant, cum nullus apud *Edeffam*, ut mox patebit, *Osrhoës* quispiam ante trecentos fere annos ibidem regnasse inveniatur, sed illius *Phylarchi* nomen *Abgari* semper tulerint. Plinius lib. 5 cap. 24 ait Euphratem ultra *Samofata* a lava habere *Arabiam Merorum*, additque: *Arabia supradicta habet oppida, Edessam, quae quondam Antiochia dicebatur, Callirboen a fonte nominatam.* Cum fratres *Seleucidæ Antiochi Grypi* filii *Syriacum* regnum civilibus bellis everterent, *Aretas* Arabum rex *Cœlesyriam* circa *Damascum* occupavit; alii vero Arabes duce *Abgaro*, *Edeffam* ac proxima *Mesopotamiæ* loca invaserunt, novique ibidem regni initium factum est. Dio lib. 40 describit cladem Romanorum, *Crasso* duce, a *Parthis* acceptam, ubi ait: *Maximam autem calamitatis partem Abgarus ipsis Osrhoënis attulit, quem Romanis sub Pompejo foedere junctum dicit.* *Appiano* in *Parthicis* eadem narranti, dicitur *Acharus phylarchus Arabum*. Tacitus quoque lib. 12 ait; *Postquam illustres Parthi, rexque Arabum Abbarus advenerat &c.* Et statim: *Quod spectum fraude Abbari, qui juvenem ignarum & summam fortunam in luxuratum, multos per dies attinuit apud oppidum Edessam.* Quare ea pars *Mesopotamiæ*, quod ab Arabibus tenebatur, *Plinii* ac *Taciti* qui sub *Trajano* vivebat, *atate Arabia* dicebatur.

Appianus in *Syriacis* inter urbes a *Seleuco Nicatore* conditas, aut ampliatas, ac de nomine urbium *Macedoniæ* aut *Græciæ* nuncupatas, *Edeffam* nominat. *Stephanus* etiam scribit: *Edeffa urbs Syria propter aquarum impetum sic vocata ab ea qua est in Macedonia.* *Livius* lib. 45 ait a victore *Æmilio* *Macedoniam* provinciam factam, ac in quatuor regiones divisam: *Tertia regio*, inquit, *nobiles urbes Edessam, Berboëam, & Pellam habet.* *Edessa* ad *Erigonum* distabat *Pella* M. P. XXXX, *Thessalonica* vero M. P. LX ex *Itinerario Hierosolymitano*. *Aristides* Serm. 2 sacrorum ait: *Cum quidem Desse ad cataractam decumberem; denique vix centesimi*

mo post die, quam domo discefferam, Romam ingredior. Ubi pro Ἰέρων legendum esse Ἐδέσση, quæ urbs erat Macedoniæ, erudite contra Tristandum ostendit Spanhemius Dissert. 2 pag. 89; ubi notat catarractas intelligi tum montium angustias, per quas confragoso impetu flumina præcipitant; tum etiam obices seu claustra, quibus fluvii retinentur, qualia in Italia videntur Bononia Ferrariam, aut Patavio Venetias navigantibus. Itaque uti Erigonus ingenti aquarum impetu prope Edessam Macedoniæ decurrit; ita cum etiam Scirtus præcipiti ac declivi cursu, eo loci, ubi novam urbem Seleucus condidit, laberetur, eidem nomen Edessæ impositum fuit, ut illa quemadmodum impetu fluvii, ita etiam nomine Macedonicam Edessam repræsentaret. Extant in Cimiæ Mediceis nummi sculpti apud Edessam, quos inter unus Tiberiæ sine laurea cum epigraphe: ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Tiberius Caesar Augustus*; ac retrosus inscriptus: ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΘΕΟΣ ΕΔΕΣΣΕΩΝ, cum laureato capite Augusti; nempe: *Augustus Deus Edessensium*. Alter est Alexandri Severi, hinc signatus: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ; illinc vero: ΜΗ. ΚΟ. ΕΔΕΣΗΝΩΝ. In alio etiam visitur idem Alexander cum matre Julia Mamaea. Anterior inscriptio Latine redditur: *Imperator Caesar M. Aurelius Alexander*; & posterior Μητροπόλεως κολωνίας Εδεσσηνῶν: *Metropolis colonia Edessensium*. Eo in nummo Edessæ de more aliarum urbium, capite turrato super monticulos sedet cum panario ac binis stellis. Infra figura aquis media sui parte immersa, est fluvius Scirtus, qui Edessam alluit. Evagrius lib. 4 cap. 8 narrat, Justino seniori imperante Scirtum exundantium aquarum impetu ædificia Edessæ dejecisse, ac ingentem incolarum multitudinem submersisse. Addit Cedrenus inventam postea lapideam tabulam inscriptam: Σκίρτος πάλαιος σκιάζει καὶ σκιάματα πόλιν: *Scirtus fluvius saltibus malas civibus saltationes*. Evagrius ait impensis Justiniani Edessam restitutam, ac de restauratoris nomine *Justinopolim* nuncupatam; quod tamen nomen mortuo Justiniano illius nepote ac successore celebrata, Amazonius *Edessæ* Metropoli passim nominetur.

netur. Hæc de Scirto adnotavi, ut Stephani verba Pinedo interpreti non intellecta exponerem; ac ne quis in Edeffa nummis Euphratem sculptum arbitraretur; siquidem Edeffa ex Strabone lib. 16. pag. 514 ab Euphrate *quatuor schœnorum spatio* distabat; schœnus vero, ut ex Eratosthene docet Plinius lib. 12. cap. 14 patet stadia XL, *hæc est passibus quinque milibus*. Et sane Fulcherius Carnotensis, qui cum Balduino Edeffam perrexit, cap. 6 de gestis peregrinantium Francorum scribit, Edeffam fuisse *trans flumen prædictum Euphratem viginti fere miliaris*; quæ quatuor schœnos, sive ducenta stadia conficiunt. In Itinerario tamen Antonini pag. 39 Samosatis Edeffam numerantur M. P. XII; Samosata autem regia sedes regum Comimagenes erat oppidum Euphrati impositum. Prior tamen distantia ex Tavernerio infra laudando colligitur; qui pag. 149 scribit Edeffam unius diei itinere ab Euphrate distare.

Edeffa post ruinam regni Seleucidarum, per aliquot sæcula sedes Principum fuit, qui in Mesopotamia ad Euphratem angustius imperitantes, Phylarchi, Dynastæ, Toparchæ, ac Reges passim apud Scriptores nuncupantur. Ex Dionis lib. 40. Abgarus Osrhoënus A. V. 690 cum Pompejo fœdus percussit, qui postea Crassum ac Romanas legiones Parthis prodidit. Alterius Abgari, imperante Tiberio, nomen in Ecclesiastica historia celebratur ab Eusebio lib. 1. cap. ult. ac D. Hieronymo in cap. 10 Matthæi. Scriptas ad eundem literas a Christo Domino ex archivis Edessæ Ecclesiæ Eusebius recitat, quas tamen S. Gelasii, ut vulgo creditur, Synodus inter apocrypha retulit. Tacitus lib. 12 Annalium A. V. 802, imperatore Claudio, meminit Abgari *apud oppidum Edeffam* regis; ubi ait: *rexque Arabum Abbarus adveniat &c.* Ex quibus patet eundem regio titulo decoratum. Dio in excerptis a Leunclavio publicatis, narrat Trajanum, cum in Orientem transivisset, regnum Abgaro servasse. Capitolinus de vita Antonini Pii cap. 9 ait: *Abgarum regem ex Orientis partibus sola auctoritate deduxit*. Hunc Abgarum uti Christianæ religionis cultorem, eximie commendat S. Epiphanius ad Hæresim LVI, ubi scribens Bardehanem in Mesopotamia, patria Edessenum, novæ hæresi nomen

men dedisse, ait: *Abgaro autem Edessenorum principi viro sanctissimo familiaris fuit, & simul auditor ejus, & ipsius eruditionis particeps. Duravit post illius obitum usque ad tempora Antonini, non Pii appellati, sed Veri; nempe M. Aurelii. Eques Patinus magni inter Antiquarios nominis, pag. 128 indicis thesauri Mauroceni, laudat nummum Septimii Severi retrorsus inscriptum ΑΒΓΑΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΥΣ: Abgarus Rex. Hoc de rege scribit Herodianus lib. 3 in gestis ejusdem Imperatoris Severi: Sed & rex Osroënorum Abgarus ad eundem transfugit, ac liberos absides tradens, fidem suam auctoravit &c.* Verum Severi filius ac successor Caracalla eundem Abgarum, nullum non genus crudelitatis in principes gentis exercentem, quasi eos ad mores populi Romani transire, cogeret, ut ait Dio in excerptis Valesii pag. 747, ad ipsum tanquam ad amicum Imperatorem venientem, *in vincula conjecit, & Osroënonem regē destitutam cepit.* Quo vero Edessenos, regia sede vetustaque suorum principum familia privatos, sibi conciliaret, Edessam coloniam fecit, uti ex ejusdem nummo apud Harduinum pag. 144 intelligimus; imo Caracalla apud Edessam anno postremo vitæ ac imperii hiemavit. Spartianus cap. 6 de vita ejusdem: *Deinde, inquit, quum iterum vellet Parthis bellum inferre, atque hibernaret Edessa &c.* Quamvis vero eidem Abgaro, si ve ejus filii avitum postea regnum restitutum fuerit, Edessa tamen, utpote Romanorum colonia, eorundem jurisdictioni exempta est. Extat in Museo Mediceo Gordiani junioris radiato capite, nummus primæ, ut ajunt, magnitudinis, cum epigraphe: ΑΤΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC CEB. *Imperator Caesar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* In altera nummi parte legitur: ΑΤΤΟΚ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑΣΙΛΕΥC: *Imperator Gordianus: Abgarus Rex.* Gordianus capite laureato, sellam curulem in substructione insidet, Abgarus vero cum tiara in capite, stans dexteram super capulum acinacis tenet.

Christianis postea Augustis imperantibus, Edessa evasit metropolis civilis atque Ecclesiastica provinciæ Osroëniæ. Errat plane Harduinus pag. 145, dum exponens nummum Alexandri Severi, in quo legitur ΜΗΤΡΟ. ΚΟΛ. ΕΔΕΣΣΗΝΩΝ: *Metro-*

poleos colonie Edessenorum, ait: *Fuit Edessa Metropolis Phœnicia ad Libanum sita: ex Notitia veteri pag. 61, in qua legitur: Provincia Phœnices. Edessa metropolis . . . Damascus . . . &c.* Et superius pag. 132 scribit Damascum metropoleos titulo donatam, addens: *nec mediterraneæ modo Phœniciz, ut loquitur Hieronymus quæst. X in Genes. (quanquam id verius Edessa decus fuit, ut suo loco dicemus) sed & Syria totius Metropolis credita.* In primis falsum est, Hieronymum in illa quæst. 10, in Gen. vocare Damascum *mediterraneæ Phœniciz* metropolim. Hæc Harduinus exscripsit ex insignis Scriptoris volumine pag. 878, ubi eadem verba Hieronymi appellat ex illa quæst. 10, quo loci plane non leguntur; sed hæc tantum in cap. 10 Genes. *Aram, a quo Syri, quorum metropolis est Damascus.* Ceterum nisi in Romana & Ecclesiastica historia hospes ignorare potest prioribus sex a natali Christi sæculis, Edessam ad provinciam Phœniciz non spectasse, sed ad Mesopotamiam, cujus metropolis fuit sub Christianis principibus, antequam ea provincia in duas divideretur. Ptolemæus diserte Edessam in Mesopotamia statuit, uti alii Scriptores superius mihi laudati. In Synodo Nicæna Ætholaus Edessenus primus inter Episcopos Mesopotamiz subscriptus legitur, ubi Magnus Damascenus inter Tyri suffraganeos numeratur. In Synodo Antiochena A. 341 legitur: *Provincia Mesopotamia. Ætherius Edessenus.* In hac vero Synodo subscripti Episcopi, ad Nicænam videntur deportati. Hoc mihi tamen satis est, Edessenum Metropolitam Mesopotamiz exhiberi. Post Constantium Augustum Osrhoëna provincia distingvi cœpit a Mesopotamia, cum antea hujus pars censerebatur. In lib. 12 Cod. Theod. extat Lex 79 *de decurion.* a Valente Imperatore emissâ anno Christi 375, ubi ait: *Quicumque per Osrhoënam Primpilarium*, plures filios habuerit, unum *pro amore patriæ Edessa curia tradat obsequiis &c.* Eadem lex inserta est codici Justin. lib. 12 L. 5 *de cohortalibus*, ac *Edessena curia* legitur; at *Edessena* utrobique reponendum est. Ex quibus colligimus Osrhoënam specialem provinciam id temporis fuisse, ac curiam Edessæ tanquam Metropolis ibidem laudari. Hinc in Synodo I. Constantinopolitana anno Christi 381 in subscriptionibus legitur:

Pro-

Provincia Osroëna. Eulogius Edessenus primo loco ante alios uti metropolita nominatus; & proxime: *Provincia Mesopotamia. Mareas Amidensis &c.* In epistolis Episcoporum post Concilium Ephesinum scriptis, quae veteri codice profundæ eruditionis vir Christianus Lupus evulgavit, cap. 13 leguntur *Rabbulas Episcopus Edessa metropolitani*, & *Asterius Episcopus Amida metropolitani*, qui cap. 7 dicitur *Episcopus Amida Mesopotamia*. In Synodo Calchedonenſi Act. 6 circa finem subscriptionum, *Simeonius Episcopus Amida metropolis* subscribit pro absentibus, quos nominat, Episcopis Mesopotamiæ; & Act. IX & X prolixius discutitur causa Iba metropolitæ Edesseni in Osroëna provincia. In gestis post Synodum Calchedonenſem recitantur literæ Leonis Augusti ad Patriarchas ac Metropolitæ missæ, & hos inter legitur: *Iba Episcopo Edessa Osroëna, & Simeoni Episcopo Amida Mesopotamia*. Et postea in rescriptis Episcoporum ad eundem Imperatorem, legitur num. 35 Epistola sub titulo: *Episcoporum provincia Osroëna*, quam primo loco subscribit *Nonnus Episcopus Edessena metropolis*. Extat in laudata collectione a V. C. Lupo edita cap. 197 epistola Joannis Patriarchæ Antiocheni ad S. Proclum; in qua Orientalis suæ diœceseos provincias enumerat. Ibi vero ait Episcopos ex *secunda Phœnicia venientes* ordinasse *Theodorum Episcopum*, nempe Damasci, *illum dico*, inquit, *qui est a secunda cathedra*. Quod Metropolita Tyri erat protothronus Diœceseos Orientalis, cui proximus erat Episcopus Damasci Metropolita Phœnicia secundæ seu ad Libanum. Addit postea Joannes: *Mesopotamia, Osroëna, & Euphratesia, & Syria secunda, omnia que fecimus, unanimiter vindicarunt*. In Synodo autem Calchedonenſi Act. VI circa finem subscriptionum, legitur: *Theodorus Episcopus Metropolis Damasci & pro religiosissimis Episcopis sub me constitutis. Joanne civitate Palmyra*; aliosque ibidem nominat Episcopos Phœnicia secundæ seu ad Libanum. Hic ille est Theodorus quem a secundæ Phœnicia Episcopis uti suum Metropolitam ordinatum scribit laudatus Patriarcha Antiochenus; idemque sub Domino interfuit Synodo Antiochenæ insertæ Act. XIV Calchedonenſi in causa Athanasii Episcopi Perſenorum. Denique in Synodo V

coacta A. 553, nominantur Amazonius Episcopus *Edeffenerum metropolitana civitatis*, & postea Eustachius Episcopus *Damasci metropolitana civitatis*; ille in Osrhoëna; hic in Phœnicia ad Libanum. Et in eadem Synodo Collatione VI Theodorus Cæsareæ in Cappadocia metropolita cum aliis ait, Ibam non fuisse vocatum ad Synodum Calchedonensem, *sed Nonnus*, inquit, *in Sancta Synodo confedit ut Edessena Ecclesia Episcopus, qui etiam postea cum sua Osrhoëna Synodo ad Leonem pia recordationis &c. scribens, pars fuit eorum qui encyclicas epistolas scripserunt.* Hanc Nonni ac Osrhoënae Synodi epistolam proxime laudabam. Ex his locupletissime refellitur Harduinus, qui Edessam fingit metropolim Phœniciae ad Libanum, cum Damascus fuerit hujusce provinciae metropolis; Edessa vero provinciae Osrhoënae, seu Melopotamiae ad Euphratem, quo inferior pars Osrhoënae a Phœnicia Libani dividebatur. Quod vero appellat Noticiam Ecclesiarum, in qua pag. 61 Edessa statuitur metropolis Phœniciae ad Libanum; errorem illuc Edessæ deportatae discere poterat ex pag. 59 ejusdem Notitiae, ubi legitur: *Ἐπαρχία Οὐρσωνῆς, Ἐδεσσα μητρόπολις: Provincia Osrhoëna. Edessa metropolis.* Quare perperam eadem urbs iterum inferius ponitur metropolis Phœniciae ad Libanum. Edessa ob Christianae religionis cultum maxime celebratur. Theodoretus qui non longius inde apud Cyrrhum floruit, in lib. de vitis Patrum in Aphrate dicitur *civitas maxima, & populo frequentissima, & qua pietate insigniter exornatur.* Et lib. 4 Hist. Eccles. pluribus describit invictam Edefforum constantiam in Catholica religione adversus Valentem Arrianum Imperatorem defendenda; ubi Barsam, & Eulogium ejus urbis Episcopos eximie commendat cap. 15 & 16. Cum vero Saraceni Orientalis imperii provincias occupassent, ac duce Jaddo anno XXIX Heraclii Imperatoris Edessam cepissent, una hæc Orientalium urbs, licet tributum barbaris in proximo rerum potentibus solveret, Christianam tamen religionem fartam tectam servavit. Guillelmus Tyrius lib. 4 cap. 2 de Edessa scribit: *Hac enim sola inter omnes illius regionis urbes, in sua manens integritate illibata, ab infidelibus, qui circumpositas occupaverant provincias, nec subjugata fuerat, nec al-*
terius

serius professionis quempiam pertulerat habitatorem. Hinc cum Christianorum exercitus ad Hierosolyma recuperanda, ex Cilicia movisset, Edesseni in urbem Balduinum Comitem acciverunt, eidem semet tradentes, unde passim Comites Edesseni in Historia Hierosolymitana laudantur.

Epocha Edessenorum in nullis eorundem nummis hactenus observatis apparet. At Eusebius semel & iterum annos Edessenorum memorat. Nam in Chronico ad annum primum Olympiadis CXVII ait: *Ab hoc loco Edesseni sua tempora computant.* Et rursus ad annum primum Olympiadis CCLXIV annus secundus imperii Probi dicitur eidem *juxta Edessenos quingentesimus octogesima octavus.* Idem in fine lib. I Histor. Eccles. ex tabulis Ecclesiæ Edessenæ recitat acta Thaddæi unius e septuaginta discipulis Domini cum Abgaro rege Edessæ, ubi in fine legitur: *Acta sunt hac anno quadragesimo ac trecentesimo;* uti numeros ex optimis MSS. eruditissimus Valesius restituit. Joannes Harduinus in laudato volumine de nummis Urbium illustratis pag. 145, cum prænotasset nullam Epocham in nummis Edessenorum legi, ait: *Fuit eorum tamen æra peculiaris, quam hic obiter indicare opera pretium fuerit, simulque errorem unum notare Eusebii, alterumque Scaligeri, quos adhuc nemo deprehendit.* Itaque scribit hæc in Chronico Eusebii recitari ad annum primum Olympiadis CCLXIV: *Secundo anno Probi, juxta Antiochenos CCCXXV, &c. juxta Edessenos DLXXXVIII.* Ex quibus hæc infert Harduinus: *Æra itaque Edessenorum caput cœpisse oportuit anno tertio Olympiadis CXVII, biennio post Seleucidarum Æram, quæ primo ejusdem Olympiadis anno incepit, urbis Romæ CCCXLII. Nam si statnatur annus primus Edessenorum æra is qui Romæ fuit CCCXLIV, plane annus ejusdem æra 588 incidet in annum Urbis Romæ MXXXI, qui Probi secundus.* Hinc infert Æram Edessenorum non fuisse Epocham Seleucidarum, ut Scaligero visum, cum *biennio toto,* inquit ille, subsequatur. Dein ait Eusebium omnia miscuisse, qui anno uno eodemque nempe primo Olympiadis CXIX sex oppida refert condita a Seleuco, Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, &c. qui cum teste Appiano in Syriacis, plurimas præter illas sex, urbes condiderit,

rit, cur, inquit, de ceteris silet? ac de Edessa præsertim, quam constat annos æra sue numerasse jam ab anno CXVII Olympiadis tertio: atque adeo jam tum fuisse conditam? Hæc Harduinus, in quibus non uno errore decipitur. Æra Edessenorum fuit eadem ac Seleucidarum. Nam hæc, ut recte cum ceteris notat idem Harduinus, cœpit A. V. Romæ 442, qui fuit primus Olympiadis CXVII. Jam vero hac ipsa Olympiade, quæ eo A. V. 442 inchoabatur, inclusa, numera exactas Olympiadas CXLVII, eris ad initium Olympiadis CCLXIV. Olympiades CXLVII exactæ, dant annos DLXXXVIII. Itaque non Scaliger, sed ipsemet Eusebius, quod Harduinus non observavit, diserte Epocham Edessenorum cum Æra Seleucidarum componit, cum illam init ab anno primo Olympiadis CXVII, ac postea optime etiam annum Edessenorum 588 comparat cum primo Olympiadis CCLXIV. Erratum ergo Harduino in calculis subducendis, qui cum annum Edessenorum 588 cum Eusebio copulet cum primo Olympiadis CCLXIV, ait: *Æra itaque Edessenorum caput cœpisse oportuit anno tertio Olympiadis CXVII, biennio post Seleucidarum æram.* Nam cum anni 588 dent, uti dicebam, Olympiadas integras CXLVII, ab anno primo Olympiadis CCLXIV retrocedentes per annos 588, deveniemus ad annum primum Olympiadis CXVII, non autem tertium, uti ille Scriptor computat. Quare Scaliger a nemine nisi errando, potest ea in re erroris insimulari.

Præterea labitur Harduinus, dum annum urbis Romæ MXXXI componit cum anno secundo imperii Probi. Cum Eusebius cum eodem anno secundo Probi plurimum urbium Syriæ annos & quidem varios jungat, ac in annis Probi Baronius ac Panvinius, aliique præstantissimi Scriptores erraverint, res diligentius mihi retractanda est, quam olim in dissert. de votis Decennialibus cap. 6 exposui. Eusebii verba sunt ad annum primum Olympiadis 264: *Secundo anno Probi, juxta Antiochenos trecentessimus vicesimus quintus annus fuit: juxta Tyrios quadringentesimus secundus: juxta Laodiceos trecentessimus vigesimus quartus: juxta Edessenos quingentesimus octogesima octavus: juxta Ascalonitas trecentessimus octogesima, insana Manisbaorum baresis in commune humani generis malum exorta.* Baronius sub finem anni

anni 280 recitatis iisdem Eusebii verbis ait, quod ea chronographia ab aliis aliter describitur, *textus*, inquit, *sinceritas arguitur depravata*. Scaliger vero lib. 5 de emend. Temp. pag. 463 ait annum secundum Probi congruere cum anno tertio Olympiadis CCLXIV, Christi 279 ac Juliano 324. At ex nummis laudatarum Eusebio urbium, suo inferius loco rectam eandem chronographiam demonstrabo. Interim hic initium imperii Probi ejusque annus secundus demonstrandus est. Sanctus Leo Magnus serm. 12 de Pentec. tradit, Manichæorum hæresim innotuisse *Probo Imperatore Paulinoque Consulibus*. Itaque annus secundus Probi Consules habuit ipsummet Probum Augustum & Paulinum. Panvinus in Fastis ait memoratos Consules non fuisse ordinarios, sed suffectos A. V. 1029, Christi 277. Baronius ad annum Christi 277 ponit eos Consules ordinarios quidem, sed adhuc Aureliano imperante; ubi notat Probum collegam Paulini vocatum fuisse a Leone laudato Imperatorem, *quod postea creatus fuerit Imperator, non quod tunc esset*. Vtriusque sententiam confutavi. Nam lib. 8 Cod. tit. 56 *de revocati. donat. L. 2* in titulo legitur: *Imperator Probus Augustus Felici*; quæ lex dicitur: *Proposita III. Nemas Maii, Probo & Paulino Coss.* Cum vero ab imperio Septimii Sueri in rescriptis Augustorum soli Consules ordinarii signati legantur, patet eò anno Probum fuisse tum Imperatorem, tum etiam Consulem ordinarium. Extat Inscriptio apud Sponium veterum monumentorum diligentissimum scrutatorem, sect. 2. Miscellan. art. 10 pag. 51, in cujus latere legitur:

DED. III. NON
IVL. D. N
M. AVR. PROBO
AVG. ET M
AVR. PAVLI
NO. COSS.

Itaque Probus una simul eodem anno erat Augustus & Consul, collegam habens M. Aurelium Paulinum. In Cimeliis Illustrissimi Comitum Mediobarbi Mediolani servatur nummus, quem

idem Dominus officiosissimus per tabellarium ad me Florentiam transmissit, cum epigraphe: IMP. PROBVS AVG. CONS. I. & in postica: VIRTVS AVG. P. XXI. cum Marte gradivo, dextra pilum, sinistra spolia tenente. Probus Imperator priorem consulatum cum Paulino gessit; alterum vero anno proximo, collega Lupo, ut ex Fastis optimis intelligitur. Imo extat lib. 2 Cod. L. 1 *ut nemini*, rescriptum Probi Augusti ad Octavianum, quod signatur: *Dat. IV. Kal. Iulias, Probo Aug. II. & Lupo Coss.* Hos Consules Baronius ad A. Christi 279 & 280 minus recte suffectos putat. Ægidius Bucherius in comm. ad Canonem Paschalem Victorii, recitat e vetusto codice fragmentum veterum Fastorum, in quo singulis collegiis Consulum additur notatio feriarum quæ iisdem Consulibus in Kalendas Januarii incidebat: ac præterea anni bissextiles litera B designantur. Itaque pag. 249 hilaterculi Consulares recitantur:

Tacito II & Æmiliano	B.	Sat. XXVIII.
Probo & Paulino		Lun. VIII.
Probo II & Lupo		Mar. XX.
Probo III & Paterno		Mer. I.
Messala & Grato	B.	Jov. XII.
Probo IV & Tiberiano		Sat. XXIII.
Probo V & Victorino		Sol. IV.
Caro & Carino		Lun. XV.
Carino II & Numeriano	B.	Mar. XXV.
Diocletiano II & Aristobulo		Jov. VII.

Eadem collegia Consulum pari ordine disposita, leguntur in libello de Præfectis Urbi, ac apud Anonymum in Fastis a Cuspiniano illustratis, in Fastis Idacii, Prosperii, Victorii, Cassiodori, &c. ut a nemine in dubium revocari possint. Porro ex laudatis laterculis intelligimus annum, qui præcessit consulatum Probi Augusti & Paulini, fuisse Bissextilem, ejusque Kal. Jan. in diem Saturni incidisse; proximas vero Kalendas Januarias anni insequentis contigisse die Lunæ. Hi certissimi characteres designant annos Epochæ vulgaris Christi 276 & 277, circa quos tantum imperium Probi inchoari potuit; siquidem extat vetus Inscriptio, quam recita-

citavi cap. 6 Dissert. devotis X, & postea etiam publicata legitur apud Reinesium:

IMP. CÆSARI. M
AVRELIO. PROBO
PIO. FEL. INVICTO
AVG. P. M. TRIB. POTES
TATIS. VI. COS. IIII. RES
PVBLICA TVCCITANORVM
DEVOTA NVMINI MAIES
TATIQVE. EIVS. &c.

Probus Augustus collega Tiberiano, consul IV processit Kalendis Januariis, quæ inciderunt in diem Saturni. Fuit hic annus ab Urbe condita a parilibus MXXXIV, Christi 281, quo Kalendæ Januariæ fuerunt Sabbato, Cyclo Solis X, lit. B. Cum eo anno Probus dicatur TRIB. POTESTATIS VI, idem anno Christi 276 Tribuniciam Potestatem primum accepit una cum ceteris delati imperii titulis, & quidem circa Aprilem, ut alias demonstrabo. Quare ea Inscriptio dedicata fuit anno Christi 281, quo Probus ab Aprili erat TRIB. POTEST. VI ac a Kal. Januariis Consul IV. Præterea extat in Vaticana Bibliotheca Canon Paschalis S. Hippolyti Martyris in lapidea base sculptus, ubi dies Lunæ XIV Paschalis, ac solemnes etiam dies Resurrectionis Dominicæ designantur. In titulo hæc leguntur: ΕΤΕΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΤΩ Α. ΑΡΧΗ. ΑΙ ΚΥΡΙΑΚΑΙ ΤΟΤ ΠΑΣΧΑ ΚΑΤΑ ΕΤΟΣ. ΑΙ ΔΕ ΠΑΡΑΚΕΝΤΗΘΕΙΣ ΔΗΛΟΥΣΙ ΤΗΝ ΔΙΟ ΠΡΟ ΕΞ. Id est: *Anno primo Alexandri Caesaris. Initium. Dominica Paschales secundum annos; pun-ctiões vero significant bis sextum.* Scalptor hæc punctiões, sive notas ad latera annos bissextiles designantes, in tabula Dominicarum Paschalium omisit, quastamen in altera tabella Lunarum XIV Paschalium, licet non semper, adposuit. Ita enim Gruteri pag. CXL disponuntur: *Anno primo Alexandri Imperatoris facta est decima quarta Paschalis Idibus Aprilis, Sabbato, cum mensis embolimaus fuisset. Sequentibus annis contingent, sicut in tabula subiectum est &c.*

A. C.

222. EM. ΕΙΔΟΙC ΑΠΡΕΙ. *Idibus Aprilis.*223. ΠΡΟ Δ. ΝΩ. ΑΠΡΕΙ. *Ante IV. Non. Aprilis.*224. SS ΠΡΟ ΙΒ. ΠΡΟ ΙΑ. ΚΑ. ΑΠΡΕΙ. *Ante XII. Ante XI. Kal. Aprilis.*

Illæ literæ EM significant eum mensem fuisse Embolimum sive intercalarem. Binæ vero literæ Latinæ SS denotant illum annum fuisse bissextilem; siquidem litera Latina S major apud Græcos numerum sextum exprimebat, ut ex nummis Dissert. 3. cap. 8 §. 1 ostendam. Hinc duplex SS *bis sextum* indicat. In altera autem parte memoratæ tabulæ, cujus inscriptio legitur Gruteri pagina 141, recitantur Dominicæ Paschales in Hippolyti Heckeðecaeteride occurrentes; videlicet:

222. ΠΡΟ ΙΑ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΤ. *Ante XI. Kal. Maii, Dominica.*223. ΠΡΟ Η. ΕΙ. ΑΠΡ. ΚΤ. *Ante VIII. Id. Aprilis, Dominica.*224. ΠΡΟ Ε. ΚΑ. ΑΠΡ. ΚΤ. *Ante V. Kal. Aprilis, Dominica.*225. ΠΡΟ ΙΕ. ΚΑ. ΜΑΙ. ΚΤ. *Ante XV. Kal Maii, Dominica.*

Adlatus tertii versus ΠΡΟ Ε ΚΑΛΑΝΘΩΝ ΑΠΡΕΙΛΙΩΝ: ΚΥΡΙΑΚΗ: *Ante diem V. Kalendas Aprilis, Dominica*, sculptor omisit notas SS, quibus annus Æræ vulgaris Christi 224 bissextilis in autographo Hippolyti exprimebatur. Ex hoc vero præclarissimo monumento Ecclesiastici Annales Baronii ac Fasti Panvinii emendantur, annusque primus imperii Probi Augusti demonstratur. Hippolytus tum superstes, testatur anno primo imperii Alexandri Severi Lunam XIV Paschalem contigisse *Idibus Apriliæ Sabbato*. Fuit hic A. V. a parilibus 975, Epochæ vulgaris Christi 222, quo dies Iduum Aprilis fuit Sabbatum, Cyclo Lunæ XIV, Solis VII, lit. F. Anno sequenti statuit Lunam XIV ante diem IV Nonas Aprilis. Dein annum proxime sequentem notar literis SS, quibus annus Christi 224 designatur *Bissextilis*. Hæ notæ bissextilis anni in laterculo Dominicarum Paschalium, uti dicebam, omisæ sunt; sed ex die Dominica affixa V Kal. Aprilis, annus bissextilis apparet. Nam anno superiori dies VIII Idus Aprilis ponitur Dominica, uti reapse contigit anno Christi 223, Cyclo So-

lis

his VIII, lit. E, ac proinde eo anno dies V Kal Aprilis fuit dies Veneris, seu feria VI. Quare cum anno sequenti ex Hippolyto dies V Kal. Aprilis inciderit in ipsam Dominicam Resurrectionis, annus ille fuit Bissextilis, Cyclo Lunæ XVI, Solis IX, litt. DC, qui fuit V. C. 977, Christi 224, Juliano II & Crispino Coss. Ammianus Marcellinus lib. 26 de Valentiniano I recens ad imperium evecto scribit: *Nec videri die secundo, nec prodire in medium voluit, Bissextum vitans Februarii mensis tunc illuescens.* Fuit hic annus Christi 364, Joviano & Varroniano Coss. Illa Ammiani verba cum Panvinus prænotasset, scribit lib. 3. Fast. ad A. V. 1116. *Hic annus tanquam fixus maximusque clavus & index totius meæ hujus annorum digestionis est.* Quæ itidem ait Baronius in additis ad Apparatum in calce Tom. X priorum editionum. Verum neuter insignis Scriptor memoratum canonem Hippolyti observavit; cum tamen Romæ inventus fuerit anno Christi 1551, & a Marcello Cervino Cardinali, qui postea fuit Marcellus II, ostensus potius, quam datus Pontifex Maximus, in Vaticanam Bibliothecam translatus est.

Hactenus demonstratum est A. V. 977, Christi 224 fuisse bissextilem. Quare bissextilis ab hoc decimus tertius fuit annus Urbis 1029, Christi 276. Tredecim enim Bissextiles exacti dant annos 52. Itaque annus quo Probus imperium accepit Tacito II & Æmiliano Coss. fuit bissextilis, quo caractere in laudatis Fastis Anonymi apud Bucherium illud collegium Consulatum notatur. Rursus ab anno Christi 276 numerato bissextiles duos ac viginti, qui dant annos LXXXVIII, eris ad annum Christi 364, teste Ammiano, itidem bissextilem. Denique ab A. V. 977, Christi 224 bissextili, qui ex Hippolyti canone fuit a Martio tertius annus imperii Alexandri Severi, Juliano II & Crispino Coss. collige exactos bissextiles XXXV, qui faciunt annos 140, devenies ad VI Kal. Martias A. V. a parilibus 1117, Christi 364, Joviano & Varroniano Coss. quo anno bissextili Valentinianus imperium accepit. Panvinus in Fastis ac Chronico Ecclesiastico annum tertium imperii Alexandri vocat V. C. 977, Christi 225. Errat in annis Christi, quod vulgarem Epocham uno anno prævertit. Rursus annum

secundum Probi ponit cœptum A. V. 1030, Christi 278, Probo Augusto II & Lupo Coss. qui reapse fuit Christi 277, Probo Aug. & Paulino Coss. quos ille Consules suffectos perperam arbitratus, unius anni jacturam facit, ut pluribus cap. 6 citatæ Dissert. ostendi. Baronius annum secundum imperii Probi appellat Christi 280, hisce verbis narrationem rerum eo anno gestarum auspicatus: *Christi anno ducentesimo octogesimo, quo Probus Imperii primo absoluto, annum secundum auspicatur &c.* in quibus triennii metachronismum peccat. Scaliger lib. 5 de emend. temp. pag. 463 ait: *Annus secundus Probi Imperatoris congruit anno tertio Olympiadis CCLXIV, ducentesimo septuagesimo nono Christi.* Est biennii error. Nam congruit anno primo Olympiadis 264 ac Christi 277. Ita in annis imperii Probi disponendis, summi viri a vera Chronologia exorbitarunt. Ceterum ad exponendas epochas ab Eusebio cum anno secundo Probi copulatas, initium imperii ejusdem anno Christi bissextili 276, V. C. 1029 ac tertio usque ad Solstitium Olympiadis 263 affigendum ostendi, ut ea quæ de eisdem Epochis suo inferius mihi loco dicenda sunt, facilius intelligantur, sitque secundus annus Probi index certissimus, quo initium Ærarum plurium urbium Syriæ demonstrabitur. Ex his patet error etiam V. C. Harduini, qui annum Edessenorum 588 ait incidere in A. V. 1031, qui Probi secundus; cum annus eorumdem fuerit Epochæ Seleucidarum, idemque initus ab autumno anno Urbis 1029, Christi 276, & ab Aprili postea sequenti cum A. V. 1030 ac secundo imperii Probi defluerit, ut Eusebius in Chronico scripsit.

Addit idem Harduinus pag. 146, constare Edessam annos æra sua numerasse jam ab anno CXVII Olympiadis tertio: atque adeo jam tum fuisse conditam: ubi etiam arguit erroris Eusebium qui Antiochiam, Laodiceam, Seleuciam, aliasque in Syria urbes scribit conditas a Seleuco anno primo Olympiadis CXIX. Hæc mihi superius cap. 1 confutata sunt. Nam Æra Seleucidarum neutiquam iniit a regno Seleuci in Syria, sed apud Babylonem anno primo Olympiadis CXVII inchoato, quo quidem anno Antigonus in Syria regnabat, quæ anno postea undecimo, nempe

pe IV Olympiadis CXIX, urbis Romæ 453, victo & occiso a regibus fœderatis Antigono, in Seleuci Nicatoris regni partem venit. Hæc quamvis laudato loco exposuerim, addam regium testimonium. Nam Antiochus Epiphanes ipsius Seleuci Nicatoris adnepos, Græcorum legatis apud Polybium Legat. 82 respondit: *Antigonum primum, a quo regnum Syria conditum, ea loca imperio suo tenuisse; proferre deinde in medium instrumenta concessionis post mortem Antigoni Seleuco a Macedonicis Regibus facta: secundum ista Antiochum patrem bello novissimo Cælen Syriam recepisse.* Itaque in divisione regni occisi Antigoni, a victoribus regibus Macedonicis factæ, Seleuco Syria obtigit A.V. Romæ 453, ante Christi Æram 301. Cum vero Edessa Appiano numeretur inter urbes a Seleuco conditas, aut certe instauratas, ac urbium Macedonię aut Græcię nominibus insignitas, errat manifeste Harduinus putans Edessam anno tertio Olympiadis CXVII, Urbis Romæ 444, jam conditam, aut auctam, de nomine Edessæ ad Erigonum in Macedonia nuncupatam fuisse. Porro urbes Syriæ Appiano memoratæ, quamvis non omnes uno eodemque anno conditæ fuerint, eadem tamen Æra omnes utebantur, quæ ab anno primo regni Babylonici Seleuci ipsarum conditoris initium trahebat, ut abunde cap. I ostendi. Ex hætenus demonstratis patet Epocham Edessenorum fuisse Æram Seleucidarum, cujus anni ab autumno inibant. Scio Scaligerum lib. 5 de emend. Temp. eadem pag. 463 scribere, Edessenosa Januario Romanorum annos suos inchoasse, quod cum pro arbitrio sine ullo teste affirmet, communi Syrorum ab autumno annum auspantium consuetudine ac exemplo refellitur. Tavernerius tom. I Itiner. lib. 2 a pag. 150 scribit Edessam nunc *Oursam* appellari, quæ primaria urbs est Mesopotamię, quæ a Turcis dicitur *Diarbek*; ubi plura de eadem urbe recitat.

§. II.

Palmyra a rege Salomone condita. Ejusdem situs describitur ex Plinio, ac Josepho. Fuit colonia Romanorum ac patria Odenati Augusti. Eadem ab Imperatore Aureliano expugnata. Ab Justiniano Augusto restauratur, ac munitur. Eadem olim dicta

Q

Ha-

Hadriana ex vetusta Inscriptione. Epocha Seleucidarum ac menses Macedonum ibidem frequentati. Ibidem & apud urbem Cyrrum, de qua nonnulla subnotantur.

Palmyra regum sapientissimum eundemque ditissimum Salomonem auctorem habuit, qui 3. Reg. cap. IX, 18 dicitur ædificasse *Palmyram in terra solitudinis*. Hieronymus in cap. 47. Ezechielis, exponens verba prophetæ: *Plaga autem Australis meridiana a Thamar &c. ait: Thamar, quæ urbs in solitudine est, quam & Salomon miris operibus extruxit, & Palmyra bodie nuncupatur.* Idem tradit Josephus lib. 8. c. 2, ubi urbem maximam a Salomone conditam vocat, quam tradit distasse a superiore Syria duorum dierum itinere, unius vero ab Euphrate. Plinio eleganter ejus urbis situs describitur lib. 5. cap. 25. *Palmyra, inquit, urbs nobilis situ, divitiis soli & aquis amœnis, vasa undique ambitu arenis includit agros, & velut terris exempta a rerum natura, privata forte inter imperia summa Romanorum Parteborumque, & prima in discordia semper utrinque cura.* Hinc quod in confiniis utriusque imperii erat, cum dubiæ fidei ab Antonio Triumviro Palmyreni incusarentur, equites ad eorum urbem diripiendam submisit, quam tamen vacuum invenerunt, eisdem cum facultatibus trans Euphratem fuga elapsis, uti scribit Appianus lib. 5. bel. civil. Auctor est Stephanus Palmyram ab Hadriano restauratam, Hadrianopolis nomen alterum tulisse. Et quidem de Hadriano scribit cap. 20. Spartianus: *Multas civitates Hadrianopolis appellavit.* Ulpianus lib. 50. Digest. L. 1 de censibus num. 5. Palmyram coloniam factam scribit: *Est & Palmyrena, inquit, civitas in provincia Phœnice prope barbaras gentes & nationes collocata.* Hanc præ ceteris illustravit Odenatus, qui *decurio Palmyrenus* dicitur Sexto Ruffo in Breviario; *Princeps Palmyrenorum* Trebellio Pollioni cap. 15 in Gallieno, qui eodem imperante Persas, Syriam. infestis agminibus devastantes, non una clade affecit; unde & Augustus appellatus fuit, in consortium imperii ab eodem Gallieno accitus. Illius vero uxor Zenobia contra Aurelianus Imperatorem virili animo ac virtute bellum suscepit. Quæ victa apud Emesam, Aurelianus, inquit Trebellio cap. 26, *Palmyram iter flexit, ut ea oppu-*

oppugnata, laborum terminus fieret. Capta vero Zenobia, Palmyra Aureliano se dedit, ac rursus rebellans, obsessa & expugnata, ingentem ruinam subiit, ut ex epistola Aureliani ad Cejonium Bassum prodit Vopiscus cap. 31. Jam satis, inquit; Palmyrenorum casum, atque concisum est. Mulieribus non peperimus, infantes occidimus, senes jugulavimus, rusticos intereminimus; cui terras, cui denique urbem relinquemus? Narrat in eisdem literis templum Solis apud Palmyram a militibus direptum, quod ingenti auri ac argenti largitione restaurandum injungit. Cum vero Hadrianus Syriam a Phœnice separasset, Palmyra Phœnicibus contributa fuit, ut patet ex laudato Ulpiano. Et in Notitia imperii sub Duce Phœnicis nominantur *Præfectura legionis I Illyricorum Palmyra*: ubi præsidium agebant adversus proximos barbaros; & in eadem Notitia *Ala octava Palmyrenorum* recensetur sub Duce Thebaidos in Ægypto. In Act. 6 Synodi Calchedonensis Theodorus Metropolitæ Damasci in Phœnicia Libani subscribens *pro Episcopis sub se constitutis* absentibus, *Joannem urbis Palmyra* nominat, qui etiam subscripsit epistolam Episcoporum Phœniciæ secundæ, seu Libani ad Leonem Imperatorem, ubi *Almirensis* pro *Palmyrensis* dicitur. Procopius lib. 2 de ædificiis Imperatoris Justiniani ait: *In Phœnicia Libani oppidum, cui Palmyra nomen, vetustate fermè desertum, munimentis firmavit, & aquarum copia; coercito Saracenorum incursum;* in quorum tamen potestatem altero sæculo venit. In Gruteriano Inscriptio-num Thesauro pag. LXXXVI, 8 & initio Miscellaneor. Spennii, additis etiam figuris, epigramma recitatur, in quo AGLIBOLO ET MALACHBELO patriis Diis signum argenteum cum omni ornatu dedicavit

Α. ΑΥΡ. ΗΛΙΟΔΩΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ
ΠΑΛΜΥΡΗΝΟΣ. ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΠΕΡΕΩΤΗΡΙΑΣ. ΑΤΤΟΥ
ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΣΥΜΒΙΟΥ. ΚΑΙ. ΤΩΝ. ΤΕΚΝΩΝ
ΕΤΟΥΣ. Ζ. Μ. Φ. ΜΗΝΟΣ. ΠΕΡΙΤΙΟΥ.

Id est: *Lucius Aurelius Heliodorus Antiochi filius Hadrianus Palmyrenus de sua pecunia, pro salute sui ipsius & uxoris & filiorum. Anno DXI.VII, Mense Peritio.* De illis Diis videtis Seldenum

Syntag. 2. cap. 1. Duo præcipue mihi eo in epigrammate notantur. In primis ibidem Palmyram appellari *Hadrianam*; siquidem L. Aurelius Heliodorus Antiochi filius dicitur HADRIANUS PALMYRENUS. Pinedo innotis ad Stephanum V. *Πάλμυρα*, ait nescire se, unde Stephanus didicerit Palmyram ab Hadriano Imperatore cognomen tulisse. Hoc prodit tantum laudata inscriptio, quam Pinedo non observavit. Uti enim ex Panvinio apud Gruterum pag. 255, § Antoninus Pius dicitur Servator *ΑΔΡΙΑΝΗΣ ΜΟΥ ΟΥΒΕΣΤΙΑΣ*, HADRIANÆ MOP-SVESTIÆ, urbis in Cilicia; ita in Phœnicia *ΑΔΡΙΑΝΗ ΠΑΛΜΥΡΑ* *Hadriana Palmyra* vocabatur, ac civis *Αδριανὸς Παλμυρηνὸς* *Hadrianus Palmyrenus*. Nam certum est vocem *Hadrianus* ibidem non esse cognomen L. Aurelii, qui *Heliodori* cognomen ferebat; neque ejus patris Antiochi; cum quod is dicebatur *Aurelius Antiochus*; tum quod in recto casu *Hadrianus* legitur. Fateor nomen illud Ethnicum rectius *Αδριανεύς* efformandum fuisse; sed eo modo scalptum est, quo Palmyreni severiores Phœnicum quam Græcorum sermonis cultores, patriam originem designabant.

Denique additur annus quo illa signa argentea dedicata sunt, videlicet *ZMϕ quingentesimus quadragesimus septimus, mense Peritio*. Est Epochæ ac mensis Seleucidarum Macedonum. Annus ille cœpit ab autumno A. V. 988, quo mense Peritio, id est, Februario Romano illud epigramma dicatum fuit. Hieronymus in cap. 1 Zachariæ de mense Scebat Hebræorum scribit: *Et est in acerrimo tempore hiemis, qui ab Ægyptiis Mecbir, a Macedonibus Περσιος Peritius, a Romanis Februarius appellatur*. Idem annus fuit Æræ Christianæ 236 primusque imperii Maximini, eodem Maximino Augusto & Africano Coss. Porro Græco illi epigrammati apud Gruterum duo versus subjiciuntur, ignotis characteribus exarati, quos ille Arabicos putat; Scaliger vero ignorabiles appellat. Sunt literæ Phœnicia, cum Palmyra urbs Phœnicum fuerit; Phœnices enim qui se literarum inventores jactabant, suumque idioma vetustate ceteris anteponendum contendebant, in nummis etiam post Græcas Inscriptiones, alias literis Phœ-

Phoeniciis expressas scalpebant, ut in plerisque Tyrriorum ac Sidoniorum nummis apparet. Earumdem interpretationem Samueli Petito in epistola ad magnum Peireskium tentatam, jure reprobatur Gallandius apud Sponium sect. 1. Miscell. art. 1, qui notat eundem in Chronologismo deficere, dum Petitus eam Inscriptionem protrahit ad everisionem regni Palmyrenorum post victam captamque Zenobiam. Sed ipse quoque Sponius n. 5 perperam annos ibidem signatos 547 putat inchoatos *ab anno mortem Alexandri magni subsequuto*, addens annum DXLVII in lapide sculptum concurrere cum anno æræ Christianæ 234, ac postremo Imperii Alexandri Severi. Nam cum rex ille domitor Asiæ, diem obierit anno primo Olympiadis CXIV, qui fuit urbis Romæ 430, annus DXLVII juxta Sponium concurreret cum A. V. 978, Christi 226. Ibi vero laudatus Scriptor annos a morte Alexandri palam confundit cum annis regni Seleucidarum; cum tamen Æra a morte Alexandri annis duodecim Epocham Seleucidarum præcedat.

Hæc Epochæ Seleucidarum visitur in nummo urbis Cyrrhi, cujus typum cum Alexandri Theopatoris, vulgo Balæ, imagine ac epigraphæ: ΚΥΡΡΗΤΩΝ. ΔΕΡ. *Cyrrbensium. Anno CLXIV.* e suo Museo exhibet V. C. & amicus noster Joannes Vaillantius pag. 266 Hist. Regum Syriæ. Cyrrhus in postrema Syriarum divisione, in Euphratesia, quæ antea Commagene, censebatur. Distabat Antiochia duorum dierum itinere, teste Theodoro in lib. de vitis Patrum in Juliano. Procopius lib. 2 de ædific. Justiniani ait: *Erat in Syria oppidulum debementer neglectum, Cyros nomine, a Judæis olim extractum. Nam Judæi ex Palaestina a Medorum exercitu in Assyriam captivi abducti, & longo post tempore a Cyro rege dimissi, ut qualemcumque gratiam benefactori referrent, locum illum Cyrum appellarunt.* Undenam hæc Procopius didicerit, nescio. Hebræi a Cyro dimissi recta in Judæam perrexerunt, ex lib. 1 Esdræ cap. 1 & 2, nec longiores in redeundo moras traxerunt, ut urbem in aliena provincia conderent, qui unico Hierusalem in avito solo restituendæ studio tenebantur. Interim Procopius Cyrrhum vocat oppidulum; quomodo etiam S.

Cyrillus in Epistola apologetica ad Euoptium Cyrrhum nuncupat *πολίχιον civitatulam*. Proximata tamen illi regio dicta de illius urbis nomine Cyrrhestica, Pacori ac prima Parthorum clade Romanis scriptoribus memorata. Addit Procopius ob reliquias Sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani ea in urbe servatas, Justinianum Cyrrhum reparasse, *muri securitate, militum praediariorum multitudine, & magnitudine publicorum edificiorum*. Eamdem supra cæteros illustravit Theodoretus Episcopus, cujus eruditissima, quæ plura scripsit, volumina apud rei Ecclesiasticæ studiosos summo in precio sunt.

CAP V T IV.

DE

EPOCHÆ COMMAGENORUM.


Reges Commageni, Romanis Syriam tenentibus, numerati. Commagene in provinciam a Tiberio Augusto redacta, Antiocho IV postea restituitur, addita Cilicia Trachea. Ejusdem Regis gesta ac bina numismata. Titulus Epiphanis exponitur. Idem regno pulsus, Roma privatam vitam degit. Nummus Jotapes Antiochi IV uxoris. Idem nummus Jotapi prioris filia perperam adscribitur. Sebaste urbs in Eleusa insula Cilicia adjacente. Commagene a Vespasiano Romano imperio additi, novam Epocham instituunt. Samosata regni metropolis, Flavium cognomen adsumunt. Commagene postea Euphratenfis appellata, cujus nova metropolis Hierapolis. Quo jure S. Eusebius Samosatorum Antistes in provinciis Syria Episcopos ordinaverit.

Commagene superioris Syriæ pars ab Armenia Tauro monte submotâ, ac Euphrati ad Orientem protensa, ad Occidentem inferiori parte Ciliciæ, ad meridiem vero Cyrrhestica claudebatur. Strabo lib. 16 pag. 516, *Commagene, inquit, parva regio est, & urbem habet natura munitam Samosata regni caput. Nunc provincia facta est; nempe A. V. Romæ 771 a Germanico jussu Imperatoris Tiberii. Cum vero idem Strabo*
in

in fine lib. 6 Germanicum, qui anno insequenti obiit, adhuc superstitem laudet, patet annus, quo ille libros geographicos elucubrabat. Amplissimum Seleucidarum imperium ad angustum Commagenes regnum redactum, Antiochus rex moderabatur, cum A. V. 690 Pompejus cum exercitu in Syriam descendit; & ille quidem legionum terrore, societatem cum P. R. inire compulsus fuit. Cum postea Cicero Ciliciam proconsul administraret, eundem Antiochum non semel in Epistolis famil. lib. 15 laudavit. Hæc in prima ejus libri Epistola scribit: *Regis Antiochi Commageni legati primi mihi nunc nuntiarunt, Partiborum magnas copias Euphratem transire cœpisse.* Legantur item epistolæ tertia ac quarta. Missos ab eodem in castra Pharsalica equites CC ad Pompejum memorat Cæsar lib. 3 bel. civ. cap. 5. Eundem longiori obsidio intra Samosata oppugnatum, modica pecuniæ largitione Antonius Triumvir in amicitiam recepit. Huic successit Mithridates, cujus auxiliares copias bello Actiaco, in castris Antonii recenset Plutarchus. Hunc Mithridatem insidiis circumventum Antiochus frater sustulit, ac Commagenem occupavit. Verum ad Augustum postea reus delatus, ac Romam evocatus, ac convictus quod missum a rege Mithridate legatum in urbem occidisset, capitis damnatus, interiit, ex Dione in fine lib. 52 A. V. 725. Cum postea A. V. 734 Augustus in Syriam advenisset, uti scribit idem Dio lib. 50, *Mithridati cuidam Commagenem, quod ejus rex patrem hujus Mithridatis occidisset, puero etiam tum attribuit.* Ita diserte Dio Antiochum Romæ damnatum, regem Commagenorum appellat. Tacitus lib. 2 Annal. ad A. V. 770 scribit: *Per idem tempus Antiocho Commagenorum, Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque quoque Romanum, aliis regum imperium cupientibus.* At Tiberius missus in Orientem Germanico, Commagenem A. V. 771 in provinciam redegit, Q. Servæo rectore eidem imposito. Ceterum Tiberio defuncto, Cajus Caligula initio statim imperii A. V. 790, ut inquit Dio lib. 59, *Antiocho Antiochi filio Commagenem paternum regnum, adjectis Cilicia maritimis, attribuit.* Hic quartus est Antiochus ab eo qui a Pompejo ad ineundam cum Romanis amicitiam

citiam compulsus fuit. Itaque hic Antiochus IV maritimam Ciliciam, quæ antea Philopatori paruerat, a Cajo obtinuit, ac tumultuantes Clitas ejus oræ accolas, & Romanis apud Anemurium resistere ausos, ipsorum duce ac primoribus seditionis interfectis, ad officium reduxit A.V. 805, ex Tacito lib. 12 Annalium. Josephus lib. 20 Antiq. cap. 1 scribit, reges Antiochum Commagenorum, Sampficeramum Emefenorum, Cotym minoris Armeniæ, Polemonem Ponti apud Tiberiada Galiliæ metropolim Agrippam regem Judæorum convenisse; ubi ipsius etiam Agrippæ frater Herodes rex Chalcidis adfuit, Vibio Marso Syriæ præfide eo pariter se conferente. Tunc, uti puto, Agrippa Drusillam filiam nondum sexennem, Epiphani majori filio regis Antiochi despondit, cum juvenis ad Judaicos ritus transire spondisset, ex Josepho lib. 19 c. ult. Cum initio imperii Neronis A.V. 807 fama esset Parthos in Armeniam irrupturos, Nero, inquit Tacitus lib. 13 legiones propius Armeniam collocari jussit, *duosque veteres reges Agrippam & Antiochum expedire copias, quis Parthorum fines ultro intrarent.* At unus Antiochus Commagenorum rex verus dici potuit, cum Agrippa eo anno Urbis 807 annum ætatis ageret XXVII, regni vero quintum, ex quo post Agrippæ regis patris obitum, regnum Chalcidis a Claudio Augusto acceperat, uti colligimus ex Josepho in fine lib. 19 laudati, ac lib. 2 belli cap. 13. Nero A.V. 813 parte Armeniæ Commagenis finitima Antiochi regnum auxit, ex Tacito lib. 14. Idem Vespasiano ad bellum Judæicum gerendum in Syriam adveniēti, auxiliares copias transmisit, uti tradit Josephus lib. 3 belli cap. 3. Cum vero post Neronis ac Galbæ interitum, a legionibus in Oriente imperium Vespasiano A.V. 822 delatum fuisset, *accessere*, inquit Tacitus lib. 2 Hist. *tum regno Sobemus haud spernendis viribus, Antiochus vetustis opibus ingens, & inservientium regum ditissimus.* Idem etiam paulo post una cum Tito Cæsare Hierosolyma obsedit, teste Josepho, cujus postea verba recitabo. Extat in Gaza Medicea hujus Antiochi nummus.

Anti-



Antica inscriptio Latine vertitur: *Rex magnus Antiochus Epiphanes*; averſa vero: *Commagenorum*, cum Symbolo ſcorpionis. Quod erat *ingens opibus* & Romanis Principibus *inſervientium regum ditiffimus*, ac ultra avitum regnum Commagenes, regnum quoque Tracheæ Ciliciæ, ac Armeniæ partem a Romanis Imperatoribus acceperat, *magni* titulo a ſubditis decoratur. Harduinus pag. 587 nummum recitat e regia Gaza inſcriptum: ΒΑΣΙΛ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΕΠΙ. *Rex magnus Antiochus Epiphanes*; & retrorſus: ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ ΙΟΤΑΠΗ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ: *Regina Iotape. Sebaſtenorum*. Porro V. C. notat ſe de voce ea Epiphanis in nummis Edeffenorum dixiſſe, nempe p. 146, ubi numiſma: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, Latine interpretatur: REGIS ANTIOCHI DEI PRÆSENTIS; *non uti*, inquit, *vulgo reddunt Dei Illuſtris, vel Apparentis: ſed Præſentis, inquam, hoc eſt, qui præſentem affert operam imploratus*. Hanc ille interpretationem vocis ἐπιφανής legerat apud Vaillantium in Antiocho Epiphane pag. 194, quam tamen utrique procuderat Henricus Valeſius in notis ad c. 6. l. 2 Hiſt. Euſebii, ubi ait: *Hinc Antiochus ille rex Syriæ, appellatus eſt ἐπιφανής ab aſſentatoribus Græcis, id eſt, præſens & conſpicuus Deus*. Unde & titulum quem Cajus Cæſar ſuæ ipſius ſtatuae in Hieroſolymorum templo adponendum jufferat, ex Philone de legatione ad eundem: ΔΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΕΟΥ ΓΑΙΟΥ, Latine reddit: NOVI IOVIS PRÆSENTIS CAI. Hæc tamen cognominis ἐπιφανής interpretatio minus recte appellatur ab Harduino ad explicandum eundemmet titulum Antiochi regis Commagenes, quam etiam nec Antiocho regi Syriæ convenire puto.

R

In

In lib. I. Maccab. cap. I, 11 legitur: *Αντίοχος Επιφανής*, *ὁὖς Ἀντίοχος τῷ βασιλέως*, quæ verba vulgata lectio D. Hieronymi vertit: *Antiochus illustris, filius Antiochi regis*. Et lib. 2 cap. IV, 7 dicitur regnum post Seleuci fratris obitum suscepisse *Antiochus qui Nobilis appellabatur*; ubi Græce *ἐπιφανής* legitur. Et quidem cognomina *Soteris*, *Euergetis*, *Philopatoris*, & *Epiphanis* jam antea ab Ægyptiis inventa fuerant, ut suos reges uno eodemque *Ptolemai* nomine nuncupatos invicem distinguerent, priusquam eadem cognomina a Syris suis quoque regibus imponerentur. S. Hieronymus in cap. 9 Danielis de Antiocho Magno Syriæ rege scribit: *Et Ptolemao Philopatore mortuo, adversus filium ejus, qui tunc quatuor annorum erat, & vocabatur Ptolemaus Επιφανής, rupto fœdere, exercitum movit*. Ita cognomen *Epiphanis* ab Ægyptiis regi puero quadrienni inditum est, priusquam illud ipsum a Syris Antiocho Magni filio imponeretur. Præterea Bithynii Nicomedem Prusiæ filium *Epiphanem* appellarunt, ex nummo apud eundem Harduinum pag. 359. Quis autem putet Ægyptios ac Bithynios eosdem reges qui in oculis omnium versabantur, *Epiphanes*, id est, *præsentes* nuncupasse?

Altera etiam interpretatio qua *ἐπιφανής nobilis* Latine vertitur, veterum monumentorum testimoniis confirmatur. Nam filii Augustorum *Nobilissimi* penes titulum dicebantur. In Actis passionis S. Cypriani, Proconsuli Africæ laudantur *Sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti & Valerianus nobilissimus Cæsar*. Idem etiam Valerianus Cæsar in nummis inscribitur NOB. *Nobilissimus*, ut & in titulis rescriptorum una cum Valeriano patre, uti patet l. 2 Cod. *L. 11 de transact.* & passim alibi. In Smyrnenfi Inscriptione apud Sponium Sect. X. Miscell. n. 95 p. 355, post Licinium Valerianum ac Licinium Gallienum Augustos, nominatur *Λικίνιος Ουαλεριάνος ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ*, *Licinius Valerianus Nobilissimus Cæsar*. Philostorgius l. 8 c. 8 scribit Varro nianum Joviani Augusti filium adhuc infantem, *Επιφανέστατον* nuncupatum, id est inquit, *παρὰ Ῥωμαίοις τὸν Νοβελισσίμον*: *juxta Romanos Nobilissimum*. Itaque vox *ἐπιφανής* recte *Nobilis* a D. Hieronymo Latine vertitur. Cum mortuo Seleuco fratri Antio-

tiachus successisset, Syri quo idem a decessoribus Antiochis Syriæ regibus distingueretur, eundem *Epiphanem* nominarunt. Neque enim consensio viro erudito, qui putat illud cognomen primum inductum ex literis Samaritanorum inscriptis: βασιλεὺς Ἀντιόχου ΘΕΩ ΕΠΙΦΑΝΕΙ, *Regi Antiocho, Deo Epiphani*, teste Josepho l. 12 Antiq. cap. 7. Nam literæ illæ scriptæ sunt anno regni ejusdem Antiochi octavo. At plane puduisset Syros regis titulum a despectissima Samaritanorum gente didicisse. Cum Lyfias Syriæ summa cum potestate præfectus, ejusdem Antiochi Epiphanis e Perside redeuntis, obitum intellexisset, uti legitur lib. I Maccab. cap. VI, 17, *constituit regnare Antiochum filium ejus, quem nutrit adolescentem, & vocavit nomen ejus EVPATOR*. Ita novenni puero Antiocho initio statim regni *Eupatoris* cognomen impositum fuit, quo a patre, avo, atque atavo, Antiochis Syriæ regibus discerneretur. Hinc & ejusdem patri Antiocho sub ipsa regni initia *Epiphanis* cognomen a Syris inditum est, ut a decessoribus Antiochis distingueretur; cui postea ob Ægyptum subactam, assentatores *Dei* nomen addiderunt, quod in nummis ejusdem legitur, quos quædam Syriæ urbes eidem adulantes scalperunt, quo tamen a ceteris Syris illum nuncupatum facile pernegaverim. Vti vero vox illa ἐπιφανής seorsum posita, *illustris* sive *nobilis* recte in Latino sacrarum literarum codice vertitur; ita aliam interpretationem commode subit, cum eidem alter titulus Θεός additur, & a Valesio optime Latine legitur: *Dei præsentis*. Ovidius lib. IV Tristium eleg. 4, cum Jovem & Augustum nominasset, ait:

Causa tua exemplo superiorum tuta duorum est:

Quorum hic aspicitur; creditur ille Deus.

Augustus adulanti poetæ erat Deus ἐπιφανής, id est, *præsens* ac *conspicius*, qualis eidem non erat Juppiter, qui non cernebatur, sed vulgo tantum credebatur Deus. Hæc fulius de cognomine Epiphanis inserui, non ut hocce cognomen, Antiocho Commageni in delineato nummo delatum, exponerem, sed ut D. Hieronymi interpretationem in vulgatis sacrorum voluminum monumentis consecratam defenderem.

Harduinus explicans laudatum nummum, hinc Antiochi, illinc vero Jotapes reginæ imaginibus obsignatum apud Sebaſtem, ait: *Fuit hac Jotape Antiochi tertii Commagenorum reguli filia, conjux Alexandri, qui Herodis magni pronepos, in Cilicia regulus Sebaſtenorum a Veſpaſiano eſt conſtitutus*, ex Joſepho lib. 18 cap. 7. Addit eandem marito mortuo, *in ſocietatem ejus regni fratrem adſcriviſſe jam Commagenorum, mortuo patre, regulum Antiochum ejus nominis quartum*, cujus eo in nummo effigiem una cum ſore Jotape ſcalptam autumat. Seguinus dudum cap. 2 de ſelect. Numis, num. XXI, nummum Jotapes reginæ produxerat, in poſtica ſignatum cum gammaro, uti putat: ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ, *Commagenorum*, quem deputat Jotapi uxori Alexandri filii Tigranis Armeniæ regis conſtituti, quam opinionem Harduinus ſecutus eſt. Hic vero alter nummus viſitur etiam in Cimeiliis Mediceis, anterioris partis inſcriptione fere detrita; poſterior tamen pars optime ſervata eſt, in qua non gammarus, ſed ſcorpio, ut in aliis quoque nummis, apparet. At nullus dubito utrumque nummum pertinere ad Jotapem uxorem Antiochi IV regis Commagenes, ac matrem Jotapes, quæ Alexandro Tigranis regis Armeniæ filio ac Herodis Magni pronepoti nupta fuit. Antiochus hujus nominis tertius ab eo, cui Pompejus regnum ſanxit, obiit A. V. 770, ex laudato ſuperius Tacito lib. 2 Annalium. Cajus Auguſtus Commagenem ejusdem Antiochi filio reſtituit, ademittque: quam iterum a Cæſare Claudio acceptam, idem diutius poſſedit uſque ad A. V. 825, quo Veſpaſianus annum imperii quartum inivit, quem vetuſti regni Antiochus poſtremum habuit. Nam Cæſennius Pætuſ præſes Syriæ, uti Joſephus auctor ſynchronus fuſius narrat lib. 7 belli cap. 27, Antiochum Commagenorum regem, quem apud Veſpaſianum initi cum Parthis fœderis accuſaverat, improvifo bello aggreſſus, regno expulit. Hunc tamen Veſpaſianus veteris memor amicitia, Romam cum filiiſ evocatum, privatam ibidem deinceps vitam degere juſſit. Moneo hic obiter nummum apud illuſtriſſimum Spanhemium pag. 570 recitatum, cum Domitiæ capite & epigraphe in poſtica: ΣΜΥΡ. ΕΦΕ. ΟΜΟΝΟΙΑ. ΑΝΘΥ. ΚΑΙCΕΝ. ΠΑΙΤΟΥ: Smyr-

neo-

neorum, Ephesiorum Concordia. Proconsule Cæsennio Pato, non pertinere ad Cæsennium Pætum, a quo Antiochus Commagenes regno pulsus fuit anno quarto Vespasiani; siquidem ille A. V. 815 fuerat Legatus Consularis Neronis Augusti bello Parthico, ex Tacito lib. 15, ubi etiam narrat equum, *qui consularia ornamenta gestabat* in exercitu Pæti, retro evalisse. Itaque Cæsennius Pætus id temporis erat consularis, ac proinde diversus ab altero Cæsennio Pæto, qui Domitiano imperante, Asiam proconsul administravit. Nam viri Consulares juxta ordinem gesti in Urbe consulatus, Asiam & Africam, quarum provinciarum administrationem Augustus populo Romano permiserat, sortiebantur, teste Tacito lib. 3 Ann. ubi scribit de Servio Maluginensi Flamine Diali, & in lib. de vita Agricola. At numquam ea sortitio ad annum usque vicesimum a gesto consulatu, differri potuit, ut innumeris exemplis constat apud Pighium in tomo 3 Annalium Romanorum. Harduinus pag. 162 laudatum Pæti nummum recitans, inscriptam ibidem partem epigraphes ita exhibet: ANΘΥ KAICEN. ΠΑΙΤΟΥ; addens: *Sic enim legit Patinus pag. 169. Et postea: sed quod infelicitur legit Patinus, sic nos paulo felicius: ANΘΥΠΑΤ. CΕΠ. ΠΑΙΤΟΥ, Proconsule Septimio Pato; vel CEN. Sentio.* At Eques Patinus pagina illa 169 eam inscriptionem ita scalptam proponit: ANΘΥ KAICEN. ΠΑΙΤΟΥ; & in indice pag. 10 in Domitia: ANΘΥ KAICEN. ΠΑΙΤΟΥ: ibi latiori spacio: hic interpunctione inserta, duo priora vocabula accurate distinguens, quæ Harduinus, ut ubique Patiniano volumini redarguendo locum sibi faciat, in unam eandemque vocem ab eodem confusa comminiscitur. Equidem Tristanus pag. 5 Addit. in calce prioris tomi parum feliciter eo in nummo legit: ANΘΥKAIC. C. N. ΠΑΙΤΟΥ; sed ipse Harduinus haud felicius: ANΘΥΠΑΤ. CΕΠ. vel CEN. ΠΑΙΤΟΥ: eundem Pætum e Cæsennia, e qua natus erat, gente in *Septimiam*, vel *Sentiam* familiam transcribens. In hocce me diverticulum mea erga Equitem Patinum observantia parumper deflexit. Suetonius in Vespasiano cap. 4 scribit: *Item Tracheam Ciliciam, & Commagenem ditionis regia usque ad id tempus, in provinciarum*

formam redegit. Eutropius lib. 7 & Victor in Epitome scribunt Commagenem ac *Ciliciam Tracheam* factas provincias a Vespasiano. Cajus Cæsar, uti dicebam, Antiocho Commagenes ac Ciliciæ maritimæ regna dedit, ademitque; sed Claudius A. V. 794, ut ait Dio lib. 60, *Antiocho Commagenem, quam ei idem dederat, ademeratque Cajus, restituit*; ubi quamvis Ciliciam quoque restitutam non memoret, id tamen ex lib. 12 Taciti aperte colligitur. Nam ubi describit rebellionem Cilicum agrestium, qui Anemurium Ciliciæ maritimæ urbem obsederant, *rex ejus ora Antiochus* dicitur eidem partim blandimentis, partim rebellium primoribus una cum duce interfectis, eum tumultum composuisse. Itaque Cilicia maritima, quæ etiam Trachea, id est, ob præaltos montes aspera dicebatur, usque ad annum quartum Vespasiani Antiocho IV regi Commagenorum paruit, quo a Cæsennio Pæto expulso ac Romæ vivere jusso, Cilicia Trachea Romanis provinciis accessit, uti laudati superius Scriptores testantur. Hinc patet error Seguini & hunc secuti Harduini, qui nummum Jotapes reginæ a Commagenis sculptum, deputant Jotapi uxori Alexandri a Vespasiano regis in Cilicia constituti. Nam ante annum quartum imperii Vespasiani unus in Cilicia Trachea regnabat Antiochus IV Commagenus, idemque erat rex Sebastenorum, quorum urbs erat in Cilicia maritima juxta Corycum, ut mox expono. Postea vero Commageni in provinciam redacti, Romani tantum Principis imagine, non autem regum extra Commagenem rerum potentium, effigie nummos suos obsignabant. Quare Jotape una cum *rege Magno Antiocho* in Sebastenorum numismate scalptra, est uxor Antiochi IV, regis Commagenes ac Ciliciæ, de cujus nomine urbs Jotape in eadem Trachea Cilicia vocata fuit, cujus meminit Ptolemæus in descriptione Ciliciæ. In Synodo Calchedonensi Act. VI legitur subscriptus Ammonius Episcopus *πύλεως Ἰωτάπης* *urbis Jotapes*, qui pariter subscripsit Epistolam Synodalem Episcoporum Isauriæ ad Leonem Augustum; cum ea urbs cum aliis Ciliciæ Tracheæ intra Isauriam id temporis censeretur, cujus metropolis erat Seleucia ad Calycadnum. Harduinus pag. 589 ait: *Mi-*
scant

scant omnia, qui Antiochum tertium signari in hoc nummo putant. Verum idem omnia mihi miscere videtur. In primis Jotapem cum Antiocho sculptam, credit filiam Antiochi tertii. At is obiit A. V. 770, teste Tacito. Quare cum Harduinus ejusdem filiam post annos septem ac quinquaginta Alexandri regis a Vespasiano constituti, uxorem exhibeat, ac defuncto etiam marito superstitem obtrudat, vereor ne annosam aniculam cum Alexandro rege juvene copulet, cujus patrem Tigranem Nero A. V. Romæ 814 Armeniæ regem inposuit. Præterea falso scribit Harduinus, Jotapem una cum marito Alexandro regnasse in Cilicia maritima, ac demum marito mortuo, fratrem Antiochum IV regem Commagenorum in societatem regni adscivisse, eo quod in nummo legitur ΙΟΤΑΠΗ (est tibi per ω ΙΩΤΑΠΗ) ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, *Jotape amans fratris.* Nam durante regno Commagenes, unus Antiochus IV in Cilicia Trachea regnabat, quo a Vespasiano depulso, Commagene Romana provincia facta fuit, nullusque ibidem rex fuit reliquus, quem postea uxor Alexandri defuncti Jotape in consortium regni vocare posset. Erudinus amicus noster Vaillantius in additis ad librum Seguini putat Jotapem Philadelphim seu amantem fratris inscriptam, quod eadem erat & soror & uxor Antiochi regis Commagenes; uti Ptolemæi Ægypti reges sorores in uxores ducebant. Hæc tamen mihi sine teste non probantur. Nam Diodorus Siculus lib. 1 scribit Ægyptiis lege permissa matrimonia cum sororibus, *quod Isidi apud ipsos feliciter hoc successisset; hæc enim Osiridi germano nupsit.* At Pausanias in Atticis scribit Ptolemæum Philadelphum nuptias cum Arsinoe sorore celebrasse; atque id, inquit, non sane ex Macedonum, sed Ægyptiorum, quibus imperabat, lege fecit; quod eidem crimini turpissimo vertens Herodianus sub initium lib. 1 ait: *Siquidem Ptolemæus eo turpitudinis prolapsus est, ut contra Macedonum atque adeo Græcorum omnium leges, etiam sororis amoribus implicaretur.* Scio quandoque etiam Seleucidas id genus nuptias celebrasse; siquidem Appianus in Syriacis de Antiocho Magno Syriæ rege ex Asia Antiochiam reverso, scribit: *Et ibi celebravit liberorum nuptias, Antiochi & Laodices, quos simul matrimonio junxerat.* At non con-

constat Reges Commagenos ea turpia exempla in regia familia renovasse. Auctor est Josephus l. 19 Antiq. c. 7, hunc ipsum, de quo loquimur, Antiochum IV regem Commagenorum curasse, ut filio suo majori natu Epiphani Mariamne Agrippæ Judæorum regis filia decennis desponderetur. Idem vero Josephus lib. 7 belli cap. 27 narrat eundem Antiochum a Cæsennio Pæto regno pulsum, *abducta conjuge cum filiabus in Ciliciam fugisse*. Ita ille nullam filiorum Epiphani filio nuptui dedit, quod avitas Macedonum leges secutus, incestas fratrum ac sororum nuptias abhorrebat. Quare Jotape dicta est *φιλὰδελφος* ob amorem, quem egregio quopiam exemplo erga fratrem ignotæ adhuc mihi gentis ostendit.

Denique errat Harduinus, dum pag. 587 de Jotape uxore Alexandri ait: *Dedit ea nomen oppido in Cilicia, de quo Plinius lib. 5. sect. 22, Arsinoe, Jotape, &c. quem locum nos primi sanavimus*. At quamvis eum Plinii locum sanavit, haud tamen sana est ejusdem opinio de Jotape in Cilicia de nomine uxoris Alexandri reguli nuncupata. Nam anno quarto imperii Vespasiani Jotape cum patre Antiocho Epiphane regno pulsa, in Ciliciam fugit; dein jussu Vespasiani apud Spartam cum genitoribus substitit, qui tandem omnes Romam ab Imperatore evocati sunt, uti scribit laudato libro 7 Josephus. Demus hæc contigisse anno quinto imperii Vespasiani, qui postea Alexandrum Herodis Judæorum regis pronepotem, regem constituit Sebastes in Cilicia maritima, quæ antea Antiocho Commageno, privatam tum vitam in Urbe agenti, paruerat. Hæc parva Ciliciæ portio Alexandro Jotapes marito anno sexto imperii Vespasiani adsignata dicatur. At Plinius libros naturalis Historiæ Tito Cæsari *sexies Consuli* nuncupavit, quem ille magistratum gessit A. V. 830, eodemque octavo imperii Vespasiani. Cum vero idem Cæsar Titus A. V. 832 a Palilibus, Consul VII processerit, consequens fit, ut ante hunc annum Plinius laudatissimos libros eidem Cæsari dicaverit. Hinc prodigio propius videri possit Jotapem Alexandro nupero Sebastes in Cilicia regulo junctam, tot statim divitiis abundasse, ut intra biennium urbem de suo nomine conderet, sive veteri cui-

dam

dam oppido restaurato, suum nomen imponeret, quod Plinio procul in Italia scribenti notum esse potuerit, qui in Ciliciæ descriptione tot alias antiquiores urbes omisit. Præterea teste Ptolemæo lib. 5 Geographiæ, Jotape erat urbs supra Selinuntem prope Pamphyliam, & inter illam ac Sebastem plures Isauriæ ac Ciliciæ urbes interjacebant; unde in Notitiis Imperii & Ecclesiarum Jotape in Isauria, Sebaſte vero in Cilicia maritima collocatæ leguntur; ut plane constet Jotapem fuisse urbem longius distantem Sebaſte, apud quam angustioribus terminis Jotape cum Alexandro regnabat. Itaque ea urbs de nomine senioris Jotapes uxoris Antiochi IV, postremi Commagenorum regis, appellata fuit. Josephus qui eundem Antiochum sapius Romæ privatum hominem vidit, hæc de eodem scribit lib. 6 cap. 12: *Omni-um enim regum, qui Romanis parebant, felicissimum Commagenum fieri contigit, priusquam fortuna mutaretur. Ostendit ille quoque in senectute atate nullum ante mortem beatum dici oportere.*

Harduinus plura congerit, ut ostendat laudatum nummum sculptum fuisse a Sebaſtenis in Cilicia in honorem Jotapes uxoris Alexandri. Nam in primis notat Josephum lib. 18 cap. 7 de Alexandro Herodis pronepote, juxta Latinum Interpretem, scribere: *Hic Antiochi Commagenorum regis filiam duxit Jotapen & Lesidis in Cilicia rex a Vespasiano constitutus est.* Cum nusquam in Cilicia Lesidis urbis aut regionis nomen apud Geographos occurrat, in Græco Josephi codice legendum docet: *ἡσιόδος τὴ ἐν Κιλικίᾳ, insula in Cilicia rex a Vespasiano constitutus est.* In Latinis Josephi codicibus Mediceis in pluteo LVI legitur *Isiadis*, in aliis *Isiadis Ciliciæ civitatis a Vespasiano rex efficitur.* In Græco vero codice in pluteo LXI legitur: *ἡσιόδος τὴ ἐν Κιλικίᾳ, Esiodos in Cilicia;* in altero codice ea vox omittitur, vacuo spacio ab Amanuense relicto. Interim recipio viri clarissimi emendationem, ut legendum sit *ἡσιόδος*; qui etiam tradidit hanc insulam esse urbem Sebaſtem, quod Stephanus V. ΣΕΒΑΣΤΗ scribit: *λέγεται καὶ ἡ πρὸς τῇ Κώρυκι Χερῶννης οὕτω: Et sic vocatur Cherronesus juxta Corycum.* Legendum, inquit Harduinus, *πρὸς τῷ Κωρύκῳ*, cum Ptolemæo in Cilicia describantur Κώρυκος, Σεβαστή. At

Κωρυκος est generis feminini, uti etiam Tarsus; Damascus, Ægyptus &c. Itaque & Harduini emendatio corrigenda est, ac legendum *πρὸς τῇ Κωρύκῳ*, uti ex MS. codice recte legitur apud Holstenium pag. 286 not. in Stephani. Jam vero inquit, quæ insula Josepho dicitur, a Stephano Cherronesus appellatur Sebastæ; complures enim urbes maritimæ, *forte quod in aestu circumalluantur mari*, a Stephano aliisque *ἡστοὶ* appellantur, quæ sunt *aestu abscedente*, *χερρὲνῆστοι*, hoc est, *terra in insula modum mari circumdata*. Hæc ille, qui si adnotasset quæ ex Strabone ac Josepho produxi in Dissert. 2 de Cenotaphiis Pisaniis pag. 226, rem plane intellexisset. Etenim Strabo lib. 14 pag. 461 ait: *Post Corycum Eleusa insula est, continenti propinqua. Eam Archelaus habitatoribus frequentavit, ac regiam sibi fecit, cum Tracheam Ciliciam, excepta Seleucia, esset nactus*. Et superius pag. 448 *Ἐλεύσα ἡστός* Eleusa insula dicitur eidem distasse a continente quatuor stadiis. Plinius Straboni similiter lib. 5 cap. 31, *Mare*, inquit, *quod prætenditur, vocant Aulona Cilicum. In eo sita Eleusa insula est*. Josephus vero lib. 16 cap. 8 de rege Herode ait: *Cum appulisset Eleusam oppidum Cilicia, quod Sebastæ mutato nomine dicitur, offendit ibi Archelaum regem Cappadocum*. Hic in regno Cappadociæ apud Mazacam, quæ postea Cæsarea dicta est, residebat; cum verò ad alterum Tracheæ Ciliciæ regnum se conferebat, in insula Eleusa degebat, quam totam urbem fecerat, cum ambitus insulæ ex laudato Strabone esset octo tantum stadiorum, id est, unius milliarii. Cum Antiochus IV a Cajo ac Claudio Augustis maritimam Ciliciam ultra paternum regnum Commagenes accepisset, in eadem Cilicia regiam urbem Sebastem, quæ Eleusa insula antea dicebatur, possidebat. Hinc Sebasteni nummum ejusdem Antiochi ac Jotapes reginæ uxoris imagine obsignarunt. Cum vero Vespasianus Antiochum, qui annos XXXV regnaverat, regno pulsum, cum filiis Epiphane & Callinico Romæ privatam vitam agere jussisset, insulam Sebastem cum angusta parte proximi continentis Alexandro attribuit, cujus uxor ex Josepho fuit Jotape filia Antiochi postremi Regis Commagenorum & Jotapes reginæ, cujus nomen filia tulit. Alexander erat filius Tigranis, qui

Ta-

Tacito lib. 14 dicitur *Cappadocum ex nobilitate regis Archelai nepos*; siquidem Tigranes patrem habuerat Alexandrum Herodis regis filium ac matrem Glaphyram, filiam Archelai regis Cappadociæ. Hinc Vespasianus donavit Alexandro ac Jotapi insulam & urbem Sebastem, quam ejusdem Alexandri laudatus proavus Archelaus condiderat, ac Jotapes pater Antiochus Commagenus septem fere lustris possederat. Cum Suetonius, Eutropius, aliique tradant, Vespasianum Tracheam Ciliciam una cum Commagene in provinciæ formam rede gisse, colligimus angustam tantum Ciliciæ maritimæ portionem juxta Sebastem regulo Alexandro ab eodem Principe attributam fuisse; unde & a Josepho non Ciliciæ, sed *Insula in Cilicia* rex appellatur. Hæc vero urbs Sebaste, quæ ætate Strabonis ac Plinii, erat insula quingentis passibus a continenti avulsa, tempore Stephani (si vera narrat) recedente pelago, Cherronesus, sive peninsula evaserat, uti Ravenna, quæ antiquitus maritimis æstuariis circum alluebatur, nunc tribus milliariis a pelago distat. In Actione III Synodi Calchedonenſis pag. 436 edit. novissimæ Parisiensis legitur: *Hypatius Episcopus Zephyrii, & Alexander Episcopus Sebaste Ciliciæ secunda, & Theodorus Episcopus Augusta &c.* Ubi perperam a Latino interprete Sebaste ponitur in Cilicia secunda, quæ Syriæ erat finitima; cum illa urbs sita esset in Cilicia prima versus Isauriam juxta divisionem provinciarum Christianis Imperatoribus decretam. In Act. IV pag. 495 recte legitur: *Alexander reverendissimus Episcopus Σεβαστῆς πρώτης Κιλικίας, Sebastes prima Ciliciæ.* Carolus a S. Paulo pag. 300 Geographiæ sacræ in descriptione Ecclesiarum sive urbium Episcopaliū Ciliciæ primæ ait: *Sebaste quæ & Augusta Ptolemao ibidem, & Notitiis antiquis.* Duas in unam urbem confundit. Nam cum Eleusa de titulo Romani Imperatoris *Sebaste* dicta fuisset, id est, Latinis *Augusta*, cum iterum de eodem titulo Cæsaris alteri in eadem Cilicia urbi nomen impositum fuit, eandem Latino vocabulo *Augustam* dixerunt; ne Græca voce *Sebaste* nuncupata, cum altera maritimæ confunderetur. Et sane Ptolemæus ac laudatæ Notitiæ Sebastem & Augustam distinctas in Cilicia urbes recitant, & in

Synodo Calchedonenſi Alexander Sebaſtes, & Theodorus Auguſta Epifcopi, uti vidimus, recensentur.

Ex haftenus prænarraſtis facile intelligitur Epocha Syriae Commagenes, quam nobis prædit Auctor vetuſtus Chronici vulgo Alexandrini, in quo ad annum tertium Olympiadis CCXII, Veſpaſiano Auguſto II & Nerva Conſulibus, ſcribitur: *Hinc Commageni & Samofateni ſua tempora numerant.* Annus tertius memoratæ Olympiadis cœpit A. V. Romæ 824, Æræ Chriſtianæ LXXI, quo Veſpaſianus Kalendis Julii tertium imperii annum inivit, cum idem Conſul III collega M. Coccejo Nerva Kalendis Januariis præceſſiſſet. Quare numerus Conſulatum in Chronico laudato corrigendus eſt ex veteri Inſcriptione Gruſſeri pag. CCC.

ADLECTUS. AD. NUMERUM. EX. S. C.
T. CAESAR. AVG. F. IMPERATOR
IMP. CAESARE. VESPAſIANO. AUG. III
M. COCCEIO. NERVA COS.

P. R. C. AN. DCCCXXIIII.

Ex quo epigrammate intelligimus Epocham Urbis Varronianam in publicis monumentis ſignandis adhibitam fuiſſe: & inſuper Conſulatum ſuſſectum Veſpaſiani, quem privatus ſub Claudio geſſerat, cum ordinariis in Faſtis connumeratum, quod negabat Baronius, qui Veſpaſianum II & M. Coccejum Nervam Conſules ſtatuit ad annum Chriſti 73. Cum Commageni pulſo rege Antiocho, a Veſpaſiano Romanis provinciis additi fuiſſent, ſive Principi rerum domino adulantes, ſive latibundi, quod regium jugum excuſſiſſent, novam provinciæ Epocham inſtituerunt. Nuper ex Joſephho notabam, Antiochum regno Commagenes a Caſſennio Patro deturbatum fuiſſe anno quarto imperii Veſpaſiani, qui cœpit ſub initium Julii A. V. 825, ac quarto Olympiadis CCXII. Uti Laodicenſes anno Urbis Romæ 707 autonomiam a Julio Caſſare conſecuti, eum ipſum annum, qui Laodiceæ cœperat per autumnum A. V. Romæ 706, primum novæ Epochæ decreverunt; ita Commageni, cum A. V. 825. Romano imperio adjecti fuerint, eundem annum, qui apud ipſos inierat ab autum-

no

no A. V. Romæ 824, Antiocho apud ipsos adhuc regnante, caput & initium novæ Eræ instituerunt. Quod vero una ibidem toti Commageni communis Epochæ assignatur, colligimus plures ejusdem provinciæ urbes eandem Epocham adhibuisse. Una tamen urbs Samosatorum ibidem appellatur, quod fuerat Regum sedes, ac provinciæ postea metropolis. Extant in Gaza Medicea nummi.



Antica inscriptio Latine redditur: *Hadrianus Augustus*; postica vero: *Flavia Samosata Metropolis Commagenes*. Sive: *Flavorum Samosatensium metropoleos Commagenes*. Samosateni quo Vespasiani, qui eosdem Romano imperio adjecerat, gratiam sibi conciliarent, de nomine ejusdem *Flavium* cognomen urbi suæ imposuere. Alter ibidem etiam videtur nummus ex collectione Cardinalis Leopoldi, inscriptus: ΑΥΤΟ. ΚΑΙ. ΤΙ. ΑΙΑ. ΑΔΡΙΑΝ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. CEB. ΕΥCΕ: *Imperator Caesar T. Aelius Hadrianus Antoninus Augustus Pius*; & in postica: Φ. CAMOC. ΙΕΡ. ΑCΤ. ΑΥΤΟΝΟ. ΜΗΤ. ΚΟΜ. *Flavorum Samosatensium inviolata, suis utentis, legibus metropoleos Commagenes*, cum muliere turrita, binas spinas dextera tenente, infra scopulum seu tumulum Euphratis fluminis figura aquis partim immersa. Strabo l. 16 ait: *Samosata regni caput*. Plinius etiam lib. 5 cap. 24, *Inde, inquit, Commagenes caput Samosata*. Hinc in nummis Samosata cum titulo metropoleos passim occurrunt. Ceterum cum posteriori ætate provincia, veteri Commagenes nomine antiquato, Euphratensis dicta fuit, Hierapolis ejusdem metropolis evasit, ubi tum provinciæ rector, tum etiam metropolitanus Episcopus residebant, Samosatis in ordinem redactis. Ammianus

lib. 14 scribit: *Commagena nunc Euphratensis clementer adsurgit, Hierapoli, vetere Nino, & Samosata civitatibus amplius illustris.* Cum in nummis Philippi Augusti, quos ex thesauro Mauroceno exhibet Eques Patinus p. 137, Samosata dicantur *Metropolis Commagènes*; ac in ejusdem Philippi nummis Hierapolis sine metropoleos titulo legatur, palam fit diutius Samosata jure metropoleos potita fuisse, antequam illud a Christianis Imperatoribus Hierapoli tribueretur. Auctor est Theodoretus S. Eusebium insignem Samosatorum Episcopum, Constantii ac Valentis edictis contemptis, Arrianæ sectæ validissime restitisse. Nam lib. 5 cap. 4 tradit id præsertim curæ fuisse sanctissimo viro, ut Ecclesiis Catholicos Antistites imponeret; unde Acacium Berhoæ, Theodosium Hierapolis, Eusebium Chalcidis, Isidorum Cyrhæ, Marin Dolichi, Eulogium Edessæ, Protogenem Carrharum Episcopos ordinavit. Itaque Eusebius Samosatenus jure Metropolitico usus videtur, cum tot Episcopos non modo in Syriarum provinciis, verum etiam ultra Euphratem apud Carrhas & Edessam designaverit. Verum delegata potestate a Meletio Patriarcha Antiocheno, ejusque Catholica Synodo, Eusebius memoratos Episcopos creavit. Hæc libro 4 cap. 12 Theodoretus scribit: *Iste Eusebius, cum multas Ecclesias pastoribus orbatas intellexisset, habitu militari indutus, & capite tiara operto, Syriam, Phœniciam, & Palestinam peragravit, quo tum Presbyteros & Diaconos crearet; tum alia Ecclesiastica obiret officia. Quod si quando in Episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos Ecclesiis, quæ carebant pastoribus, præfecit.* Quare cum non in una tantum provincia Commagena sive Euphratensi sacras ordinationes perageret, sed per Syriam, Phœniciam, Palestinam, ac Osrhoënam Presbyteros & Episcopos consecraret, hæc omnia jure Patriarchico ac Synodali sibi concessio exequutus est, quo Catholicam fidem toto Oriente a Valente Imperatore Ariano oppugnatam, validiori conatu defenderet. Videsis Theodoretum lib. 4 cap. 13. Ceterum ut ad institutum revertar, nulli hætenus Samosatorum nummi Epocha obsignati, ab Antiquariis proditi sunt; unde nullos eandem præferre arbitrabar. At ab hac me postea opi-

opinione retraxit Nicolaus Toinardus, qui vetustioris ætatis monumentis incubans, primus Consularium Fastorum Anonymi in Vindebonensi Bibliotheca latitantium, ante Antonium Pagium V. C. index, simulque edendorum auctor mihi fuit; idemque ut cœptum mihi de Epochis Syrorum opus, benefica manu promoveret, plurima insignium nummorum ectypa transmisit; imo quo scalpaturæ onere ac molestia levarer, Samosatorum nummum suomet jussu in ærea lamina incisum, per publicum tabellarium ex Regia Galliarum Urbe Florentiam perferendum curavit. En hic ille est, qui Parisiis in Museo Droniano servatur.




In antica parte legitur: AΔPIΑΝOC CEB. ET. Z. *Hadrianus Augustus. Anno sexagesimo*: in postica vero intra lauream: ΦΑΛ. CAMOMHTPO. KOM. *Flavioꝝ Samosatensium Metropoleos Commagenes*. Extat alter in iisdem Cimeliis Samosatorum nummus Hadriani itidem imagine obsignatus, cum priori epigraphæ: AΔPIΑΝOC CEB. ET. . anno Epochæ ibidem detricto: quæ in anteriori parte nomini Imperatoris apposita, nummos eosdem insignit; quandoquidem anni Epochæ in aliarum urbium nominis in posteriori parte cum illarum nominibus copulantur. Jam vero annus LX, in Hadrianeo nummo signatus, cœpit ab autumno A. V. Romæ 883, si Alexandrini Chronici calculos sequamur. At juxta Josephi auctoris synchroni narrationem, Epochæ Samosatorum ab autumno anni urbis Romæ 825, eodemque a Kal. Julii quarto imperii Vespasiani deducta, annus ejusdem sexagesimus cœpit ab autumno A. V. Romæ 884, decimoquinto imperii Hadriani.

Quamvis Alexandrini Chronici Auctor unam esse omnium provinciæ Commagenes urbium Epocham indicare videatur,

tur; quædam tamen oppida peculiare *Æræ* habuisse existimo. Nam accepi ab amico erudito nummum M. Aurelii retrorsus inscriptum: KAICAPE ΓΕΡΜΑΝΙΚ. Ε. ΚΘ, videlicet: *Cæsarea Germanica. Anno XXVIII.* Quam sane Epocham ut obscuram in medio hic interim relinquo, quousque ex aliis ejusdem urbis nummis, quos per amicos inquiram, in appendice certioribus eandem characteribus designabo. Theodoretus libro 2 cap. 25 scribit: *Germanicia urbs sita est in finibus Cilicum, Syrorum, & Cappadocum, censeturque in Euphratensi provincia.* Socrates lib. 2 cap. 29 nominat Eudoxium Arianum Episcopum *Germaniciae urbis Syriae*; quam postea patriam habuit Nestorius; unde Germaniciæ cives Nestorianæ hæresi impensius adhærebant, teste Acacio Melitenensi cap. 83, inter epistolas Patrum a V. C. Lupo publicatas. Harduinus pag. 233 observat in veteri Notitia Ecclesiastica in provincia Euphratesia recenseri urbes *Germaniciam*, ac *Cæsaream*; atque hanc alteram esse, quæ Γερμανική in nummis nuncupatur. Ipse tamen existimo ea numismata apud Germaniciam scalpta. Nam altera urbs non *Cæsarea*, sed *Neocæsarea* dicebatur. Theodoretus in eadem provincia apud Cyrrhum Episcopus lib. 1 cap. 7 laudat sub Licinio martyrem Paulum Episcopum *Neocæsareæ oppidi cum presidio in Euphratis litore siti.* In Notitia imperii Orientalis sub Duce Euphratesiæ recensentur *Equites Mauri Illyriciani Neocæsareæ.* Meletius *Neocæsareæ* in Euphratesia Episcopus legitur in literis Schismaticorum in Synodo Ephesima, ac in epistola Theodoreti cap. 128, editi a laudato Lupo voluminis. In Synodo Calchedonensi recitatur Patricius Episcopus *Neocæsareæ provincie Augusta Euphratesiæ*; Græce semper legitur Νεοκαισαρείας, *Neocæsareæ.* Denique in Synodo V nominatur Joannes *Neocæsareæ Euphratensis* Episcopus. Ex tot veterum Scriptorum testimoniis palam colligimus, urbem illam ad Euphratem sitam, in Notitia Ecclesiastica pag. 59 apud Carolum a S. Paulo, perperam appellari *Cæsaream*, quæ plane *Neocæsareæ* dicenda est. Hinc nummi cum epigraphe: KAICAPEΙΑC ΓΕΡΜΑΝΙΚΗC, qui Pescennii, Severi, aliorumque Cæsarum imaginibus obsignati, in Cimeliis servantur, ad urbem Germaniciam referen-

ferendi sunt, quæ antea *Cæsarea Germanica* de nomine Imperatoris Caji Cæsaris Germanici vocabatur. Ita Paneas in Phœnicia in nummis *Cæsarea Augusta* inscribitur, quæ tamen sine *Augusta* cognomine *Cæsarea* postea dicebatur, uti Dissert. IV, cap. § 4 exponemus. Hæc vero cum jam ita essent a nobis tradita, doctissimus Toinardus in suis ad nos literis postea scripsit, observasse se in Gaza Regia M. Aurelii nummum capite laureato, detrita tamen anteriori epigrapha, sed retrorsus obsignatum intra lauream: KAICAPE. ΓΕΡΜΑΝΙΚ. ΚΟΜ. & inferius litera A, id est, *Cæsarea Germanica Commagenes. Anno primo.* Præterea Cl. Vaillantius significavit, habere apud se nummum mediocrem M. Aurelii in postica intra lauream ita signatum: KAICAPE. ΓΕΡΜΑΝΙΚ. ΕΚΡ. *Cæsarea Germanica. Anno CXXV.* Mortuo Antiocho rege Commagenorum, Tiberius Cæsar misso in Orientem Germanico, illud regnum A. V. 770 in provinciam redegit, Q. Servæo eidem præposito. Verum Cæsar inito statim imperio, *Antiocho Antiochi filio Commagenem paternum regnum, adjectis Cilicia maritimis, dedit*, uti scribit Dio lib. 59 ad A. V. 790. Addit Suetonius cap. 16 in Cajo, hunc tradidisse *Antiocho Commagene HS. milles confiscatum.* Hinc novus rex Antiochus, quo suum erga beneficum Cæsarem obsequium insigni quopiam monumento testaretur, urbi intra Commagenem de agnominibus Caji Cæsaris Germanici *Cæsarea Germanica* nomen imposuit, quæ postea Germanicia dicta est. Jam vero si ab A. V. Romæ 791 numeremus annos 125 in laudato nummo signatos, horum postremus cœpit A. V. Romæ 915, eodemque altero imperii M. Aurelii, qui cum capite laureato in utroque nummo scalpatur, idem non purus Cæsar, sed plane Augustus proditur. Commodum deinceps accepi ab eodem viro eruditissimo Nicolao Toinardo typum nummi, qui nuperrime insignibus Francisci Dronii Cimeliis Parisiis accesserat.



In antica illius parte legitur: ΑΥΤΟΚΑΙ. Μ...ΚΟΜΟΔΟΝ C. *Imperatorem Caesarem Marcum Aurelium Commodum Augustum.* Ubi Commodus prolixiorē barbā praefert. In altera parte vulgaris typi figurā apparent, videlicet mulier tarrita monticulos insidens, dextera extensa florem proferens, medio subtus homine ex aquis emergente, cum epigrapha: ΚΑΙC. ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΟΝ. Θ..Ρ. *Casariensium Germanicensium.* Anno C..IX. Mediae numeralis notae ne quidem vestigium certum superest, cum penitus corrota interierit. At plane constat non aliam ibi sculptam fuisse, quam literam M, ita ut restituenda sit Epochā Θ Μ Ρ, anno CXLIX. Nam cum Caius Caesar Antiocho Commagenes regnum dederit, ac postea ademerit, ut ex Dione superiori Dissert. I pag. 113 praenotavi; intra primum biennium imperii Caji, de ejusdem cognominibus Antiochus laudatæ urbi *Casarea Germanica* nomen imposuit, a quo illa suam Epocham inchoavit. Jam vero si hæc inisset altero anno principatus Caji, V. C. 791, vel insequenti 792, annus ejusdem Θ Α Ρ, CXXXIX, exisset A. V. Romæ 930 vel 931, quo utroque Commodus novus Augustus cum M. Aurelio patre imperabat, adhuc juvenis nondum ætatis annum XVIII emensus; unde in nummis tunc percussis imberbis visitur. Rursus si ejus numismatis Epochā reponeretur Θ Ν Ρ, anno CLIX, cum A. V. Romæ 950 ac imperio Septimii Severi concurreret. Ex his palam fit, in Droniano Commodi nummo sculptum fuisse Θ Μ Ρ, anno CXLIX, qui cum A. V. 940, vel proximo 941, copulatur, cum Commodus prolixa barbā nutriendi, seniore penes illam tantum principem simularet. Ita Epochā Germaniciæ imperante Cajo Cesare uno aut altero anno possumus pro libito promovere.

DIS-

DISSERTATIO TERTIA, DE EPOCHIS VRBIVM SYRIÆ.

CAPVT I.

Provinciarum Syria divisio. Syria in Superiorem ac Cœlem distincta. Syria Cœle ab Antiocho Magno occupata, cum antea Ptolemaeis paruisset. Ejusdem termini varii assignati. Syria Antiochena posteriori ætate intra Cœlem Syriam statuta.



Syria cis Euphratem a Geographis quatuor in partes divisa est. Nam superior, qua Ciliciæ ac Cappadociæ adhærebat, Commagene dicta fuit, cujus nominis originem tradit Procopius lib. 1 de bello Persico. Altera ejusdem Syriæ regio eo ipso speciali Syriæ nomine nuncupata, a Septemtrione Cilicia claudebatur: ad meridiem Phœnicia, supra quam etiam a tergo excurrens, Arabia Petraea ac Palæstina terminabatur. Phœnice ac Palæstina Syriacæ provinciæ suo inferius loco mihi describentur; in præsentia enim de epochis Urbium Syriæ specialiter dictæ disputationem instituo. Hæc autem Syria in duas rursus partes dividebatur, nempe in superiorem, & Cœlem, sive, ut Latini dicunt, cavam. Diædorus Siculus lib. 19 pag. 715 meminit *Συρίας τῆς ἀνω καὶ κατωμένης* Syriæ Superioris nuncupata; & statim nominat *Κοίλην Συρίαν* Cœlem seu cavam Syriam. Ita etiam loquitur libro 20, pagina 721, & pagina 758 scribit Antigonus novæ de suo nomine urbis in superiore Syria ad Orontem, fundamenta posuisse. Syria vero Cœle in sacris etiam literis nominatur. Nam in lib. 2 Maccab. cap. 3 legitur Apollonius dux *Cælesyriæ & Phœnicis*; & paulo post: *per Cælesyriam & Phœnicem civitates*. Ejusdem Syriæ Cœles alter dux Ptolemæus cap. 8 memoratur. Plinius lib. 5 cap. 23 Cœlem Syriam describens, in eadem recenset Apamiam, Hierapolis, Cyrrhum, Gindara, ac Pagras. Hæc oppida in superiori Syria erant, non autem in cava seu Cœle. Strabo quidem lib. 16. pag. 515 ait: *Nonnulli totam Syriam in Cæle-Syros & Phœnicias*

Partiantur; juxta quorum divisionem etiam Syria superior ad Cœlem pertinebat. Et posterior ætas, ut mox ostendo, universam Syriam in Cœlem, Phœnicem ac Palestinam distribuit. Verum stante regno Seleucidarum, ac sub prioribus etiam Augustis Syria superior a Cœle discernebatur. Polybius lib. 5 narrat, Antiochum Magnum de imperio Syriæ Cœles litem Ptolemæo Philopatori regi Ægypti intendisse, quod Cœles Syriæ possessio ad Syriæ, non autem ad Ægypti reges pertinebat, legatis Ptolemæi ex adverso reponentibus, Ptolemæum Lagi cum Seleuco Nicatoris arma sociasse, *ut Asia quidem universa dominatus Seleuco pararetur; Cœlem vero Syriam ac Phœnicem propriam ut sibi faceret.* Cœle Syria usque ad Antiochum Magnum, Ptolemæorum regni portio fuerat quousque Antiochus Magnus Ptolemæi Philopatoris ducibus ad Panium victis, eandem A. V. Romæ 556 Seleucidarum regno adjecit; ex Livio lib. 33, ac Polybio legat. 72. Cum tamen eam provinciam ac Phœnicem Ptolemæus Epiphanes Philopatoris filius, ab Antiocho repeteret, hic filiam Cleopatram eidem regi Ægypti in matrimonio collocavit A. V. Romæ 562; uti tradit Livius lib. 35, promissa dotis nomine, Cœle Syria cum Phœnice, Judæa, & Samaria, ex Josepho l. 12 c. 3, ac Hieronymo in c. 11 Danielis. Cum enim Antiochus bellum contra Romanos meditaretur, juvenem Ægypti regem & affinitate & tot provinciarum restitutione, amicum sibi facere pertentavit. Verum cum paulo post a Romanis acie victus, ac tota ultra Taurum Asia cedere coactus fuisset, Cœlen Syriam aliasque provincias Ptolemæo regi contra datam fidem tradere recusavit. Hoc palam colligitur ex lib. 2 Maccab. cap. 3, ubi Seleucus Antiochi Magni filius laudatur, ejusque præfectus Apollonius *dux Cælestria & Phœnitis* nominatur, itemque Heliodorus, qui Hierosolymis sacram templi pecuniam in Seleuci regis ærarium deportare conatus est. Quare Seleucus memoratas provincias, ab Antiocho Magno patre sibi relictas, retinuit. Auctor est etiam Polybius Legat. 82, Græcorum legatos ad Antiochum Epiphanem, qui laudato Seleuco fratri in regnum Syriæ successerat, missos, ut pacem illum inter & Ptolemæum Philometorem com-

com-

componerent cum eo, ut Antiochus pactam olim a suo patre nomine dotis regionem, Ægypti regis juri cederet; Antiochum vero prætenſa Alexandrinorum pacta coram legatis inficiatum eſſe, *quibus pactis*, inquit Polybius, *nomine dotis concedebatur Ptolemæo Epiphani Cœle Syria*, quando in uxorem duceret *Cleopatram ejus*, qui jam regnat, nempe Philometoris, matrem. Itaque certum eſt, Cœlen Syriam poſt victoriam Antiochi Magni ad Panium Seleucidis deinceps una cum Phœnice paruiſſe; quamvis utramque reges Ægypti tum ex pactis inter Seleucum, Nicatorem ac Ptolemæum Lagi, tum etiam jure dotali Cleopatraz uxoris Ptolemæi Epiphaniſis, ſæpius fruſtra a regibus Syriaz repeterent, Strabo lib. 16 pag. 520 ait: *Tota itaque regio ultra Seleucidem in Ægyptum & Arabiam recedens, Cœle Syria appellatur; proprie ea quæ Libano deſignitur & Antilibano.* Cum enim Cœle idem ac cava ſit, depreſſam inter utrumque montem Syriaz partem, Cœles Syriaz nomine appellatam cenſuit. Dionyſius Periegetes, qui Auguſto imperante floruit; ut oſtendi in Piſanis Cenotaphiis Diſſert. 2 pag. 193, eam Syriaz regionem Cœlen nuncupat, quam duo montium juga claudunt, *Occidentalis Caſſi & Orientalis Libani*, ubi mons Caſſius non prope Peluſium, ſed alter prope Seleuciam ad mare deſignatur. Verum ut hic Geographus Cœlen Syriam altius retraxit, ita alii anguſtioribus Libani & Antilibani terminis eandem deſinivere. Ptolemæus lib. 5 Geographiaz Cœlen Syriam ab Heliopoli uſque Philadelphiam extendit, in qua urbes duodeviginti recenſet, eaſque inter decem, a quibus Decapolis nomen ſortita eſt. Et ſane Scythopolis, Pella, Gadara, aliaque Decapoleos oppida, a Polybio lib. 5, uti etiam poſtea a Joſepho lib. 13 Antiquit. cap. 21 in Cœle Syria collocantur. Syria autem, quæ laudato Diodoro Siculo *ſuperior* nuncupatur, ab aliis *magna* ſive etiam *major* dicta fuit. Gaſenus lib. 1 de Antidotis cap. 2 ait: *Applicantur namque mihi quedam ex magna Syria; quedam e Palæſtina.* Extat apud Gruſerum Inſcriptio pag. MXCI, 5.

Q. ATRIO. CLONIO
 LEG. AUG. PR. PR
 PROVINCIARUM
 THRACIÆ. CAPPADOCIÆ
 SYRIÆ. MAIORIS
 HISPANIÆ. CITERIORIS
 CLAUDIVS. IVSTVS. 7
 LEG. VII. GEMIN. P. F
 SEVERIANÆ. ALEXANDRINÆ
 PRÆSIDI. ABSTINENTISSIMO

Hoc epigramma positum est post imperium Alexandri Severi, a quo Legio VII *Severiana Alexandrina* cognomina tulit. Hinc autem colligimus id temporis Syriam superiorem uni Legato Proprætore paruisse, cum alii ab eodem distincti Legati Phœniciam ac Palæstinam administrarent. Extat hæc altera Inscriptio pag. 346, 1

Q. AEL. IANVARIO
 PROC. HÆREDITAT
 PROC. CHOSDROE..
 SYRIÆ. COELES &c.

Chosdroëne ab aliis Osrhoëne, vel Osdroëne provincia dicta est, cujus metropolis Edessa fuit, ut in proxima Dissertatione prænotavi. Evagrius lib. 3 cap. 33 laudat Monachos, qui *Cœlen Syriam, quæ jam minor Syria dicitur, accolebant*. Et lib. 4 cap. 39 *majoris ac minoris Syria* meminit. Verum utrobique loquitur juxta postremam Syriæ superioris divisionem, quæ in duas provincias dissecta fuit, quarum una *Prima Syria*: altera vero *Secunda*, seu *Salutaris* dicebatur, ut ex vetustis notitiis Imperii & Ecclesiæ intelligimus. In hac vero distinctione Apamea evasit metropolis Syriæ Secundæ: quæ tamen antiquitus in Syria majori sive superiori, non autem in Cœle censēbatur. Rursus tempore Euagrii urbes Decapoleos ad neutram Syriam spectabant; cum pertinerent ad Secundam Palæstinam, cujus metropolis erat Scythopolis. Ceterum posteriori ævo Syria extra Commagenem in tres provincias primarias dividebatur, nempe in

in Cœlen, Phœnicen, ac Palæstinam. Ulpianus lib. 50 Digest. L. 1 de Censibus ait: *Est & Laodicea colonia in Syria Cœle &c.* quò loco appellari Laodiceam ad mare, cap. 8 §. 2 demonstrabo. Sanctus Epiphanius ad Hæresim LXXIII Semiarianorum, nominat Georgium Episcopum *Λαοδικείας τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν Δάφνης, ἥγουν κοίλης Συρίας*: *Laodicea prope Antiochiam ad Daphnem, sive Cæles Syria.* Eunapio in Libanio, hujus Sophistæ patria dicitur Antiochia *τῆς κοίλης μαλακμένης Συρίας πρώτη πόλεων, prima urbium Syria quam cavam vocant.* Socrates lib. 6 cap. 3 scribit S. Joannem Chrysostomum natum Antiochiæ *τῆς κοίλης Συρίας Cæles Syria.* Denique S. Hieronymus in cap. 47. Ezechielis eandem Antiochiam laudans, ait: *que nunc in Syria Cæle nobilissima est.* Hinc Synodus Antiochena Arianorum anno Christi 341 coacta dicitur *ἐξ ἐπαρχίας Συρίας Κοίλης, Φοινίκης, Παλαιστίνης, Αραβίας &c. ex provinciis Syria Cæles, Phœnices, Palæstina, Arabia, &c.* Ita Syria prout a Phœnice ac Palæstina distincta, unius Cæles seu cave nomine universa designatur. Idem patet ex subscriptionibus ibidem ac in aliis Synodi C. P. imperante magno Theodosio, ubi sub titulo: *Provincia Syria Cæles*, statim recitantur Episcopi *Meletius Antiochenus, Pelagius Laodicensis &c.* In hac tamen Dissertatione Syriam superiorem a Cœle distinguam, quod tum a Seleucidis Syriæ regibus, tum a Polybio, Livio, Ptolemæo, ac Josepho factum ostendi. Itaque varias urbium superioris Syriæ Epochas explanabo, ac deinde ad alias oppidorum Syriæ Cœles explicandas descendam.

CAP V T II.

Antiochia Syria metropolis auspicio condita a Seleuco. Jupiter unde Bottiaus nuncupatus. Ager urbi proximus cur Apollini sacrat. Macedones ac Greci coloni in novam urbem deducti. Annus ac menses Macedonici ibidem servati. Menses eorundem una cum Romanis pari dierum numero in anno Solari decurrebant. Opposita Samuelis Petiti opinio confutatur. Euagrii testimonia producuntur, & illustrantur.

An-

Antiochia urbium Orientis maxima, Seleucidarum Regum sedes, ac postea sub imperio Romanorum totius Syriæ metropolis, a Seleuco Rege cognomento Nicatore condita fuit, anno primo Olympiadis CXX, Urbis Romæ 454, ante Æram Christi 300, die 22 Artemisii, Sole exoriente, teste Joanne Malela Antiocheno apud Usserium tom. 2 Annal. pag. 461. Quod vero vetustarum urbium primordia fabulosa vel fabulis proximiora sunt, idem Malela, ac diu ante hunc Libanius & ipse civis Antiochenus, hæc de origine ejusdem prodidere. Narrant Seleucum de maxima in Syria urbe condenda consilium agitantem, Jovis oraculum, facto sacrificio, consuluisse, ac aquilam partem victimæ ex altari raptam, ad aram Jovi Bottiæ ab Alexandro Magno extractam, detulisse: Seleucum vero eo auspicio monitum novam urbem ad eandem aram prope Orontem, decimo quinto a mari milliario extruxisse, ubi etiam templum Jovi Bottiæ dicavit. Usserius ex Malela Jovem *Bottium* appellat, quem eruditus amicus meus modo *Boltziaum*, modo *Botziaum* vocat. At recte a Libanio in Antiochico idem dicitur Jupiter *Botticus*. Erat Bottiæ regio Macedonia Diodoro Siculo lib. 12 ac Thucydidi libro 2 extremo memorata, cui in descriptione Macedonia *Bottia* & populi *Bottiaei* *Bottici* appellantur; & inferius laudat *Bottia*, καὶ Περία *Bottiam* ac *Periam*. Polybio lib. 5 pag. 436 *Bottia* appellatur. Herodotus lib. 7 scribit Axium flumen Mygdoniam a Bottiæide dirimere: *cujus*, inquit, *terra Bottiæidis arcum ad mare locum obtinent urbes Ichne & Pella*. Cum vero Alexander Pellæ natus fuisset, Jovi Bottiæ a loco patrio, ubi in Macedonia colebatur, nuncupato, aram prope Orontem sacravit. Pausanias in Atticis recitat prodigium, quod contigit Seleuco, *cum ex Macedonia cum Alexandro profecturus, Pella Jovi sacrificaret*. Porro Seleucus novæ urbi ab Antiocho patre nomen imposuit; quamvis alii de Antiochi Seleuci filii nomine Antiochiam nuncupatam existiment. Justinus lib. 15 de Seleuco scribit: *Occupato regno Orientis, urbem condidit; ibique gemina originis memoriam consecravit. Nam & urbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocavit, & campos vicinos urbi Apollini dedicavit*. Ma-
ter

ter enim Seleuci Laodice, ut ibidem Justinus narrat, Antiocho claro inter Philippi regis duces viro nupta, jactabat se per somnium ex Apolline filium Seleucum concepisse. Hinc somniato patri Seleucus quinto ab urbe milliario amplissimum lucum dicavit; unde *Antiochia ad Daphnem*, urbs vulgo appellata, ut ab aliis ejusdem nominis oppidis discerneretur. Extat in Museo Mediceo Antiochi Epiphani nummus in postica inscriptus: ANTIOXΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΔΑΦΝΗΝ: *Antiochenstum ad Daphnem*. Nummi typum vulgavit Joannes Vaillantius pag. 198 Historiæ Regum Syriæ. Harduinus pag. 50 laudati alias voluminis, putat in antica caput Apollinis sculptum. At Apollo radiatum quidem caput, sed non pariter diadematum habet in nummis Rhodiorum aliarumque urbium. In eo autem numismate caput diademate sive regali fascia unaque simul radiis præcinctum visitur; cujusmodi etiam alium parvum nummum ejusdem Antiochi vidi in eodem Museo Mediceo. Josephus lib. 12 cap. 7 recitat literas Samaritarum eidem Regi hoc titulo inscriptas: ΒΑΣΙΔΕΙ ΑΝΤΙΟΧΩ ΘΕΩ ΕΠΙΦΑΝΕΙ: : *Regi Antiocho Deo Epiphani*. Ita diadema regem, radii veluti Deum Antiochum exhibent. Plinius in panegyrico: *Horum unum si præstitisset alius, illi jamdudum radiatum caput, & media inter Deos sedes auro scaret aut ebo-re, augustioribusque aris & grandioribus victimis invocaretur*. Syri Antiocho Epiphani adulantes, eundem Deum appellarunt, ut ex nummis intelligitur inscriptis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ: *Regis Antiochi Dei Illustis*; quos nummos producit Vaillantius ibidem. Plinio lib. 5 cap. 21 laudatur *Antiochia libera Epidaphnes cognominata*; & Tacitus lib. 2 ait decretum Germanico *sepulchrum Antiochia, ubi crematus: tribunal Epidaphne, quo in loco vitam finierat*.

f. Seleucus solo æquata Antigonia, quam Antigonus, dum Syriam tenebat, paullo ante condiderat, ex eadem quinque mille ac trecentos Macedonas ac Græcos in novam urbem Antiochiam transtulit. Josephus lib. 12 cap. 3 ait, eundem Seleucum Hebræos quoque in conditis abs se urbibus, variis exemptionibus ornasse: *in ipsa denique, inquit, metropoli Antiochia jus civi-*

*antis eis dedit; voluitque pari ibi cum Macedonibus ac Graecis conditio-
 ne degere, quo jure nunc quoque inter eos homines vivunt. Itaque
 cum Antiochiam primi incoluerint Macedones, in eorundem
 jus atque mores delapsi Syri, anni Macedonici, hujusque men-
 sium nomina ibidem servarunt. Julianus in Misogopone An-
 tiochenos aculeato stylo proscindens, ait: Decimo fere mense,
 at vos numeratis, (is opinor Lous a vobis dicitur) patrium festum est
 hujus Dei, & magno studio ad Daphnen concurritur. Theodoretus
 lib. 3 cap. 13 ait: Septem dies festum Daphne agi solet. Menses An-
 tiochenorum in anno Solari æquali dierum numero cum Roma-
 nis decurrebant. Nam S. Epiphanius ad Hæresin LI Alogorum
 recitat baptismum Christi: *Ante VI Iduum Novembrium juxta
 Romanos: juxta Græcos Dii octava &c.* Et rursus ait Christum
 natum: *Ante diem VII Iduum Januarii juxta Romanos: juxta
 Egyptios Tybi XI: juxta Syros sive Græcos Audynai sexta.* Itaque
 Dies cum Novembri æquatus, erat dierum triginta; Apellæus par
 Decembri, dierum XXXI, ut sexta Audynai cum sexta Januarii die
 jungeretur. Theophilus Patriarcha Alexandrinus, ut advertit
 Usserius cap. 1, tradit in prologo Cycli Paschalis; Æquinoctium
 vernum contingere *vigesimo primo Martii: juxta Syros, Antioche-
 nos, & Macedonas, Dystri XXI.* Id passim occurrit in Euagrio, qui
 in historia Ecclesiastica menses Antiochenorum pari dierum nu-
 mero semper cum Romanis exhibet. At Samuel Petitus lib. 4
 Eclog. Chronol. cap. 21 disputans de anno Solari Antiocheno-
 rum, contendit eundem initum a neomenia Hyperberetæi, quam
 sexto diei Octobris affixam contendit. Addit menses omnes
 Antiochenorum fuisse tricenarios, quibus in exitu anni dies quin-
 que Epagomenarum adjicit, ut Solaris illorum annus ex diebus
 365 integretur. Hujus vero opinionis primum fundamentum su-
 mit ex canone XX Synodi Antiochenæ, in qua una & altera Syno-
 dus per singulos annos celebrandæ indicuntur. Priorem cogi ju-
 bent tertia hebdomade post Pascha: *τὴν δὲ δευτέραν σύνοδον γίνε-
 σθαι εἰς τὴν Οκτωβρίαις, ἥτις ἐστὶ δεκάτη ὑπερβερεταίς: alteram vero
 Synodum feri Idibus Octobris, quæ dies est decima Hyperberetæi.* Hæc
 Antiochiæ sancita sunt anno Christi 341. Si decima dies Hyper-
 beretæi*

beretæi jungitur cum XV, seu Idibus Octobris, cœpit Hyperberetæus die VI Octobris. Fateor eadem verba Græca legi in Cedreni commentariis. Verum mendum subesse probant diversæ veterum interpretationes. Nam Dionysius Exiguus, qui floruit anno Christi D, ita eum canonem Latine reddit: *Secunda vero Synodus fiat Idibus Octobris, id est, decimo quinto die mensis Octobris, quem Hyperberetæon Græci nominant.* Isidorus Mercator ita vertit: *Secundo autem Concilium fieri Idibus Octobris, qui dies apud Græcos Hyperberetæi mensis decimus quintus invenitur.* Quare legerant πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ *quinta ac decima*; ita ut vox πέμπτῃ perperam omissa fuerit a posterioribus librariis. In canone 36 eorum qui Apostolici dicuntur, & ex variis post Apostolos Conciliis collecti sunt, prior Synodus jubetur fieri quarta hebdomade ante Pentecosten; altera vero ὑπερβερεταίου δωδεκάτῃ, *Hyperberetæi duodecima.* Hic vero canon e Synodo Antiochena illuc deportatus fuit, variato tamen numero diei. Beda in lib. de ratione Temp. cap. 12 ait: *Canones qui dicuntur Apostolorum, idem antiquioribus literis edocuere, ubi duodecimus dies mensis ὑπερβερεταίου IV Iduum Octobris esse memoratur.* Ita in vetusto interprete legerat duodecimam Hyperberetæi esse duodecimam Octobris, ac proinde utrumque mensem eadem die inchoari. Itaque nihil ex laudato canone Petito conficitur.

Rursus idem Scriptor ait Euagrium lib. 4 cap. 9 scribere, Justinianum ab avunculo Justino imperii insignia accepisse τῇ πρώτῃ τῆς Ξανθικῆς, ἥ γουν Ἀπριλλίῳ μηνός: *die prima Xanthici, id est, mensis Aprilis.* Tum notat Theophanem Justiniani inaugurationem recitare *quarto die mensis Aprilis, ejusdem quinta Indictionis, festo Paschatis.* Quare si prima Xanthici apud Euagrium, est quarta dies Aprilis Juliani apud Theophanem, Antiocheni quorum menses Euagrius appellat, eosdem suos menses neutiquam cum Romanorum mensibus incipiebant. Jam vero a die VI Octobris ad tertiam diem Aprilis colliguntur dies 180, qui per triginta divisi, dant sex integros menses pure tricenarios Antiochenorum, ita ut neomenia Xanthici cadat in diem IV Aprilis. Hosce tamen Petiti calculos erroris convincit ipsemet, de quo

loquitur, Justinianus Imperator, qui in Novella XLVII hæc ait: *Nunc quidem annum undecimum nostri scribunt imperii; inchoante vero Aprilimense, & PRIMA DIE, in qua nos Deus Romanorum superposuit rebus, duodecimum annum scribent.* Ita quam diem Euagrius vocat *primam Xanthici*, Justinianus *primam Aprilis* nuncupat. Profecto nemo melius novit natalem imperii Justiniani, quam idemmet qui illud accepit. Præterea Procopius Scriptor synchronus pag. 45 Historiæ arcanæ edit. Alamanni, ait Justinianum creatum fuisse Imperatorem tertio ante festum Paschatis die; nempe feria V majoris hebdomadæ, quæ quidem feria eo anno Christi 527 fuit Kal. Aprilis; dies vero Resurrectionis Dominicæ contigit die IV Aprilis, Cyclo Lunæ XV, Solis IV, lit. C. Videsis notas laudati Alamanni. Erratum ergo est in Chronico Theophanis, in quo Justinianus die IV Aprilis dicitur creatus Imperator, uti & in Annalibus Cedreni, in quibus idem narratur contigisse die XIV Aprilis festo Paschatis. Non possum autem non mirari Petitem ex Euagrio eum Antiocheni anni typum deduxisse, cum Euagrius menses Antiochenorum pari dierum numero cum mensibus Romanorum passim appellet. Uno & altero testimonio id locupletissime demonstrabo. Etenim lib. 4 cap. 9 tradit, Justinum Imperatorem diem postremum obiisse ἀνὰ τὴν πρώτην ἡμέραν τῷ Λῳ, τῷ καὶ Αυγύστῳ μηνός: *die prima Loi, seu Augusti mensis.* Auctor vero Chronici Alexandrini ait eundem vita defunctum μηνὶ Λῳ, κατὰ Ῥωμαίους Αυγύστῳ πρώτη, ἡμέρᾳ κυριακῇ, ὥσαν γ', τῆς παρώσης ε' ἐπιμεμήτους: *mense Loo, juxta Romanos Kalendis Augusti die Dominica, boratertia, presentis V Indictionis.* Petitus in diagrammate anni Antiochenorum pag. 326 tricesimam diem Panemi cum prima Augusti Romanorum componit. At Euagrius & Auctor laudati Chronici neomeniam Loi cum Kalendis Augusti copulant. Et quidem anno Christi 527 ex laudato Cyclo Solis IV, lit. C, dies prima Augusti fuit Dominica, labente Quinta Indictione. Præterea idem Euagrius lib. 4 narrans gesta sub Justino Imperatore, cap. 5 recenset terræ motum, quo urbs Antiochia concussa fuit, quem ait contigisse ἐν τῷ ζ' ἔτει τῆς αὐτῆ βασιλείας, μηνὶ δεκάτῳ, ἀτὰρ τὸν

τὸν Ἀρτεμίσιον μῆνα, ἦτοι Μάιον, ἐνάτη καὶ κ' αὐτῇ ἡμέρᾳ κατ' αὐτὸ τῆς μεσημβρίας τὸ σταθερώτατον τῆς ἑκτῆς ἡμέρας τῆς καλεμένης ἐβδομάδος: nempe: anno septimo imperii ejusdem, mense decimo, mense Artemisio, videlicet Majo, nona ac vigesima die ejusdem, ipso meridie, sexta die, uti vocant, hebdomadis. Baronius in Annalibus hunc terræ motum recenset anno Christi 525, ita Evagrii verba exscribens: Anno septimo regni ejusdem Justinī, Artemisio videlicet, idest Majo 65c. Ubi verba illa mense decimo omittuntur, ac proinde uno anno prius terræ motus recitatur. Valesius in notis ait Euagrium errasse, cum non septimus, sed octavus imperii Justinī annus tunc numeraretur; quod & ipse olim scripsi Dissert. de Synod. V cap. 3. Justinus imperium accepit die X Julii, ut ex libro de vita S. Sabæ postea ostendam, anno Christi 518, ac proinde anno 526, mense Artemisio sive Majo, numerabatur annus imperii ejusdem septimus, ac mensis decimus, quem mensem complevit die 9 ejusdem Artemisii. Itaque Evagrius recte numerat mensem decimum exactum, ultra plenos septem annos imperii. Rectius tamen dixisset, anno septimo, mense undecimo, qui die 29 Artemisii labebatur. Porro Evagrius scribit, diem vigesimam nonam Artemisii anno Christi 526 fuisse sextam diem hebdomadis, sive feriam VI. Eo autem anno 526, Cyclo Solis III, lit. D, dies XXIX Maji Romanorum fuit feria VI sive dies Veneris. Itaque Euagrius menses Antiochenorum eodem dierum numero cum Romanis decurantes producit. In diagrammate Petiri dies XXIX Artemisii Antiochenorum componitur cum Kalendis Junii Romanorum, quæ eo anno Christi 526 inciderunt in feriam II, sive diem Lunæ.

CAP V T. III.

Antiocheni a Pompejo Syriam obtinente, autonomiam dato precio, impetrant. Maxima illorum erga Demetrium Gadarensē Pompejī libertum obsequia. Quanti fieret apud Græcos autonomia. Eadem in nummis Antiochenorum obsignata. Imago aurea Victoria in templo Jovis apud Antiochiam. Asylum ibidem ex sa-


cris literis illustratum. Hebraei novam a parta autonomia Agram instituunt.

Antiocheni, uti & ceteri Syromacedones, Epocha Seleucidarum, quæ ab initio regni Seleuci Nicatoris desumebatur, in annis numerandis usi sunt, quousque in Romanorum potestatem venerunt. Nam priori illa antiquata, tres alias subinde invexerunt, quarum una & altera ex nummis tantum Antiochiæ sculptis intelliguntur; tertia vero Julio Africano, Eusebio, Euagrio aliisque vetustis Scriptoribus memoratur, quam & plura passim Antiochenorum numismata exhibent. Prior inducta fuit, cum a Pompejo Magno Antiochia Romano imperio adjecta, autonomiam ab eodem accepit. Alteram postea substituerunt, cum a Julio Cæsare Dictatore eandem autonomiam iterum amplioribus privilegiis auctam impetrarunt. Tertia denique ab anno primo Imperii Cæsaris Augusti, post victum apud Actium M. Antonium, initium habuit. Quamvis autem Epocha tantum Cæsariana Antiochenorum ab Historicis laudetur, de utraque alia paucis differendum est, ut nummi, in quibus sculptæ sunt, intelligantur.

Pompejus Mithridate ac Tigrane superatis, ex Armenia in Cappadociam descendens, eodem victoriæ impetu Romanorum primus A.V. 690, C. Cæsare ac L. Figulo Coss. & iterum anno insequenti, cum legionibus Syriam ingressus, eandem imposito tributo, Romano imperio adjecit. Nam cum Antiochus Asiaticus, Antiochi Pii regis Syriæ filius, avitum a Pompejo regnum posceret, a quo a Tigrane rege Armeniæ pulsus fuerat, respondit Pompejus: *Ne volenti quidem Syria, nedum recusanti daturum se regem, qui decem & octo annos in angulo Cilicia latuerit; victo autem Tigrane a Romanis, alieni operis præmia ipsum postulare; non daturum quod tueri nesciat; ne rursus Syriam Judæorum & Arabum latrociniis infestam redderet.* Quæ apud Justinum verba sunt lib. 40. Eutropius vero lib. 6 de Pompejo scribens: *Cum venisset, inquit, in Syriam, Seleuciam, vicinam Antiochia civitatem, libertate donavit, eo quod regem Tigranem non recepisset. Antiochenis obsides reddidit: aliquantum agrorum Daphnensibus dedit, dele-*

lectatus amoenitate loci & aquarum abundantia. Extant in Gaza Medicea nummi argentei atque ærei regis Tigranis, in quorum postica visitur mulier turrata monticulos insidens, dextera palmam præferens, cum figura fluminis ex undis emergente, cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΙΓΡΑΝΟΥ: *Regis Tigranis.* Illi vero Antiochiæ scalpti sunt, cum Tigrani parebat; illis enim figuris alii passim Antiochenis nummi obsignati sunt, quorum aliquos mox exhibebo. Et quidem initio Pompejus, quod illorum fidem suspectam habebat, obsides eisdem imperavit, quos non modo paulo post eorundem erga Romanam Rempublicam studio satis probe cognito reddidit; verum etiam autonomiam eisdem, præcio accepto, concessit. Porphyrius in collectione Scaligeri pag. 227 de Pompejo scribit: *ὁ δὲ λαβὼν παρ' ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ χρηματά, τῇ μὲν ἐνέφροντισεν, αὐτόνομοι δὲ τὴν πόλιν εἶσε:* *Ille vero ab Antiochenis accipiens pecunias, eas haud equidem curabat, urbem suis legibus uti permisit.* Ita Antiocheni, Demetrio Gadarensi Pompeji liberto ingenti prius pecunia sibi conciliato, autonomiam ab ejusdem patrono impetraverant, Plutarchus in Catone Uticensi narrat eundem per Asiam peregrinantem, in Syriam descendisse. Ille autem pedes, comitibus equitantibus, Antiochiam versus iter instituit, *cupidus absente Pompejo, eam urbem studiose diligenterque inspicere.* Cum vero prope urbem advenisset, ac pro porta hinc adultos viros, illinc vero pueros longo ordine dispositos cerneret, ratus honoris & officii causa, eam sibi pompam decretam, jussit comites ex equis descendere: ac Stoicus ille tanto, ut putabat, honore exceptus, fere turgebat; cum vir provectioris ætatis, virgam ac coronam manibus tenens, Catonem ne quidem salutatum, interrogavit; ubinam Demetrium reliquissent, quandoque esset adfuturus? Tum Cato, sociis in risum effusis, respondit: *Ο μισηρὰν τὴν πόλιν!* *Hæc postea Antiochenis exprobravit Julianus à postata in Misopogone.* Verum illi tanto honore Demetrium colebant, quod eodem conciliatore apud Pompejum gratiam iniverant. Ille natione Syrus, ac Romæ olim servus in catasta emptus, ut ait Plinius lib. 35 cap. 18, tantum pecuniæ postea corrasit, ut spatiosa sub-

suburbana, pulcherrima diversoria, ac amplam Romæ domum habuerit, cum Pompejus ante tertium triumphum modicam in urbe ædes inhabitaret. Uti vero Syria omnium provinciarum ditissima erat, ita maximam vim auri idem Demetrius a suis provincialibus obtinuit, ut eisdem a Pompejo autonomiam impetraret. Cum Cicero in Ciliciam Proconsul advenisset, quo urbium benevolentiam sibi conciliaret, eisdem autonomiam concessit. Hæc epist. 1 lib. 6 ad Atticum scribit: *Multaque sum secutus Scævola: in iis illud, in quo libertatem censent Græci datam, ut Græci inter se suis disceptent legibus.* Et epistola sequenti ait: *Ita multa civitates omni aere alieno liberata, multa valde levata sunt: omnes suis legibus & judiciis usæ, autonomiarum adeptæ, revixerunt.* Hinc factum est, ut urbes autonomiam consecutæ, non modo eandem in lapidum ac nummorum inscriptionibus jactarent; verum etiam quod eis obtentæ, se se, ut ait Cicero, *revixisse* arbitrabantur, novam ac acceptam autonomiam Epocham instituerent. Equidem urbes Syriæ Antiochia, Seleucia, Laodicea, Gaddara, Gaza, aliæque autonomiam a Pompejo empta, aut donata, quam hactenus adhibuerant, Æra Seleucidarum antiquata, novam epocham ab anno obtentæ autonomiæ invexerunt, ut de singulis hoc in opere ostendam. Euagrius lib. 2 cap. 12 scribit Antiochiam, Trajano imperante, horrendo terræ motu vastatam anno quingentesimo sexto urbis Antiochiæ τῆς ἀυτονομίας, nempe factæ urbi potestatis suis legibus vivendi, quæ Græci una ἀυτονομίας voce designant. Extat in ditissimis CHRISTINÆ Reginarum Maximæ Cimeliis Antiochenorum nummus, cujus ectypum ab eadem Augusta impetravi. In hoc autem numismate, ut & in altero quod e Medicea Gaza produco, autonomiam Antiochenorum obsignatur.



In

In antica parte regii nummi caput turrutum urbis Antiochiæ visitur; in postica vero cum tripode, epigraphe Latine redditur: *Antiochensium* videlicet urbis, *metropoleos*, *suis legibus utentis*. Tripus erat mensa in templo Apollinis, cui superimpositæ Phœbades vaticinia emittebant. Illo vero Symbolo, uti etiam lyra & lauro Antiocheni suum erga Apollinem Daphniticum cultum in nummis indicabant. Addit precium nummo Epocha in ejusdem area literis E K expressa, quibus annus Antiochenorum ab confirmata a Julio Cæsare ipsorum autonomia, *vicesimus quintus*, designatur; qui quidem annus, ut postea ostendo, cœpit ab Octobri A. V. 729, quo anno labente, cusus fuit ille nummus. At si illis notis annus XXV Æræ Augustanæ, quam alteri postea Antiocheni superinduxerunt, exprimitur, iniit idem annus ab Octobri A. V. 747, ut proxime mihi explicabitur. In priori parte nummi Medicei visitur caput laureatum Jovis Philii, cujus insigne apud Antiochiam templum laudat Julianus Imperator in Misopogone. In averfa parte idem Juppiter visitur victoriolam dextra præferens, cum Inscriptione Latine reddita: *Antiochensium metropoleos*, *ac suis legibus utentis*. Huic quoque in inferiori parte annus Epochæ Antiochenorum additus fuerat, cujus detricto ibidem nummo, vestigia supersunt, ex quibus tamen nullas certas notas possumus, nisi divinando, expiscari. Vidi in scriniis D. Apollonii Bassetti MAGNO ETRVLÆ DVCI a secretis, viri veterum quorumcumque monumentorum studiosissimi, nummum Mediceo persimile, cum epigraphe: ANTIOXEON THΣ MH-TPOΠOΛEΩΣ IEPACTAOT KAI ATTONOM..... *Antiochensium metropoleos*, *sacra*, *Asyli*, & *suis legibus utentis*. Et sub sede Jovis Δ litera annum quartum Epochæ ejusdem urbis ibidem exprimit. In Alexandri Magni nummis Juppiter sedens, dextra victoriolam, sinistra sceptrum oblongum stringens, passim occurrit; quo sane modo in nummis etiam Seleuci Nicatoris sculptus fuit. Hic enim cum post mortem Alexandri, partis tota fere Asia victoriis, maximam illius partem occupasset, apud Antiochiam abs se conditam, apud aras Jovi Bottiæo ab Alexandro sacratas, insigne eidem Jovi templum extruxit, in quo aureum quoque

Victoriæ signum dicavit, a qua idem *Nicatoris* cognomen accepit. Justinus lib. 39 de Alexandro Balæ filio Syriæ rege ait: *Antiochiam profugit, ac deficientibus militum stipendiis, in templo Jovis solidum ex auro Victoriæ signum tolli jubet, facietis joci sacrilegium circumscribens. Nam Victoriæ sibi a Jove commendatam esse dicebat.* Addit Justinus eundem paucis postea diebus ab

Antiochenis facto tumultu, urbe pulsum, cum ipsius Jovis aureum simulacrum infiniti ponderis evelli jussisset. Clemens Alexandrinus in Protreptico, sive exhortatione ad Græcos, scribit: *Antiochus autem Cyzicenus, cum egeret pecuniis, Jovis auream statuam, quæ erat magnitudinis XV cubitorum, fundi jussit, & ex alia viliori materia illi similem laminis inauratam, rursus reponi.* Gentianus Herveus in notis ad laudatum volumen insigniter cespitat, scribens: *Antiochi Cyziceni qui ullam fecerit mentionem, neminem adhuc legi.* Justinus enim, Appianus, Porphyrius, Josephus, Eusebius, alique Antiochi Cyziceni Syriæ regis gesta describunt. Illum Cleopatra ex rege Antiocho Sidete susceptum, quod eidem puero a Demetrio patruo, qui post Sidetem Syriæ regnum occupaverat, metuebat, Cyzicum amandavit; ubi diutius educatus, *Cyziceni* cognomen tulit, uti narrant Justinus lib. 39. Josephus lib. 13 cap. 17, cum aliis. Uti vero Jovis ac Apollinis templa apud Antiochiam erant ceteris antiquiora, ita eadem junctim laudat Libanius in Antiochico, celebrans inter insigniora illius urbis ædificia *Apollinis templum, Jovis fanum, stadium Olympicum.* Utrumque autem templum extra urbem situm erat. Nam idem in Monodia deplorans incendium templi Apollinis apud Daphnem Antiochiæ suburbium, ait: *Ingentem quoque lætæm excitavit Juppiter, qui non procul inde confidet.* Cujus tamen nānias irridet S. Joannes Chrysostomus in lib. contra Gentiles, quasi Juppiter ardenti templo Apollinis inutiles tantum lacrymas dare, nullam vero de proximo opem ferre potuerit; cum tamen, inquit Chrysostomus, Sophista memoratus Jovem *imbrium habenas tenentem* appellet.

In hocce tertio nummo Antiochiæ ΙΕΡΑΣΤΑΟΥ legitur, ita ut postrema syllaba prioris vocis, insequentis etiam primam com-

componat, nempe: *ΙΕΡΑΣ ΑΣΤΑΟΥ*: *Sacra, Aſyli*, ſive ut Latini loquuntur, *inviolata*, qui tituli ſeu privilegia in aliarum etiam urbium nummis occurrunt. Joannes Malela Antiochenus lib. 9 operis inediti, quod ſervatur in Bibliotheca Oxoniens, recitat edictum Cæſaris Dictatoris, cujus hocce eſt initium: *Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μητροπόλει ἱερᾶ, καὶ ἀσύλῳ, καὶ αὐτονομίᾳ, καὶ ἀρχαίᾳ, καὶ προκαθήμενῇ τῆς Ἀνατολῆς, Γαῖῳ Ἰούλιῳ Καίſαρι &c.* *In urbe Antiochia metropoli, ſacra, & inviolata, & ſuis legibus utente, & prima ac principe Orientis, Caius Julius Cæſar &c.* Qui tituli honorum, exceptis duobus poſtremis, in laudato nummo ſcalpti leguntur. Aſyli Antiochiæ apud Daphnem meminit Strabo lib. 16, cujus etiam mentio habetur in lib. 2 Maccabæorum cap. 4; ubi dicitur Menelaus, qui ſummum pontificatum apud Hebræos Oniæ ablatum invaſerat, aurea quædam ſacri templi vaſa furtim ſurrepta, donaffe Andronico Antiochi Epiphanis regis Syriæ miniſtro: *Quod*, inquit ſacer textus, *cum certiffimo cognoviſſet Onias, arguebat eum, ipſe in loco tuto ſe continens Antiochia ſecus Daphnem.* Andronicus vero, cum Onia ſuaſiſſet de aſylo procedere, ſtatim eum peremit. Laodice etiam uxor Antiochi, quem *Deum* Syri poſt Mileſios nuncuparunt, marito prius veneno extincto, æmulam alteram ejusdem uxorem Berenicem necandam juffit, quæ, ut ait Juſtinus lib. 27, *Daphne ſe clauſit*, ut loci religione ſervaretur; juſ enim aſyli, quod ſacroſanctum habebatur, quocunq; qui eo ſe recipere, tutos reddebat. Illa autem numeralis nota Δ in eodem nummo ſcalpta, annum quartum ab accepta autonomia deſignat. Quod vero Antiocheni aliam poſtea Epocham Cæſarianam poſt tria ſtatim luſtra invexerunt; ubi in nummis eorundem anni uſq; ad decimum quintum obſignati ſunt, incertum manet, num prior Epochæ Pompejana vel huic paulo poſt ſubſtituta Cæſariana indicetur; ac pro arbitrio poſſunt iidem anni ad utram referri. Hinc patet error Petiti, qui lib. 4 Eclog. Chronol. cap. 16 pag. 292 de Antiochenis ait: *Libertatem & autonomiam illis conceſſit Cæſar, quia Romanorum vivebant legibus*; ſiquidem jam ante annos quindecim, cum primum in Romanorum poteſtatem venerunt, autonomiam a Pompejo redemerant, ſuiſq;

legibus, non autem Romanis vivebant; quamvis postea etiam Cæsar idem privilegium eisdem ratum habuerit. Cum vero constet alias Syriæ urbes ab accepta ab eodem Pompejo autonomia, novam Epocham invexisse, id ipsum Antiocheni fecisse dicendi sunt; licet ob duas postea Æras ab eisdemrinductas, ex nummis haud certo colligi possit, cujusnam Epochæ anni in iisdem, ut jam præmonui, designentur. Cum Demetrius II Nicator Syriæ rex, tributo remisso, ac præsidiis ex Judæa revocatis, Hebræis libertatem concessisset, scribit Auctor lib. I Maccabæorum cap. XIII, 42: *Anno CLXX, nempe Epochæ Seleucidarum, ablatum est jugum Gentium ab Israel; & cæpit populus Israel scribere in tabulis & gestis publicis, anno primo sub Simone summo Sacerdote.* Verum hanc novam Æram initio saltem, cum veteri Seleucidarum servabant; unde cap. XIV, 27 legitur: *Octava decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio sub Simone Sacerdote magno &c.* At Antiocheni alique Syri, ubi primum novam sub Romanis Epocham instituerunt, veterem illam regni Seleucidarum antiquarunt.

CAPVT IV.

Diversa Scriptorum sententia de anno a quo primum Epochæ Casariana Antiochenorum numeretur. Ex duobus rarissimis Nummis eadem deducta offenditur ab autumno A.V. Roma DCCV. Idem Eusebii, Chronici Alexandrini, & Evagrii testimoniis evincitur, ac interpres laudati Chronici emendatur. Dies natalis imperii Anastasii. Non tantum Syromacedones, verum etiam plerique Græcorum histori majores in numerando numeros minoribus sæpe postponebant. Idem initium Æra laudata ex MSS. Chronicis Joannis Malele Antiochensis demonstratur. Dies obitus Leonis junioris ejusque patris Zenonis statuuntur. Julius Africanus corrigitur. Nummi e MEDICEIS Cimeliis Antiochenorum Epochæ obsignati producuntur. Item aliquorumdam Syriæ Præsidium eadem Æra notati. Insigne numisma C. Cassii Longini exponitur, ac vulgati Fasti Consulares emendantur. Nummus C. Ummidii Quadrati. Ejusdem familia ac varii illius magistratus

tus ex insigni Inscriptione monstrantur, ac Taciti & Plinii junioris textus emendantur.

Quamvis Antiocheni ab anno obtentæ a Pompejo autonomiæ, novam Epocham instituissent, victo postea eodem a Julio Cæsare, quo victori adularentur, alteram Æram invexere, ita ut priorem Pompejanam, posteriorem vero Cæsarianam jure appellare possimus. Hæc altera per plura postea sæcula apud Antiochenos in usu fuit, ut ex Eusebio, Anonymo scriptore Chronici Alexandrini, ac Evagrio Epiphaniensi intelligimus. In laudato Chronico ad annum primum Olympiadis CLXXXIII hæc leguntur: *Ante diem IV Idus Majas, Indictionis prima. Et proposita est in urbe magna Antiocchia libertas ipsius, quando Romanis subjecta est, die vicesimo mensis Artemisii ab eodem Julio Cæsare missa. Et appellatus est idem Julius Cæsar Dictator apud Antiochiam die tertio ac vicesimo mensis Artemisii.* Itaque nominatur in ipsius bonorem magna Antiocchie annus primus; itidemque quindecennalis Cycli annus primus. Et statim hæc ibidem adduntur: *Anno primo C. Julii Cæsaris die XII mensis Artemisii ab Antiochenis sua tempora numerantur. Et indictiones numerari cæperunt a primo die mensis Gorpii.* Harduinus pag. 49 laudans recitatum testimonium, notat edictum de Antiochenorum libertate & autonomia missum fuisse Alexandria a Julio Cæsare, ubi Dictaturam inierat. Hinc pag. 50 scribit: *Fuit hic annus Urbis DCCVII primus post pugnam Pharsalicam, ante Christum XLVII, idemque initium Antiochenorum Æræ.* Eusebius in Chronico ait: *Pompejus prælio victus, & fugiens, a spadonibus Alexandrini regis occiditur. Ab hoc tempore Antiocheni sua tempora numerant.* At Pompejus labente ætate A. V. Romæ 706 victus fuit in Pharsalia, idemque in Ægyptum fugiens, pridie diem Natalis sui, qui fuit 30 Septembris ex Plinio lib. 37 cap. 2, occisus est. Hinc Langius lib. 1 de annis Christi cap. 8 pag. 102 tradit Æram Antiochenam cœpisse A. V. 706, Julio Cæsare II & P. Servilio Vacia Isaurico Coss. anno Per. Julianæ 4666. Scaliger in assignando initio hujus Æræ Antiochenorum dubius est & inconstans. Nam in lib. 3 can. Isagogic. pag. 295 scribit: *Itaque primus annus Juliana editio-*

nis erat quartus Antiochenorum, vel potius tertius currens ab Octobri antecedenti. Annus primus Julianus cœpit Kal. Januariis A. V. 709 a parilibus. Quare si tunc currebat annus tertius Antiochenorum, Epochæ eorundem iniit ab Octobri A. V. 706. Idem vero in fine ejusdem voluminis annum Christi 1604, Nonis Augusti, vocat Antiochenorum MDCLVI, Per. Julianæ 6317. Ubi in priori numero non Auctori, sed Typographo erratum fuisse puto. Nam juxta illum computum Epochæ Antiochenorum initium habuisset anno Per. Julianæ 4661, urbis Romæ 701; siquidem anno Per. Jul. 4661 additis annis Antiochenorum 1656 resultat annus Per. Jul. 6317, qui apud Scaligerum cum anno memorato 1656 copulatur. Idem tamen in notis Eusebianis num. 1969 ait: *In autumno anni Christi 1604 cœpit annus Antiochenorum MDCLIII a Kalendis Octobris.* Atqui annus Christi 1604 est Periodi Julianæ 6317. Deme huic numero annos Antiochenorum 1652 pridie Kal. Octobris exactos, habebis annum primum Antiochenorum incuntem Kal. Octobris anno Per. Julianæ 4665, urbis Romæ 705. Quæ fuit sententia Usserii ac Petavii de initio Æræ Antiochenorum. Christmannus de connexionè annorum pag. 356, & Hervartus cap. 211 novæ Chronologiæ annos Antiochenorum una cum Julianis cœpisse putant, nempe A. V. Romæ 709.

Duo hic dubia de laudata Epochâ dissolvenda occurrunt. In primis a quonam anno eadem initium habuerit: deinde quænam illius instituendæ causa præcesserit, quæve prima illius origo extiterit; hoc enim alterum satis obscurum est. At initium Æræ Antiochenæ citra dubium statuendum est in autumno A. V. Romæ 705, Per. Julianæ 4665, ante Epocham Christianorum 49, Cyclo Solis XVII, Lunæ X, Cajo Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Coss. labente anno IV Olympiadis CLXXXII. Hoc quod hætenus nemo præstitit, ex ipsius Antiochiæ nummis ostendo; hi enim incorrupti antiquitatis testes ullo sine errore ad nostram usque ætatem pervenerunt, ac bono Chronologiæ fato, pleraque majoribus nostris ignota, posteris noscenda, in bono lumine collocarunt.



Nummus cujus integrum typum exhibeo, servatur in cimeliis Regis Christianissimi, eoque in antica parte detrita inscriptione Imperator Galba praefertur, addita in altera parte epigrapha: ΕΠΙ ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤΟΥΣ ΖΙΡ. id est, *Sub Muciano. Antiochensium. Anno CXVII.* Publius Licinius Mucianus, defuncto in provincia Syriae Cestio Gallo, in eandem a Nerone Legatus Augusti propraetor missus fuit, Vespasiano eodem tempore ad bellum Judaicum destinato, qui, ut inquit Tacitus lib. 2 Histor. *vicinis provinciarum administrationibus invidia discordes, exitu demum Neronis positus odiis, in medium consulvere.* Idem l. 1 Hist. describens statum imperii Romani sub initium principatus Galbae, ait: *Oriens adhuc immotus. Syriam & quatuor legiones obtinebat Licinius Mucianus, vir secundis adversisque juxta famosus;* ubi pluribus hominem describit. Hic Vespasianum senium ac pericula reputantem, ad occupandum imperium hortatus est; quod ubi praestitit, ait idem Tacitus lib. 2: *Haud dubia destinatione discessere: Mucianus Antiochiam, Vespasianus Caesaream. Illa Syria, hac Judaea caput est.* Porro in laudato nummo Galbae imperantis imagine obsignato, sub Muciano Propraetore Syriae, notatur annus Epochae Antiochenorum CXVII. Galba occisus fuit die 5 Januarii anno Urbis Romae 821 usque ad parilia decurren-
 Per. Julianae 4782, Aerae Christi 69. Epochae Antiochenorum coepit ab autumno A.V. 705, Per. Julianae 4665. Adde annos exactos CXVI, eris ad autumnum A.V. 821, Per. Julianae 4781, Galba imperante, ac Muciano Syriae Legato. Itaque laudatus num-
 mus

mus cum anno CXVII sculptus fuit ab autumnno ejus A. V. 821, ad diem 15 Januarii Galbæ emortualem, vel illum quo nuntius necis Galbæ Antiochiam delatus fuit. Hinc patet errasse Langium ac Harduinum Æram Antiochenam ab A. V. 706 vel 707 auspicantes; nam annus illius CXVII ultra tempus imperii ac vitæ Galbæ excurreret, ut faciles calculos subducenti constabit.

Alterum numisma, cujus posticam partem delineatam posui, abs se emptum, mihi ostendit Joannes Vaillantius, cum anno 1685 Florentiam, insignia quæque Italiæ Cimelia lustraturus, advenit. In eo visitur laureata imago Tiberii cum epigraphæ: ΤΙΒΕΡΙΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΣ, *Tiberius Augustus*; averfa nummi parte intra lauream inscripta: ΕΝΙ ΦΛΑΚΚΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤΕΒΗ. *Sub Flacco. Antiochensium. Anno LXXXII. L. Pomponius Flaccus Syriæ præses eo in numismate exprimitur. Is gesserat consulatum A. V. 770. Pomponio Græcino fratri semestri consuli suffecto successor datus, quorum fratrum magistratus laudat Ovidius lib. 4 de Ponto eleg. nona. Suetonius cap. 42 in Tiberio scribit: Postea princeps in ipsa publicorum morum correctione, cum Pomponio Flacco & L. Pisone noctem continuumque biduum epulando, potandoque, consumpsit: quorum alteri Syriam provinciam: alteri præfecturam urbis confestim detulit. Flaccum Syriam obtinuisse A. V. 775, ostendi in Dissert. 2 de Cenotaphiis Pisanis cap. 16 pag. 329. Josephus lib. 18 Antiq. cap. 8 narrat Agrippam Flacci Syriæ præsidis familiarem fuisse: a cuius tamen amicitia cum Aristobuli delationibus excidisset, cogente egestate, in Italiam ad Imperatorem Tiberium navigans, ubi Puteolos apulit, scripsit, inquit, ad Tiberium Casarem degentem Capreis, in quam sese insulam idem abdiderat A. V. 780 ex lib. 4 Annal. Taciti, qui lib. 6 describens gesta A. V. 786, Sulpicio Galba & Cornelio Sulla Coss. ait: Exin Flacco Pomponio Syria proproatore defuncto, recitantur Caesaris litera, quæ incusabat egregium quemque & regendis exercitibus idoneum, abnuere id munus. Ita Flaccus in magistratu obiit in Syria A. V. 786. In nummo cognomine ejusdem Syriæ præsidis obsignato, legitur sculptus annus Antiochenorum*

rum LXXXII. Jam vero si ab autumno A. V. Romæ 705 numerentur exacti anni 81, horum postremus exiit per autumnum A. V. 786, eundem excipiente anno Antiochenorum LXXXII in nummo obsignato, cujus priori parte labente, Flaccus in Syria obiit ante exitum autumnus, quo idem nummus percussus fuit; cum Tiberius ante finem anni Juliani, illius obitum intellexerit. Itaque bina hæc præclara numismata controversiæ de initio Epochæ Antiochenorum finem jam tandem imponunt.

Eusebius in Chronico semel & iterum Epocham Antiochenam appellat. Nam ad annos imperii Probi ait: *Anno secundo Probi, juxta Antiochenos trecentessimus vicesimus quintus annus fuit, &c.* ubi aliarum etiam quarundam Urbium annos recitat. Annus secundus imperii Probi fuit urbis Romæ Varronianus 1030, Æræ Christi 277, Per. Jul. 4990, ac primus Olympiadis CCLXIV a Solstitio æstivo eodem anno initus, ut ostendi Dissert. 2. cap. 3 §. 1. At si ab autumno A. V. 705 numeres annos Antiochenorum 325, horum ultimus terminatur per autumnum A. V. 1030, qui erat secundus principatus Imperatoris Probi, uti recte Eusebius numeravit. Idem inferius tradit persecutionem Christianorum omnium sævissimam contigisse *anno imperii Diocletiani decimo nono, mense Martio; secundum Antiochenos anno trecentesimo quinquagesimo primo.* At constat ex Lactantio Scriptore synchrono ac id temporis degente in Bithynia, ubi & Diocletianus morabatur, cap. 12 de mortibus persecutorum, memoratam persecutionem edicto decretam *die VII Kal. Martii; agentibus consulum senibus ambobus octavum & septimum.* Diocletianus & Maximianus senes appellati, quod una simul imperabant juniores Cæsares Constantius ac Galerius, in Fastis optime dispositis, Consules VIII & VII signantur A. V. 1056, Christi 303, quo anno usque ad diem 20 Novembris decurrebat annus XIX imperii Diocletiani. Hoc vero anno Christi 303 persecutionem illam inchoatam locupletissimis & plane invictis testimoniis contra Baronium ac Petavium demonstrarunt viri summæ eruditionis, Valesius in notis ad cap. 2 l. 8 Eusebianæ Historiæ, ac Stephanus Balusius itidem in notis ad laudatum Lactantium. Quare.

inita Epocha Antiochenorum ab autumno A. V. 705 annus illiusmet Epochæ 351, Eusebio memoratus, labebatur mense Martio A. V. 1056 a parilibus, Christi 303 ac imperii Diocletiani undevicesimo. Interim ex annis Antiochenorum emendantur anachronismi insignium Scriptorum Baronii ac Panvinii. Ille enim annum primum Epochæ Christi jungit cum A. V. 752, Augusto XIII & Plautio Sylvano Coss. Panvinus vero annum primum Epochæ laudatæ ait fuisse V. C. 753, Coss. Cornelio Lentulo & Calpurnio Pisone Coss. Uterque vero anno Christi 303 ponit Consules Diocletianum VIII & Maximianum VII, quem annum Panvinus in Chronico Ecclesiastico statuit V. C. 1055. In annalibus Ecclesiasticis duo anni omittuntur; unius vero in Panvinii Chronico fit iactura, ut jam eruditi observarunt. Ex Epochâ Antiochenorum utriusque Scriptoris error intelligitur. Anno Urbis 752 a parilibus Kalendis Januariis decurrebat annus Antiochenorum XLVII, usque ad autumnum, qui juxta Baronium erat primus Epochæ Christi. Quare annus Christi 303 usque ad autumnum fuisset Antiochenorum 349; qui tamen Eusebio dicitur & recte CCCLI. Ita iactura duorum annorum in magnis Annalibus innotescit. Panvinus in Chronico Ecclesiastico Diocletianum VIII & Maximianum VII Consules assignat A. V. 1055, Christi 303, ubi ait: *Nona & sevrissima in Christianos persecutio.* Epochâ Antiochenorum cœpit ab autumno A. V. 705. Quare annus ejusdem 351, quo persecutio Christianorum indicta fuit, concurret usque ad autumnum cum A. V. 1056. Panvinus ordinarium consulatum Probi Augusti & M. Aurelii Paulini inter suffectos rejiciens, unius anni Urbis iacturam fecit, ut fusius ostendi superius Dissert. 2. cap. 3, ubi de Epochâ Edessenorum disputatum est. Joseph Ægyptius, cujus scriptum Arabice volumen ex Bibliotheca Oxoniensi laudat Seldenus in comment. ad Eutychii Origines, scribit Synodum Nicænam celebratam fuisse *anno sexcentesimo trigesimo sexto Aera Alexandri, qui fuit A. trecentessimus septuagesimus tertius Aera Antiochena, nono die mensis Hazeran.* Hic mensis apud Syros, ut ex Vlugh Begho Astronomo cap. 6 ostendam, est nonus a Tisri priori, ac cum Romanorum

Ju-

Junio concurrat. In Synodo Calchedonenſi Act. 2 Symbolo Nicæno hæc præſcribuntur: *Conſulatu Paulini & Juliani virorum Clarifſimorum, anno poſt Alexandrum D C XXXVI. menſis ſecundum Græcos Daſii die decima nona, quod eſt XIII Kal. Julias, in Nicæa metropoli Bitbynia &c.* Conſules Paulinus ac Julianus ſignant in Faſtis annum Chriſti 325, V. C. 1078. Anni poſt Alexandrum ſunt ipſamet Æra Seleucidarum, quæ cœpit ab autumno A. V. 442. Adde his annos Seleucidarum 636, habebis uſque ad autumnum, annum urbis Romæ 1078, Chriſti 325. Rurſus ſi anno Urbis 705 addas annos Antiochenorum 373, habebis menſe Junio eundem annum Romæ 1078. Itaque Antiochenorum Epochâ iniiit ab autumno A. V. 705.

Verum unus præ ceteris nobis audiendus eſt Evagrius Epiphaniæ ad Orontem in Syria natus, quive diutius Antiochiæ vixit, ubi alteram quoque uxorem duxit, cui comites addam Anonymum ſcriptorem Chronici vulgo Alexandrini ac Joannem Malèlam Antiochenum. Evagrius lib. 4 capite 1 narrat Juſtinum creatum fuiſſe Imperatorem *nono die menſis Panemii, qui Julius a Romanis vocatur, anno urbis Antiochia quingentefimo ſexageſimo ſexto.* Auctor vero Chronici laudati ait id contigiſſe: *Sub conſulatu Magni, menſe Panemo, id eſt, Julio, die nono, Indictione XI, Antiochenorum Syria ἐτὲς ٥٤ϕ anno quingentefimo ſexageſimo ſexto.* Extat inter epiſtolas Hormisdæ Papæ poſt XXVI epiſtola Juſtini Auguſti, qua eidem Hormisdæ ſignificat ſe ſenatus ac exercitus decreto ad imperium evectum, & ſignatur: *Data Kalendis Auguſti C. P. Magno V. C. Conſule.* Illic conſulatus ac Indictio XI notant annum Chriſti 518, V. C. 1271, quo die 9 Julii Juſtinus imperium accepit. At ſi ab autumno A. V. 705 numeres annos Antiochenorum 566, devenies ad autumnum A. V. 1271, Chriſtiænæ Epochæ 518. Rurſus idem Euagrius eodem lib. 4 cap. 9 ſcribit Juſtinianum in conſortium imperii ab avunculo Juſtino adſumptum, *primo die menſis Xanthici, id eſt, Aprilis, anno quingentefimo ſeptuagēſimo quinto urbis Antiochia.* Scriptor Chronici Alexandrini ait Juſtinianum collegam imperii electum *menſe Xanthico, juxta Romanos Aprilis, die prima, Indictione*

V, τῶν εἰς ἑξῆς Ἀντιοχείας Συρίας: anno quingentesimo septuagesimo quinto Antiochie Syria. Indictio V est index anni Christi 527, urbis Romæ 1280, quo anno die prima Aprilis Justinianum Imperatorem designatum constat ex Novella 47 ejusdem Principis, ac ex Procopio in arcana Historia, uti superiori cap. 2 contra Peritum demonstravi. Quod si ab autumno A. V. 705 colligas annos insuper Antiochenorum 575, horum postremus exiit per autumnum A. V. 1280, Christi 527, quo labente, die prima Aprilis Justinianus purpuram induit.

Idem Auctor Chronici Alexandrini scribit, Pulcheriam Augustam obiisse *Vincomalo & Opilione Coss. mense Peritio, die XII Kal. Martii, media hebdomade jejuniorum, anno Syromacedonum DCCLXIII, Antiochenorum quingentesimo primo.* Illud collegium Consulum est titulus anni Christi 453, urbis Romæ 1206, Periodi Julianæ 5166. Eo anno Pascha contigit die 12 Aprilis Cyclo Solis XIV, Lunæ XVII, lit. D; uti, qui tum superstes erat, in canone Paschali Victorius Aquitanus adnotavit. Itaque eodem anno Dominica Sexagesimæ fuit dies XV Februarii, quæ Græcis dicitur Dominica *Apocrei*, id est, *carnis privii*; quia feria sequenti proxima a carnibus abstinentes, jejunium inchoant, uti exposui in Disser. de Synodo V cap. 3. Ita feria IV seu die Mercurii, nempe media hebdomade jejuniorum, XII Kal. Martias Pulcheria Augusta Imperatoris Theodosii soror ac Marciani Augusti uxor, mortalem cum cœlesti vita commutavit. Ille vero annus dicitur fuisse Antiochenorum 501. Si vero A. V. Romæ 705, Per. Julianæ 4665 addas annos Antiochenorum 501, habebis annum V. C. a parilibus 1206, Christi 453, Per. Julianæ 5166, quo Pulcheria die Mercurii, decimo octavo Februarii, mortem obiit. In Græcis tamen Menologiis ac in Martyrologio Romano dies anniversaria Divæ Pulcheriæ Augustæ IV Idus Septembris celebratur. In laudato Chronico obitus Constantii Imperatoris recitatur Taurro & Florentio Coss. *Mense Dio, die tertio: ἑξῆς Ἀντιοχείας υἱ', anno Antiochie 410, Indictione V.* Illi Consules prænotantur anno Christi 361, V. C. 1114, quo mense Dio Syromacedonum, id est, Novembri Romanorum, decurrebat Indictio V a Septembri inchoa-

choata. Enimvero ab autumno anni V. Romæ 705 numerati anni Antiochenorum 409 exiere sub autumnum A. V. 1114, ineunte anno novo eorundem 410, quo jam labente, mense Novembri, Constantius obiit.

In eodem tamen Chronico in designando anno accepti ab Anastasio imperii error sive Auctori sive potius librario admixtus, ab interprete alio rursus auctus fuit. Nam dicitur ibidem Anastasius *Olybrius Ariobindi filio Consule coronatus mense Xanthico, seu Aprili, die quinto hebdomadis majoris, Indiotione XIV, ἔτος χρηματίζοντ' κατὰ Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην ζλ' καὶ Φ': anno nuncupationis magna Antiochia septimo ac trigesimo supra quingentesimum.* Antonius Pagy vir profundæ eruditionis mihi quæ summa benevolentia conjunctus part. 2 Dissert. Hypaticæ cap. ult. pag. 295 scribit erronee ibi quintum diem Aprilis hebdomadis majoris obtrudi; Nam, inquit, *ea feria hoc anno in decimum octavum Aprilis diem incidit.* Verum non Auctori, sed interpreti Latino error adscribendus est; siquidem Græce legitur: *σεφθεὶς μὴν Ἐανθικῶ τῷ Ἀπριλλίῳ τῇ ε' τῆς μεγάλης ἑβδομάδ' Ἰνδιότιω-ντος δ' ἔτος χρηματίζοντ' κατὰ Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην ζλ' καὶ Φ',* id est: *coronatus mense Xanthico sive Aprili, die quinta magna hebdomadis, Indiotione XIV, anno magna Antiochia septimo ac trigesimo supra quingentesimum.* Olybrii solius consulatus & Indiotion IV mense Aprili decurrens, sunt notæ anni Christi 491, quo Paschalis dies Dominica fuit XIV Aprilis, Cyclo Solis XXIV, Lunæ XVII, lit. F. Quare Anastasius coronatus fuit Imperator non quinta die Aprilis, sed quinta die majoris hebdomadis, nempe undecima Aprilis, non decima octava, uti Amicus noster putabat, cui cum hoc ipsum per literas significaverim, in suis, quas modo typis excudit, doctissimis in magnos Ecclesiæ Annales animadversionibus, recte Natalem imperii Anastasii designabit. Marcellinus Comes in Chronico tradit Anastasium imperasse annos XXVII, menses duos, ac dies vigintinovem. Cyrillus Scythopolitanus in libro de vita S. Sabæ, quem integrum doctissimus Cotelerius tom. 3 suarum Collectionum evulgavit, cap. 60 scribit Sabam *circa Solstitium æstivum Indiotionis XI* in urbem Ai-

lam ad Eliam Patriarcham Hierosolymitanum ibidem exulantem perrexisse, quo cum quotidie amice Sabas versaretur, *congit, ut Elias nona mensis Julii die pro solito non exiret*; qui tandem egressus circa sextam horam noctis, *dixit &c. hac hora migravit e vita Anastasius Imperator*; Quem cum diem Sabas notasset, reversus Hierosolymam, *agnovit nocte decima diei Julii mensis*, Imperatorem Anastasium fulmine absumptum. Jam vero si a nona diei Julii Indictionis XI, nempe anni Christi 518, quam diem vitæ postremam Anastasius habuit, retro numerentur anni XXVII, menses duo, ac dies 29; deveniemus ad annum Christi 491 ac diem XI Aprilis, quæ eo anno fuit feria V majoris hebdomadis, eademque Natalis imperii Anastasii.

Error tamen in numerum annorum Epochæ Antiochenæ, in eodem Chronico Alexandrino irrepsit. Annus Christi 491 non fuit Antiochenorum ζλ' καὶ φ', DXXXVII, sed θλ' καὶ φ', quingentesimus tricesimus nonus. Nam si Pulcheria Augusta dicitur in eodem Chronico obiisse mense Februario Vincomalo & Opilione Coss. Indictione VI, nempe A. Christi 453, Antiochenorum 501, adde 38, habebis annum Christi 491, Antiochenorum vero 539 ac Indictionem XIV mense Aprili, quo Anastasius imperium obtinuit. In notis eidem Chronico Alexandrino insertis recte observatur legendum esse φ λ θ'; sed perperam additur: *Ita φ λ θ' numera; nam hic annus Antiochenus a primo Juliano, qui cœpit 45 ante primum annum Christi. Adde bis annos Christi 494, colliges 539.* At Æra Antiochena tribus annis ac totidem circiter mensibus annum primum Julianum præcedit; hic enim cœpit Kal. Januariis A.V. Romæ 709. Neque Anastasius factus est Imperator anno Christi 494, ut Scholiastes perperam scribit, repugnantibus characteribus Consulatus Olybrii, Indictionis XIV ac diei feriæ V majoris hebdomadis.

In eodem Chronico, ubi annus obtenti ab eodem Anastasio imperii dicitur fuisse Antiochenorum ζλφ', nempe: *annus septimus tricesimus quingentesimus*, in margine additur; *an more Antiocheno & Hebraico?* Cum vero in nummis, quos Urbium Epochis obsignatos passim hoc in opere exhibeo, minores nume-

ri sæpe majoribus anteponantur, hac occasione quædam hoc de scribendi more obiter adnotabo. Sanctus Hieronymus in cap. 9 Danielis de vario numerandi modo apud Latinos & Hebræos scribit: *Nos juxta proprietatem lingua nostra nunc dicimus: Abraham vixit annis centum septuaginta quinque; illi e contrario loquuntur: vixit Abraham annis quinque & septuaginta & centum.* Hinc viri eruditi putaverunt in nummis Syriæ minores numeros majoribus præponi, quod Syri cum Hebræis in numeris designandis conveniebant. Verum Græci etiam Scriptores eodem modo non semel numeros exprefferunt. Dio Cassius Nicææ in Bithynia ortus, lib. 52 scribit: *annis ab urbe condita πέντε τε καὶ ἑκοσι καὶ ἐπικακοῖσις, quinque & viginti & septingentis.* Arrianus lib. 7 scribit Alexandrum magnum obiisse *τῇ τετάρτῃ καὶ δεκάτῃ καὶ ἑκατοστῇ ὀλυμπιάδι: quarta & decima & centesima Olympiade.* Dionysius Halicarnassensis in præfatione scribit se venisse in Italiam belliscivilibus ab Augusto profligatis, *εβδόμῃς καὶ ὄγδοῃς καὶ ἑκατοστῇ ὀλυμπιάδι μεσότης: circa medium Olympiadis septima & octogesima, & centesima.* Quo ordine ibidem iterum ac tertio annos numerat, uti etiam passim in libris insequentibus. Hippas apud Platonem in dialogo de suo nomine inscripto, ait se in Sicilia lucratum fuisse *πενήκοντα καὶ ἑκατὸν μνᾶς, quinquaginta & centum minas.* Hæc indicasse satis; cum apud alios scriptores Græcos numeri ut apud Latinos exprimantur, ut palam sit illos alterutro modo pro arbitrio usos fuisse. Hoc apud Syros quoque usitatum produnt, exhibendi mihi inferius nummi Paneados in Phœnice, Sebastes ac Neapoleos in Samaria, ac Chalcidis in Cœle Syria; in illis enim majores numeri minoribus præponuntur. In Cilicia Syriæ proxima provincia ex nummis Anazarbi ac Ægarum, quos Dissert. IV cap. I produco, colligimus minores pariter numeros ante majores positos fuisse. Sed hætenus de his.

In libris Chronicorum Joannis Malelæ Antiocheni, qui manu scripti servantur Oxonii in Anglia, sæpius anni Æræ Antiochenorum appellantur. Hic vero scriptor ad imperium usque Justiniani Chronicon perducit. Quædam tantum hic testimonia proferam. Scribit Malela novam urbem Constantinopolim

lim dedicatam fuisse *anno urbis Antiochia CCCLXXVIII, die XI Artemisii sive Maji*. Natalitia regiae illius Urbis Idacius in Fastis, Chronicon Alexandrinum, ac Marcellinus Comes recitant Gallicano & Symmacho Consulibus, V Idus Maji. Cedrenus ait contigisse *die XI Maji, feria II, Indictione tertia*. Consules, indictio, ac feria secunda incidens V Idus Maji, sunt insignes characteres A. V. Romæ 1083, Christi 330, Cyclo Solis III, lit. D. Jam vero ab autumno A. V. 705 numeratis annis Antiochenorum 378, horum postremus labebatur anno Urbis Romæ 1083, Christi 330 mense Majo, quo Constantinopolis Natalitia primum peracta sunt. Idem Malela narrat Julianum Apostatam occisum fuisse, *anno urbis Antiochia CCCCXI, die 26 Dasi sive Junii*. Ille annus 411 mense Junio concurrebat cum A. V. Romæ 1116, quo die 26 memorata, impius Imperator in Perside, ultore Numine, interit; nempe anno Christi 363, eodem Juliano Aug. IV & Sallustio Coss. Panvinus in Chronico Ecclesiastico & alibi necem Juliani recenset A. V. Romæ 1115; siquidem ob expunctum A. V. 1030 Probi Augusti & M. Aurelii Paulini ordinarium consulatum, deinceps in enumerandis annis ab urbe Roma condita, uno semper anno deficit. Viri ad stuporem eruditissimi error ex annis Æræ Antiochenæ intelligitur, quem aliis etiam argumentis alibi demonstravi. Præterea laudatus Malela brevissimum imperium pueri Leonis junioris hisce chronologicis characteribus indicans, ait: καὶ προῆλθεν ὑπαὶ τοῦ θεοτάτου Λέων ὁ μικρὸς, ἔτης κατὰ Ἀντιόχειαν Φ κ β', Ἰνδικιῶν δωδεκάτης, καὶ τῷ ἐνδεκάτῳ μηνὶ τῆς αὐτῆς ὑπαλείας ἡρρώσθη, καὶ τελευτᾷ ὁ θεοτάτου Λέων ὁ μικρὸς, μηνὶ Νοεμβρίῳ, Ἰνδικιῶν ι γ', ἔτης χρηματίζοντι κατὰ Ἀντιόχειαν Φ κ γ', ὧν ἐνιαυτῶν ζ'. καθὼς συνεγράψατο Νεστοριανὸς ὁ σοφώτατος χρονογράφος, ἕως Λέοντος τοῦ μικροῦ. Cum sacratissimus Leo junior Consul processisset, anno urbis Antiochia quingentesimo vicesimo secundo, Indictione XII, Mense sui consulatus undecimo in morbum incidens, e vivis excessit, mense Novembri, Indictione XIII, anno juxta Antiochenos DXXIII, anno atatis septimo, uti scripsit Nestorianus sapientissimus Chronographus, qui ad Leonem juniorem historias perduxit. Leo junior Augustus Consul sine collega signatur in Fastis


Fastis A. V. 1227, Christi 474, Indictione XII. Porro si ab autumno A. V. Romæ 705, quo cæpit Æra Antiochenorum, colligas annum exactum eorundem DXII, eris ad autumnum A. V. Romæ 1227. Hoc vero anno, mense Septembri, munierari cæpit Indictio XIII, ac ab Octobri jam decurrebat annus Antiochenorum DXIII, quo puer Imperator mense Novembri, sui consûlatus undecimo, decessit. Hoc Nestoriani tum scribentis testimonio cum proximo de anno neois Juliani collato, colligimus Antiochenos per Autumnum annum novum auspiciatos fuisse. Denique idem Malela ait: Δυσεντερία ληφθεὶς ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Ζήνων ἐτελεύτησεν αἰνιατῶν ξ', καὶ μηνῶν θ', μηνὶ Ξανθικῷ θ', ἔτος κατὰ Ἀντισόχριον φλθ', ἰνδίκην θ' δ': videlicet: *Imperator Zeno dysenteria correptus, satis concessit, annos natus LX & menses IX, die IX mensis Xanthici, anno Antiochie DXXXIX, Indictione XIV.* Hic annus Æræ Antiochenæ concurrit cum A. V. Romæ 1244 a parilibus, Christi 491, Indictione XIV, Olybrio juniore solo Consule. Baronius tom. 6 ad A. Christi 491, recitans obitum Zenonis, ait: *Mortuum tradunt hoc anno, sed quo mense ac die, ab antiquis non proditur; a recentiore suo arbitrio ponitur octavo Idus Aprilis.* Ille recentior est Veronensis noster Panvinus in lib. 2 Rom. Principum, & in Chronico Ecclesiastico, qui tamen lib. 3 Fastorum scribit Zenonem VII Idus Aprilis decessisse. Auctor quidem Chronici Alexandrini scribit Zenonem dysenteria extinctum *mensē Xanthico sive Aprilis*; at diem obitus non designat, quem unus nobis Malela prodidit, videlicet nonum Aprilis. Panvinus modo biduo, modo triduo a die emortuali Zenonis aberravit; cum tamen mensē optime statuisset. Zenone mortuo, anno Christi 491, Antiochenorum 539, die nona Xanthici sive Aprilis, feria tertia majoris hebdomadis, Anastasius eidem succedens, biduo post, feria V ejusdem majoris hebdomadis, coronatus fuit, uti superius demonstrabam. Interim Petavii hic mihi error emendandus est, qui lib. 13 doctr. Temp. in Chronico pag. 812 ad annum Christi 491 de Anastasio ad imperium evecto scribit: *Chronicon Alexandrinum feria V majoris hebdomada duntaxat id factum refert: quæ hoc anno incipit in Aprilis XVIII. Nam Pascha contigit Aprilis XXI.*

Errorē viri hīscē in rebus alias versatissimi produnt tabulæ Astronomicæ, juxta quas eo anno Christianæ Epochæ 491 Neomenia Paschalis contigit secundum medium motum Martii die 26, hora 6.3'.58". post mediam noctem; plenilunium vero Paschale fuit Aprilis die 10, hor. 0.26'.0". post mediam noctem. Hinc recte Victorius Aquitanus eodem sæculo ante annos 34 canonem Paschalem describens, Pascha anni Christi 491 signavit die 14 Aprilis, Luna XX. Quo pariter die Dionysius Exiguus ac Beda suis in Cyclis festum Paschale eo anno statuerunt.

Julius Africanus, cujus quinque Chronographiæ libros accuratissime scriptos laudat Eusebius lib. 6 Hist. Eccl. cap. 31, quos etiam magna parte in Chronicon suum retulit, apud Georgium Syncellum pag. 309 edit. Regiæ, hæc scribit: *Olympias agebatur CLXXXIX, qua bissextum diem VII Kal. Martias anno juxta Antiochenorum aram XXIV apte restitutum accepit, cujus beneficio certis ac propriis sibi terminis annus capit consistere.* Hæc aut falso scripta sunt, aut in codicem Africani librorum negligentia error irrepit. Nam Olympias 189 cœpit ab ætate A. V. Romæ 730, Juliano 24, cum jam Cæsar A. V. 708 annum Romæ reformans, bissextum induisset, quem tamen annum bissextilem non exacto, sed ineunte quolibet quadriennio perperam per annos sex ac triginta repetitum, Augustus quo anno mensem Sextilem de suo cognomine nuncupavit, ad singula exacta quadriennia produxit, ex Suetonio in Augusto cap. 31. Ille vero mensem Sextilem novo *Augusti* nomine appellandum permisit, C. Marcio Censorino & C. Asinio Gallo Coss. teste Censorino cap. 22, *anno Augustiano XX*, qui fuit urbis Romæ 746; primus enim annus Augustanus a Kalendis Januariis fuit V. C. 727 a parilibus, quod eo anno C. Julius Cæsar Octavianus *Augusti* cognomen accepit, in suo septimo ac tertio Agrippæ consulatu, ex eodem Censorino cap. 21. Itaque annus nequitiam diem bissextilem vel primitus institutum, vel postea restitutum accepit Olympiade 189, cum primum lege Anali indictus fuerit anno tertio Olympiadis 183, ac recto postea ordine repositus ab Augusto anno urbis Romæ 746, quo iniiit Olympias 193. Sed nec recte ab eodem Africano annus XXIV æ-

æ Antiochenæ copulatur cum Olympiade 189. Nam ab autumno A. V. 705, quo cœpit Epochæ Antiochena, annus hujusce 24. exiit per autumnum A. V. Romæ 719, inito ante tres menses anno quarto Olympiadis 188.

Hactenus clarissimis veterum Scriptorum testimoniis consignatum est initium Epochæ Antiochenorum circa Autumnum anni ab urbe Roma condita DCCV, Periodi Julianæ 4665. Hinc anni in nummis Antiochenorum obsignati facile intelliguntur. In ditissimis Serenissimi MAGNI DVCIS Etruriæ Cimeliis hæc numismata servantur.



Symbola lauri & lyrae cultum apud Daphnem ab Antiochenis Apollinem designant, fabulam describente Ovidio lib. V Metamora. a V. 452, ubi ad Daphnem in laurum versam Apollo

*Arbor eris ceres dixit, mea: semper habebunt
Te coma, te citbata, te nostra, laure, pharetra.*

Philostratus lib. I de vita Apollonii cap. 12 scribit de Antiochenis: *Maxime omnium arborum laurum colunt ob memoriam, ut ajunt, Daphnes*; quod eam dicerent filiam Ladonis fluvii prope Antiochiam, illic natam affequentes. Aufonio vero poetæ laudatur *Phæbae lauri domus Antiochia*. Quod Seleucus auspicio Aquilæ partem victimæ ad aram Jovis Bottizi prope Orontem deferentis, novam ibidem Antiochiæ urbem condidit, ut cap. 2 prænotabam, hinc ara in pluribus Antiochenorum nummis scalpta visitur. Tres illi nummi, Nerone imperante, cusi sunt eadem epigraphe obsignati: ANTIOXENON: *Antiochensium*. Prior cum Epochæ ΔΡ annum signat ejusdem urbis CIV, qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 808. Alter annum præfert HP. CVIII, qui iniit ab autumno

A. V. Romæ 812. Tertius denique designat annum A. P. CXIV, qui ab autumno cum anno ab Roma condita 812 copulatur.

In nummis etiam præsidem Syriæ apud Antiochiam percussis, laudata ejusdem Urbis Epocha sæpius occurrit. Exat in Gemellis Regis Christianissimi itemque in Museo Maurocello Venero hocce numisma.



Antica Inscriptio Latina est: *Imperator Tiberius Claudius Augustus Germanicus*. At postica Græca est: ΕΠΙ ΠΕΤΡΩΝΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. q. *Sub Petronio. Antiochensum. Anno XC*. Litera numeralis q, cujus linea tantum oblonga in regio nummo apparet, in Mauroceno integra visitur, ut mihi per literas significavit Nicolaus Bon I. V. C. ac in nummaria eruditione summa cum laude versatus. Annus XC Antiochenorum cœpit per Autumnum A. V. Romæ 794, qui fuit primus imperii Imperatoris *Tiberii Claudii Augusti Germanici*, qui in priori parte nummi obsignatur. Josephus lib. 18. Antiq. a cap. 11, ac Philo in lib. de legatione ad Cajum, plura de eodem Petronio Syriæ præside scribunt, quo etiam Syriam tenente, Cajus Cæsar occisus fuit. Exant apud Josephum lib. 19 cap. 16 P. Petronii literæ ad Dorienses cum titulo: *Publius Petronius Legatus Tiberii Claudii Cæsaris &c.* Baronii errorem, qui tres diversos Petronios in unum illum Legatum Syriæ confundit Anno Christi XLI num. 21, emendavi in Dissert. 2 de Cenotaphiis Pisani pag. 331. Idem Josephus ibidem ait: *Petronio Marfus in administranda provincia Syria successit, altero anno imperii Claudii, V. C. 795*. Cum vero Vibius Marfus cum Agrippa Judæorum rege inimicitias exerceret, Claudius Cæsar non semel per literas a rege rogatus fuit, ut alterum in Syriam

riam praefidem mitteret. Josephus initio lib. 20 scribit: *Defuncto rege Agrippa, Claudius Caesar misit successorem Marso Cassium Longinum, memoria regis amici hoc tribuens, a quo adhuc vivo per litteras sapius rogatus fuerat, ut Marsum ab administranda Syria amoveret.* Agrippa ~~ita~~ decessit, teste Josepho, anno quarto imperii Claudii, qui fuit urbis Romae 797, quo anno Cassius Longinus praeses in Syriam pervenit. Laudatus mihi proxime Apollonius Bassettus in nitidissimo Museo, quod plurimis inscriptis antiquitatis marmoreis tabulis, signis, numismatibus, aliisque id genus vetustioris aetatis monumentis copiose & ac eleganter instruxit, Cassii Longini nummum & rarum & insignem possidet: cuius hic typum exhibeo.



In priori parte nummi eadem omnino Inscriptio legitur, ut in superiori nummo Petronii: *TM. TI. CLAUDIVS AVG. GER.* Alterius vero partis epigraphie Graeca legitur: *ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤΩ Ϟ*: *Sub Cassio. Antiochenſium. Anno XCVI.* Nummum eximie insignit nota numeralis, qua sextus numerus designatur; est enim similis Latinae literae majori R, sed jacenti seu supinae. Graeci saepius ad senarium numerum grandiori nota designandum, majori Latinorum S litera utebantur, uti variis exemplis in hac ipsa Dissertatione cap. 9 §. 1 exponam. At Antiocheni majori Romanorum litera R jacente: tum in hoc nummo, tum etiam in altero Quinctilii Vari capite 8 producendo, numerum VI designarunt. Quae sane nota cum in nummis rarissime occurrat, iisdem etiam precium addit. Cassius, qui in delineato nummo

scalptus legitur, est C. Cassius Longinus, celeberrimus Juris consultus, de quo Pomponius *Digest. de orig. juris* scribit: *Hic Consul fuit cum Quartino temporibus Tiberii.* Quod collegium Consulum a magno Panvinio in Fastis ad A. V. 783 ita describitur: *M. Vinicius Quartinus & C. Cassius Longinus Juris consultus.* Panvinii voces ceteri Fastorum Scriptores fideli Echo reddiderunt. Vulgarem tamen errorem emendavi pag. 12 Epistolæ Consularis ad eruditissimum amicum meum Antonium Pagy. Nam Gruteri pag. 1087 recitatur fragmentum Fastorum municipalium una cum quibusdam Romanis Consulibus, quos inter leguntur

L. CASSIVS. LONGINVS. M. VINICIVS. COS
SVF. C. CASSIVS. LONGINVS
L. NAEVIVS. SVRDINVS

Ex hac Inscriptione colligimus C. Cassium Longinum A. V. 783 fuisse Consulem suffectum, non vero ordinarium, ut hætenus in Fastis descriptus est; & insuper ejus collegam perperam in libro Pomponii *Quartinum* nuncupari, qui *Surdinus* dicendus erat. Hinc alter Panvinii ac aliorum error emendatur, qui Vinicio Consuli ordinario *Quartini* cognomen addiderunt. In nummis III virum Monetalium sub Augusto legitur L. NAEVIVS SVRDINVS. Jacobus Sponius sect. 2 Miscell. art. 7 pag. 7 recitat epigramma a Magistris fontium dictum:

L. CASSIO. LONGINO. M. VINICIO. COS

Itaque L. Cassius Longinus A. V. 783 consulatum ordinarium gessit; Cajus vero Cassius Longinus eodem anno consulatu suffecto functus est. De utroque plura adnotavi pag. 332 de Cenotaphiis Pisanis. Josephus lib. 20 laudato, scribit C. Cassium Syriæ præsidem, cum Hierosolyma advenisset, a Judæis rogatum, ut ipsis stolam Pontificiam restitueret; ac re ad Claudium Cæsarem delata, Judæos voti compotes factos, datis ad eosdem literis cum titulo: *Claudius Caesar Germanicus, Tribuniciæ potestatis V, Consul designatus IIII, Imp. X &c.* & signatur epistola: *Dat. IV Kal. Julias, Rufe & Pompejo Silvano Coss.* Imperator Claudius A. V. 798 IV Kal. Julias erat Tribuniciæ potestatis V ac Consul designatus IV, in annum Urbis a parilibus DCCC. In vetustis etiam Inscriptionibus

Gru-

Gruteri pag. CLXXVI, 5. CCXXXVII, 8 & alibi dicitur TRIB, POT. V. COS. DES. III. Ex quibus patet Claudium designatum Consulem IV biennio antequam magistratum iniret. Hinc etiam colligimus C. Cassium fuisse præsidem Syriæ A. V. 798, Agrippa rege anno superiori demortuo. Tacitus lib. XI Ann. ad A. V. 800, Claudio Augusto IV & L. Vitellio Coss. de Bardane rege Parthorum scribit: *Exim validissimas præfecturas invasit, & recipere Armeniam, ni Vibio Marso Syria Legato bellum minitante, tobibitus foret*; ubi eodem anno recitatus ludos Sæculares anno urbis Romæ DCCC a Claudio celebratos. Ex his Usserius putat, Tacitum circa tempus Syriacæ administrationis Vibii Marci a Josepho discrepare, quocum etiam ipse idem opinabar in libro de Cenotaphiis Pisanis; siquidem Josephus Marso in urbem A. V. Romæ 797 revocato, Cassium Longinum Syriæ præsidem memorat. Sedulus veterum nummorum scrutator Joannes Vaillantius, cum Florentiam advenisset, hanc mihi abs se visi numismatis inscriptionem ostendit: ΕΠΙ ΚΑΣΣΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΟΥ: *Sub Cassio. Antiochensum. Anno XCIV.* Epocha Antiochena cœpit ab autumno A. V. Romæ 705. Quare annus ejusdem 94 incipit ab autumno A. V. Romæ 798, quo C. Cassius Longinus præses Syriam, uti Josephus scribit, administrabat. Nec oppositum ex Tacito deducitur; ille enim lib. II scribit Parthos post necem Bardanis, legatos Romanæ misisse A. V. 800. Porro ejus legationis occasione, regreditur ad narranda bella civilia inter Bardanem ejusque fratrem Gotarzem pro occupando regno Parthorum. Ibi tradit Bardanem, fratre in Hyrcaniam secedente, imperium occupasse, qui rerum felicitate elatus, *exim, inquit, validissimas præfecturas invasit, & recipere Armeniam, ni Vibio Marso Syria Legato bellum minitante, tobibitus foret.* At postea recitata victoria Bardanis, ait: *prosperisque præliis medias nationes subegit ad flumen Gindem, quod Dabas Arriosque determinat. Ibi modus rebus secundis positus.* Tum narrat occiso postea Bardane, ac Parthis luxum ac sævitiam Gotarzis, qui regnum occupaverat, pati recusantibus, ab iisdem occultis precibus Imperatorem Claudium rogatum, ut illis Meherdatem Romæ obsidem, regem concede-

cederet. Hac occulta Parthorum legatio missa est memorato anno Urbis 800; cetera vero superioribus annis contigerant, quæ uno historiæ filo ibidem Tacitus recitavit, ut ejusdem legationis causam altius deduceret. Hinc nulla Tacitum inter ac Josephum de annis Syriaci regiminis Marci discrepantia est. In nummo Cassii præsidis mihi superius delineato, signatur annus Antiochenorum XCVI, qui cœpit ab autumno A. V. Romæ DCCC. Idem Tacitus lib. 12 narrans gesta A. V. 802 C. Pompejo, Q. Verannio Coll. scribit de Claudio Metherdatem juvenem ad avitum Parthorum regnum capeßendum dimittente: *Post hac C. Cassio, qui Syria præerat, deducere juvenem ripam ad Euphratis jubet. Ea tempestate Cassius ceteros præminebat peritia legum; nam militares artes per otium ignota, industriosque ac ignavos pax in equo tenet. Attamen quantum sine bello dabatur, revocare priscum morem, exercere legiones, cura, provisu, agere perinde ac si hostis ingrueret. Ita dignum majoribus suis & familia Cassia ratus, per illas quoque gentes celebrata.* Plura de Cassio collegi in Cenotaphiis Pisanis.

In maximis Cimeliis Mediceis servatur nummus Quadrati præsidis Syriæ adeo pulcher ac nitidus, ut nudius tertius ex monetaria officina prodiisse videatur. Ecce illius typum!



In antica parte cum capite turrato urbis Antiochiæ legitur: ANΤΙΟΧΕΩΝ, *Antiochensium*; in postica vero cum ariete ac sidere intra Lunam bicornem, obviis Antiochiæ symbolis: ΕΠΙ ΚΟΡΑΔΡΑΤΟΥ ΕΤΑΡ. *Sub Quadrato. Anno CIV.* qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 808 eodemque secundo imperii Neronis III Idus Octobris. Tacitus lib. 12. Ann. ad A. V. 804, Claudio Cæsare

sare imperante, laudat *T. Vinidium Quadratum praesidem Syriae*, qui tamen Iosepho lib. 20. Antiq. cap. 5 *Numidius Quadratus* nuncupatur. Ita Plinius lib. 6 epist. 11 alium *Numidium Quadratum*, & lib. 7 epist. 24 *Numidium Quadratum* illius aviam recens anno ætatis octogesimo defunctam, commendat. Vir doctissimus Johannes Mabillon, cujus amicitia summo mihi honori est, pag. 126 Itinerarii Italici, insignem Inscriptionem recitat, quæ in celeberrimo Casinate monasterio prope archivum vetustis characteribus lapidi incisa visitur, eaque omnes Quadrati Syriae praesidis magistratus domi forisque gestos exponit. Typographi negligentia, præter alia errata, non modo Quadrati familia perperam effertur, verum etiam integer versus o-mittitur. Nam ibi Quadratus dicitur C. VMNIDIVS

LEG. DIVI. CÆS. AVG. D. F. IN. LYRICO

EIVSDEM. ET. NERONIS CÆSARIS

AVG. IN. SYRIA. PROCOS. AVG. AD. CVR.

Ita ut idem Quadratus Augusti olim in Syria, ac iterum Neronis in eadem provincia Proconsul obtrudatur, cum a morte Augusti ad initium imperii Neronis anni XXXX numerentur, ac nullus sub Cæsaribus Proconsul Syriam rexerit. Porro laudatum epigramma juxta lapideum exemplar a viro erudito diligenter exscriptum (id mei causa curante V. C. Raphaele Fabretto harum rerum studiosissimo) accepi. Nempe:

C. MMIDIO. C. F. TER. DVRMIO.

QVADRATO. COS. XV. VIR. S. F.

LEG. TI. CAESARIS. AVG. PROV. LVSIT

LEG. DIVI. CLAVDI. IN. ILLYRICO. EIVSDEM. ET.

NERONIS. CAESARIS. AVG. IN. SYRIA. PROCOS.

PROVINC. CYPRI. Q. DIVI. AVG. ET. TI. CAESARIS

AUG. AED. CVR. PR. AER. X. VIR. STLIT. IVD. CVRAT

TABVLAR. PVBLICAR. PRAEF. FRVM. DANDI. EX. S. C

Ex hoc insigni monumento prænomen ac familia Quadrati Syriae praesidis, hactenus perperam in editis voluminibus descripta, intelliguntur; siquidem *C. Vmvidius Durmius Quadratus* vocabatur, e Tribu Terentina Durmia gens Romana in nummis occurrit.

Vmmidia vero in pluribus apud Gruterum Inscriptionibus, aliisque ineditis memoratur. Verum in vetustis codicibus non semel recte Vmmidius Quadratus Syriae praeses legitur. Extat in Bibliotheca MSS. Medicea ad D. Laurentii, in pluteo LXVIII, codex Taciti num. 28 literis Longobardicis exaratus, ubi in lib. 14 legitur: *Corbulo in Syriam accessit, morte Vmidii legati vacuam*: quae pariter habentur in altero ibidem codice num. XXVI, uti etiam in pluribus MSS. Vaticanis, videlicet in codice Taciti num. 585 inter Urbinates, & in duobus Vaticanis num. 1958 & 3405. Spartianus cap. 15 de vita Hadriani scribit: *Numilium Quadratum, & Catilium Severum, & Turbonem graviter infecutus est*. Salmasius in notis monet in Palatino codice ac veteri editione legi: *Vmidium Quadratum*; quod & in regio volumine pariter legitestatur suis etiam in notis Casaubonus. Erat hic alter Quadratus prioris filius aut certe affinis. Praeterea in eadem Bibliotheca Medicea in codicibus epistolarum Plinii, lib. 6, in epistola, quae incipit: *O diem latum*, quae in editis est XI, laudat Plinius *Fuscum Salinatorem & Numidium Quadratum*. Ibidem in codice num. 34 legimus *Vminidium Quadratum*; at in alio num. 32 recte scribitur: *Vmidium Quadratum*, cujus avia in epistola 24 lib. 7 in eisdem codicibus dicitur *Vmidia, & Commidia*, quae plane *Vmmidia Quadratilla* dicenda est. Et quidem fictam esse Numidiorum, apud Romanos gentem inde etiam colligo, quod *Numidii* nusquam in vetustis apud Gruterum monumentis memorantur; cum tamen *Vmidii* sive *Vmmidii* in inscriptis antiquitus saepius legantur. Quasdam ineditas Vmmidiorum Inscriptiones Raphael Fabrettus V. C. mecum communicavit. In base grandiori effossa anno 1687 via Latina, XI ab Urbe lapide, legitur:

C. IVLIO. ASPRO
COS. PRAETORI
CVRATORI. VIAE
APPIAE. SODALI
AVGVSTALI. TRIB
PL. PR. QVAESTORI
PROV. AFRICAE. CV

RA-

185

DISSERTATIO TERTIA.
RATORI AEDIVM SACR.
SEX. VMLDIVS
AMICO

INCOMPARABILI

Hoc præ ceteris epigramma recitavi, quod idem dicatum est C. Julio Aspro una cum fratre Consuli, imperante Antonino Caracalla A. V. 965, Christi 212. Illius familiam, perperam in Panvinii aliorumque Fastis descriptam, restitui pag. 126 Epistolæ Consularis ex Dionis excerptis apud Leunclavium, Caji tamen prænominis omisso, quod memorata demum Inscriptio prodidit. Idem V. doctissimus alterum mihi epigramma eodem pariter loco erutum, atque eidem Aspro consuli dicatum, indicavit, videlicet:

..IVLIO. CN.-F. PO
ASPRO
PR. TR. PLEBIS
QVAEST. PROVINCIÆ
AFRICÆ
CORNELIVS
AMCO. INCOMPA
RABILI

In excerptis Dionis apud Henricum Valesium pag. 743 legimus Antoninum Caracallam eximios honores in Julianum Asprum concessisse; ubi ex recitata Inscriptione *Julium Asprum* legendum censeo. Addit Dio: *Cum ad maximum culmen extulisset ipsum ac filios tot simul fascium pompa &c.* Ex his Valesius recte opinatur Aspros Consules sub Caracalla fuisse fratres. Duo vero recitata elogia dicata fuisse non patri, sed alterutrius ejusdem filio, indicant magistratus ab eodem gesti, quorum maximus est consulatus; cum ex Dione colligamus, patrem majoribus longe honoribus decoratum fuisse. Hinc pater fuit *Cneus Julius Asper*, cujus filius *C. Julius Asper* fuit Consul anno Christi 212 una cum *Cn. Julio Aspro* fratre; siquidem quispiam filiorum vulgo prænomen patris ferebat.

In editis ac MSS. codicibus Josephi, quos vidi, legitur

Aa 2

Nu.

Numidius Quadratus præfes Syriæ, qui textus ex tot aliis laudatis emendandus venit, ac præsertim ex Casinate Inscriptione, ex qua plures Vmmidii Quadrati magistratus ac dignitates innotescunt. Nam sub exitum imperii Augusti ac Tiberio novo principe A. V. 767 quæsturam Romæ gessit. Consulatu suffecto perfunctus, Cyprum postea provinciam pro Consule administravit, ac Legatus a Tiberio Lusitanæ impositus fuit. Idem a Claudio principe Legatus proprætor in Illyricum missus; dein Syriam ejusdem Cæsaris Legatus rexit, C. Cassio successor datus circa A. V. 803, ut ex Taciti Ann. ostendi Dissert. 2 de Cenotaphiis Pisanis pag. 332. Idem Tacitus lib. 13, A. V. 808 ac primo imperii Neronis, eodem Principe ac L. Antistio Vetere Coss. scribit: *Syria P. Antejo destinata, & variis mox artibus delusus, ad postremum in Urbe decedens est.* Ita diutius C. Vmmidio Quadrato imperium in Syria prorogatum est, quod tandem A. V. 813 in provincia cum vita reliquit, hæc scribente eodem Tacito l. 14: *Corbulo in Syriam accessit, morte Vmmidii legati vacuam.* Obiit septuagenario major; siquidem A. V. 767 quæsturam gesserat, quæ lege Annali id temporis candidatis ante annum 25 ætatis non dabatur. Idem autem Quadratus fuerat in Urbe Ædilis curulis, Prætor Ærarii, Decemvir litibus judicandis, Curator publicarum tabularum, præfectus frumenti dandi, ac unus etiam e Collegio XV. virum sacris faciundis; & horum omnium notitiam uni Inscriptioni laudatæ debemus.

Ezechiel Spanhemius editis voluminibus ac Principum legationibus gnauiter ac feliciter administratis illustrissimus, in Dissert. IX. pag. 386 laudat nummum Neronis in postica inscriptum: ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΙΕ. *Sub Cæstio. Antiochenum.* Anno CXIV. Eundem nummum recitat V. C. Harduinus pag. 52, cui annus Antiochenorum 114 dicitur *Neronis postremus, seu XIV, qui idem Urbis fuit DCCCXX.* Errat; tum quia Epocha Antiochena cœpit A. V. Romæ 705, ac proinde annus ejusdem 114, in laudato nummo signatus, iniit per autumnum A. V. 818, Nerone III Id. Octobris annum imperii XII auspicante; tum quia anno ejusdem XIV, qui cœpit ab Octobri A. V.

820, non Cestius, sed Licinius Mucianus præses Syriam tenebat. Tacitus lib. 2 Hist. uti superius notabam, de Vespasiano ac Muciano scribit: *Ceterum hic Syria, ille Judææ præpositus, vicinis provinciarum administrationibus invidia discordes, exitu demum Neronis positis odiis, in medium consulere.* Nero semet interfecit mense octavo anni XIV principatus, Muciano Syriam administrante. Plura de C. Cestio Gallo adnotavi in Cenotaphiis Pisanis a pag. 334, quæ haud hic vacat repetere.

CAPUT V.

Cur Antiocheni novam Epocham ab anno urbis Roma DCCV incundam decreverint. Petavii V. C. opiniones de inducâ ab Antiochenis eadem Epochâ a victoriâ Pharsalica Cæsaris, ac de mense pugna ad Pharsalum, refelluntur. Samuelis Petiti sententia de initâ Julio Cæsari altera Dictatura apud Antiochiam, ac de Juliana emendatione anni confutantur. Antiocheni novam Epocham A.V. Roma DCCVII instituerunt. Opinio Scaligeri de Indictionibus quindecennalibus apud Antiochiam primum cæptis rejicitur. Scipio anno urbis Roma DCCV gravissima Antiochenis tributa imposuit. Eadem Cæsar Dictator II relevavit. Hinc in illius honorem novâ ab Antiochenis Epochâ instituta; cujus tamen initii ante biennium deducti ratio assignatur.

HActenus locupletissimis tum veterum Scriptorum, tum etiam numismatum apud Antiochiam, scriptorum testimoniis demonstratum est Epocham hujusce Urbis initium cepisse anno a Roma condita DCCV. In præsentia indagandum superest, cur Antiocheni ab eo anno novæ Eræ caput deducendum decreverint. Vetus scriptor Chronici Alexandrini initio proximi capitis laudatus ait: *Et appellatus est idem Julius Cæsar Dictator apud Antiochiam die tertio ac vicesimo mensis Artemisii. Itaque nominatur in ipsius honorem magna Antiochia annus primus: idemque quindecennalis Cycli annus primus.* Hic duo Auctor tradit; nempe in honorem Cæsaris Dictatoris novam ab Antiochenis Epocham institutam fuisse, ac ab eodem anno Indictiones quindecennales exordium apud Antiochiam habuisse.

Aa 3

Utrum-

Utrumque tamen in dubium revocatur. Nam anno Urbis Romæ 705, bello civili Cæsarem inter ac Pompejum conflato, Q. Cæcilius Scipio Pompeji focer, Proconsul Syriam obtinuit, ubi terrestres ac maritimas contra Cæsarem copias coegit. Cicero lib. 9 ad Atticum epist. 1 ait: *Nam Scipio vel in Syriam proficiscitur sorte &c.* Data est epistola pridie nonas Martias A. V. 705 a Parilibus. Plutarchus de Pompejo in vita ejusdem scribit: *Scipionem vero socerum ac Cneum filium in Syriam misit ad classem comparandam.* Auctor est Josephus lib. 14 Antiq. cap. 13, & lib. 1 de bello cap. 13, Alexandrum Aristobuli Judæorum regis sive Ethnarchæ filium a Scipione Syriam administrante, acta pro tribunali causa, damnatum, ac apud Antiochiam securi percussum fuisse. Cæsar lib. 3 de bello civili, plura avare & acerbe Scipioni in Syria gesta recenset, de quibus mox sermo redibit. Scipio vero incumbente autumno ejusdem A. V. 705, ut ait Cæsar, *legiones equitesque ex Syria deduxerat* in hiberna apud ditiores Asiæ urbēs. Quare cum Antiocheni A. V. 705 Scipioni parerent, ac Pompejanas partes sequerentur, nullam eo anno Epocham in honorem Cæsaris instituere potuerunt. Eodem anno Cæsar, fugato ex Italia Pompejo, bellum in Hispaniam transtulit, victisque Pompeji Legatis ac legionibus, victor in Italiam revertens, opera M. Æmilii Lepidi prætoris Urbani Dictator creatus fuit. Appianus lib. 2 bell. civil. scribit bellum in Hispania a Cæsare *labente æstate* profligatum. Ipse vero Cæsar lib. 2 bell. civ. cap. 22 ait: *Cæsar Tarracone discedit, pedibusque Narbonem, atque inde Massiliam pervenit. Ibi legem de Dictatore latam, seque Dictatorem dictum a M. Lepido prætore cognovit.* Cæsar cum exercitu in Italiam descendens, militibus per Apuliam distributis, Romam ingressus, Dictaturam iniit. Hæc per autumnum contigisse colligo ex eodem Cæsare lib. 3 bell. civ. cap. 2, ubi de legionibus in Epirum transvehendis scribit: *Atque ea copia ipsa hoc infrequentiores imponuntur, quod præter alia incommoda, gravis autumnus in Apulia circaque Brundisium ex saluberrimis Gallia & Hispania regionibus omnem exercitum valetudine tentaverat.* Anno insequenti V. C. 706 pugnatum est apud Pharsalum, quo prælio victus a Cæsare

Pom-

Pompejus, cum paucis in Ægyptum navibus fugam arripuit. Cum vero Paphum in Cypro appulisset, ut scribit Cæsar lib. 3 cit. cap. 102, *cognovit consensu omnium Antiochenſium, civiumque Romanorum, qui illic negotiabantur, arcem Antiochia ante eſſe captam, excludendi ſui cauſa, nunciosque dimiſſos ad eos qui ſe ex fuga in finitimas civitates recepiſſe viderentur, ne Antiochiam adirent; ſi id faciſſent, magno eorum capitis periculo futurum.* Petavius eruditiffimus ſcriptor, lib. 10 doctr. Temp. cap. 62 tradit, pugnam Pharſalicam contigiffe *duodecimo circiter Maji anni Juliani proleptici.* Cum vero hæc in Chronico Alexandrino legantur: *Et propoſita in urbe magna Antiochia libertas ipſius, quando & Romanis ſubjecta eſt viceſimo die Artemiſii menſis;* ex hoc ac proximo Cæſaris teſtimonio idem Petavius hæc colligit: *Quare ſtatim a Pharſalica pugna, Antiochia illa geſta ſunt, qua Chronici Alexandrini Auctor prodidit. Cum vera in Faſtis eſſet notatus Artemiſii Lunaris viceſimus dies, qui poſtea exſcripſerant, ad Majum anni Solaris Juliani retulerunt.* Addit tunc eosdem Antiochenos novam Epocham inſtituiſſe in honorem Cæſaris, ad cujus partes poſt nuntium victoriæ ad Pharſalum, ſtatim tranſierant; cujus quidem Epochæ illum ipſum annum tunc labentem primum eſſe voluerunt, qui cum inierit ab Hyperberetæo A. V. Romæ 705, hinc colligit, cur eadem Epochæ ab hoc anno originem duxerit.

Hæc Petavii ſententiæ de anno inſtitutæ primum novæ ab Antiochenis Epochæ, falſa eſt. Nam Auctor laudati Chronici ait: *Et appellatus eſt idem Julius Cæſar Dictator in urbe magna Antiochia viceſimo tertio, menſis Artemiſii. Nominatur itaque magna Antiochia in ipſius honorem annus primus.* Joannes Malala Antiochenus lib. 9 Chronicorum MSS. apud Uſſerium tom. 2 Annal. ad annum Periodi Julianæ 4667 ſcribit *die duodecimo menſis Artemiſii ſive Maji,* Antiochiæ propoſitum fuiſſe edictum de Julii Cæſaris imperio; & die 20 miſſum eo edictum ejuſdem Cæſaris de libertate Antiochenorum; ac tandem die 23 Cæſarem Antiochiam ingreſſum. Hæc utriusque Chronici Scriptores ex vetuſtis Antiochenorum monumentis accepiſſe dicendi ſunt.

sunt. At omnia illa contigerunt A. V. 707, cum Cæsar Dictator II ex Ægypto per Syriam contra Pharnacem exercitum duceret. Nam Cæsar A. V. 706, quando Pompejum vicit, non erat Dictator, sed Consul iterum; ille enim Dictaturam alteram apud Alexandriam inivit. Quare cum in laudatis Chronicis dicatur appellatus, sive salutat^{us} Dictator apud Antiochiam, hæc neutiquam contingere A. V. 706, uti Petavius opinabatur. Præterea falsum est pugnam Pharsalicam duodecimo circiter Maji anni Juliani proleptici contigisse. Equidem nec Latini nec Græci scriptores, ut ait Vellejus, *cruentissimum Romano nomini diem*, quo in Pharsalicis campis pugnatum est, designarunt. Illam tamen pugnam mense Junio proleptico anni Juliani peractam facile ostendo. Cæsar. l. 3 bell. civ. c. 25 ait: *Multi jam menses transferant; & hiems jam præcipitaverat, neque Brundusio naves, legionesque ad Cæsarem veniebant.* At hiems una cum Juliano Februario præcipitat. Advenit tandem in Epîrum cum novis copiis Antonius. Tum Cæsar ac Pompejus proxima invicem castra magnis operibus muniverunt, cum uterque fame adversarium vincere pertentaret. Scribit Cæsar cap. 49: *jamque frumenta maturescere incipiebant*; cum adhuc ad Dyrrachium castra castris essent opposita. At frumenta desinentæ Majo apud Dyrrachium incipiunt maturescere. Suetonius cap. 35 in Julio Cæsare ait: *Pompejum per quatuor fere menses maximis obsessum operibus, ad extremum Pharsalico prælio fudit.* Cum vero Pompejum obsederit, postquam hieme jam præcipitata, novas eidem copias ex Italia Antonius transvexit, patet ad initium fere Junii anni Juliani proleptici, Cæsarem apud Dyrrachium castra habuisse. Cum frumenti penuria laboraret, defectis munitionibus, ac vasis conclamatis, in Thessaliam contendit; illum vero septimo die Pharsalum pervenisse tradit Appianus lib. 2 bell. civ. Tum, ut idem Cæsar scribit cap. 71: *segetis idoneum locum in agris nactus, quæ prope jam matura erat*, adventum Pompeji ibidem expectare constituit. Segetes in Thessalia sub initium Junii prope jam sunt maturæ. Ibidem cap. 82 scribit: *Pompejus paucis post diebus in Thessaliam pervenit.* Nempe ini-

inito Junio anni Juliani proleptici. Cum vero Cæsar ac Pompejus castra invicem opposita metati essent, Cæsar *continentibus diebus* aciem instruebat, ac proelium, Pompejo recusante, *in dies* Cæsarianis audacia spesque simul augebantur, ibidem cap. 84. Ex his aliisque quæ proxime contra Peticum adducam, patet proelium Pharfalicum non contigisse circa diem duodecimam Maji A. V. 706, ac proinde nihil tunc potuisse in gratiam victoris Cæsaris ab Antiochenis decerni, uti doctissimus Petavius arbitrabatur.

Samuel Petitus lib. 4 Eclog. Chronol. cap. 16 eximie commendat testimonium Chronici Alexandrini. Et recte quidem docet ea quæ ibi traduntur de libertate seu autonomia Antiochenis a Cæsare concessa, spectare ad annum Urbis Capitolinum 706; sive Varronianum 707, quo Cæsar ex Ægypto per Syriam contra Pharnacem profectus est. Nam eo anno Cæsar erat Dictator II, quem magistratum extra Italiam adiit. Errat tamen Petitus scribens Cæsarem ex Ægypto profectum, cum Antiochiam advenisset, Dictaturam ibidem inivisse. Etenim Romani ceteros inter honores Cæsari post victoriam Pharfalicam decretos, eundem extra exemplum annum Dictatorem crearunt; ac proinde nullos in annum Urbis 707 Consules designarunt. Hinc Cæsar Kalendis Januariis apud Alexandriam Dictator II annum aperuit, quo titulo eidem anno in Fastis prænotatur. Ita Cæsar cum postrema die Decembris Consulatu abiisset, ineunte anno Dictaturam iterum iniit; si tamen eandem non statim gessit, cum primum de eadem Senatus decretum accepit, uti Dio scribit lib. 42. Profecto Acta publica a Kalendis Januariis A. V. 707 a palilibus, hoc caractere temporis signata sunt: *C. Julio Cæsare Dictatore iterum*, ut patet ex Fastis Capitolinis apud Panvinium, & Gruterum pag. 295, & ex indice Consulari præfixo lib. 42 Dionis. Itaque in Chronico Alexandrino dicitur Cæsar *tertio ac vicefimo die Artemisii ἐκλήθη Δικτάτωρ ἐν Ἀντιοχείᾳ*, appellatus, id est, salutatatus Dictator Antiochia, inter festivas occurrentium civium acclamationes, cum ipsorum urbem ingrederetur, non vero quod Dictaturam eo primum mense ibidem inierit. Cicero

lib. XI ad Atticum ep. 19 scribit: *Decimo septimo Kalendas Septembris venerat die vicefimo octavo Seleucia Pieria C Trebonius is, qui se Antiochiæ diceret apud Cæsarem vidisse. Quinti filium cum Hirtio.* Scripta est epistola A. V. 707, quo C. Trebonius die 20 Quintilis Seleucia solverat, cum proxime Cæsarem Antiochiæ reliquisset. Appianus l. 2 bell. civ. narrat Cæsarem *novem menses* in Egypto moratum fuisse, quo pervenerat sub initium Octobris paulo post necem Pompeji, quæ contigit die 29 Septembris, ut erudite ostendit Vsserius tom. 2 Annal. pag. 332. Ita Cæsar cum novem in Egypto menses substitisset, mense Quintili anni insequentis, fuit Antiochiæ. At tunc mensis Quintilis erat anni luxati Pompiliani, cujus tempestates extra rectos anni cardines excurrebant. Petitus pag. 293 ait, diem 20 Quintilis Ciceroni memoratam fuisse in anno Juliano diem secundam Junii, qua C. Trebonius Seleucia discessit. Hæc ex correctione anni, quam Cæsar A. V. proximo 708 peregit, facile refelluntur. Suetonius de Julio Cæsare scribit c. 40: *Inter Novembrem & Decembrem mensem interjecit duos alios: fuitque is annus, quo hæc constituebantur quindecim mensum cum intercalario, qui ex consuetudine in eum annum incidat.* Reponit Petitus lib. 5 cap. 2, Dionem lib. 43 scribere annum a Cæsare emendatum fuisse, *intercalatis septem ac sexaginta diebus.* At Dio loquitur de extraordinaria intercalatione, quam Cæsar peregit supra ordinariam mensis Intercalaris jam ante novum Cæsaris decretum, eodem anno post Terminalia mense Februario inserti. Hujus testis venit Censorinus cap. 20 de die Natali, ubi ait: *Adeoque aberratum est, ut C. Cæsar Pontifex Maximus suo III & M. Aemilii Lepidi consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses intercalarios dierum sexaginta septem, in mensem Novembrem & Decembrem interponeret, cum jam mense Februario dies tres & viginti intercalasset, faceretque eum annum dierum CDXLV.* Eadem tradunt Solinus cap. 2 ac Macrobius lib. 1 Satur. cap. 13. Cæsar A. V. 708 bellum in Africa contra Scipionem ac foederatos profligavit, & *Idibus Junii*, ut ait Scriptor belli Africi, Uticæ classem conscendit, Romam transmissurus. At Cæsare absente, Pontifices Romæ mense Februario post Ter-

mi-

minalia, mensem intercalaverant; *qui*, ut ait laudato loco Suetonius, *ex consuetudine in eum annum inciderat*. Cum vero post aliquot menses Cæsar ex Africa Romam advenisset, anni correctionem executus, quo illum tum luxatum, e Lunari in Solarem mutaret, inter Novembrem & Decembrem dies LXVII inseruit; quos recte Dio a Cæsare additos scribit; cum dies tres ac viginti anno eodem mense Februario, decreto collegii Pontificum ex consuetudine jam antea intercalari fuissent. Ita cum annus Pompilianus esset dierum 355, additis diebus XXIII, a Pontificibus prius intercalatis, ac rursus diebus LXVII a Cæsare postea superadditis, ille annus evasit dierum CDXLV, uti Censorinus testatur. Cum vero antea alternis quoque annis modo dierum XXII, modo XXIII intercalatio fieret, ut Lunares anni Solares utcumque assequerentur, Solinus ac Macrobius eo anno correctionis mensem intercalarem dierum XXII fuisse putant; Censorinus dierum XXIII. Hinc illi annum confusionis faciunt dierum CDXLIV, hic vero dierum CDXLV. Ex his colligimus differentiam anni Pompiliani a Juliano Solari cum mense intercalari ac diebus 67 fuisse dierum XC, qui dant tres menses tricenarios; unde recte Suetonius ait, annum correctionis, seu ut alii vocant, confusionis, habuisse quindecim menses. Cum Pontifices Romæ alternis annis *ex consuetudine* intercalarent mensem dierum 22 aut 23, ac anno, qui fuit Urbis a Parilibus 708, mensem intercalaverint, Cæsare in Africa bellum gerente; anno etiam Urbis 706, eodem Cæsare in Ægypto morante, mensem post Terminalia intercalaverant; ita tamen ut ab anno Solari in anno Juliano proleptico diebus 67 aberrarent. Cum annus verus Lunaris sit dierum 354, horarum 8 & minut. 48, & annus Lunaris Pompilianus constaret diebus 355, patet uno fere die singulos annos Pompilianos abundasse. Hinc usque ad exitum Februarii A. V. 707, a parilibus inchoandi, annus Pompilianus Lunaris a Juliano, præter illos dies LXVII, aberrabat diebus XI. Rursus ab Aprili ad diem 20 Quintilis uno & altero die deficiebat, quia Aprilis ac Junius anni Pompiliani erant dierum tantum XXIX. Quare summa dierum fuit LXXX, quibus A. V. 707, circa diem 20 Quintilis, annus Pompilianus a Solari Juliano discordabat. Hinc a 20 Quinti-

his per diles octoginta retrocedendo, deveniemus ad diem secundam Maji anni Juliani proleptici, qua Trebonius Seleucia Pieria discedens, Casarem proxime Antiochia reliquerat, quam in urbem mense Aprili pervenerat. Antiocheni tum temporis annos Lunares servabant; in illis autem Artemisius partim cum Aprili Juliano proleptico & partim cum Majo concurrebat. Scriptor Chronici Alexandrini ac Joannes Malela, quod suo tempore Artemisius Antiochenorum cum Majo Romano pari dierum numero decurrebat, scripserunt Casarem Antiochiam die 23 Artemisii sive Maji ingressum, ac Dictatoris nomine a civibus salutatum. Petitus pag. 294 circa finem c. 15 de Scriptore Chronici Alexandrini scribit: *Noverat enim Artemisium anni decimi octavi Ennea-decaeteridis Calippica Syromacedonum semper cœpisse in anno Juliano die 23 mensis Aprilis, proindeque Artemisii diem vicesimum addere in duodecimum Maji: Estque hic vicesimus Artemisii dies titulus 6^a Epochæ ἀντωνομίας Antiochenorum.* Hæc sunt fabulis proximiora. Nam puto ne semel quidem illum Chronographum de periodo Calippica cogitasse, cum ea in literas mitteret; imo & sine teste laudata periodus Antiochenis affingitur. Petavius lib. 10 cap. 62 satis probabiliter arbitratur, Scriptorem Chronici Alexandrini in vetustioribus libris legisse signatos dies Lunaris Artemisii, quem eæ ætate Antiocheni servabant, antequam annum Solarem Julianum reciperent. In vetustis Chronicorum voluminibus illos Artemisii dies signatos fuisse colligimus ex laudato Malela Antiocheno, qui eosdem pariter memorat. Jam vero A. V. Romæ 707 ipsis Palilibus, videlicet die 21 Aprilis Novilunium juxta medium motum contigit in ipso meridie Antiochiæ. Egidius Bucherius in tract. de Paschali Judæorum Cyclo, eo anno, qui fuit 47 ante Æram Christi, juxta periodum Calippicam, qua Judæos usos contendit, statuit nœmeniam Jiar die 21 Aprilis. Josephus vero lib. 8 Antiq. cap. 2, loquens de secundo mense anni sacri Judæorum, ait: *Hunc Macedones Artemisium vocant; Jiar vero Hebræi.* Hinc juxta hanc opinionem dies duodecimus Artemisii Lunaris A. V. Romæ 707 correspondet diei secundo Maji in anno Juliano proleptico; dies 20 Artemisii cum 10 Maji, ac denique

que illius 23 cum hujus decimo tertio copulatur. Ceterum siue hoc posteriori, siue priori modo dies Artemisii exponantur, aliquot tantum dierum differentia notatur; nec vacat esse tam curiosos in ipso die adventus Cæsaris Antiochiam demonstrando.

Interim lacuna laudati Chronici implenda est. Hæc ibi leguntur: *Ante IV Idus Majas prima Indictionis. Et proposita in urbe magna Antiochia libertas ipsius, quando & Romanis subiecta est, vicesimo die mensis Artemisii ab eodem Julio Cæsare missa.* At Joannes Malela apud Vsserium scribit *die duodecimo mensis Artemisii siue Maji* de Julii Cæsaris imperio edictum publice Antiochiæ propositum fuisse; & *vicesimo* ejusdem mensis die de ejusdem urbis libertate decretum illuc a Cæsare missum; ac denique *die vicesimo tertio* Cæsarem Antiochiam ingressum. Ex his supplendum est Chronicon Alexandrinum, nempe: *Ante IV Idus Majas prima Indictionis de Julii Cæsaris imperio edictum publice Antiochiæ propositum fuit.* Certe lacuna in Chronico patet; quia diem IV Idus Maji signat, qua tamen nihil gestum recenset. Hactenus de hoc Chronico; siquidem intelligo Carolum Dufresnium, qui ob edita vastæ eruditionis volumina in ore famæ versatur, emendatiorem ejusdem Chronici editionem adornare: cujus gratia ad eundem ex Vaticano codice plerasque correctiones se transmisisse mihi nuper narrabat doctissimus Johannes Mabillon, cum anno proximo 1686 Etruscas MSS. codicum Bibliothecas idemmet βιβλιοθήκη περιπατήσα, una cum P. Michaele Germain studiorum socio literatissimo ac itinerum comite jucundissimo, perlustrans, pulverulentis pluteis affixus, vetustiorum Auctorum volumina, literariæ Reipublicæ censum aucturus, exscriberet.

Ex iis quæ fufius disputando exposui, origo novæ Antiochenorum Epochæ satis probabiliter deducitur. Nam cum Cæsar A. V. 707, bello in Ægypto feliciter profligato, contra Pharnacem regem Ponti per Syriam proficisceretur, Antiochiam ingressus, cives qui post victoriam Pharsalicam Pompejanas statim partes reliquerant, variis privilegiis siue beneficiis ornavit. Horum præcipuum fuit autonomia, quam a Pompejo olim emerant, lege Dictatoria Antiochiæ iterum sancita: nempe ut suis legibus

uti possent. Cum vero Antiocheni ab A. V. Romæ 690 Pompejana Epochâ usi fuissent, eadem omiſſa, in honorem victoris Cæsaris novam Æram instituerunt. Hæc puto certa esse. Verum initium hujusce Epochæ non ab eodem anno Urbis Romæ 707 deductum voluerunt, uti falso Petitus ac Harduinus putarunt, sed ab A. V. 705 colligendum esse decreverunt, quod locupletissime mihi superius demonstratum est. Vſſerius tom. 2 Annal. ad annum Per. Julianæ 4665 scribit, Antiochenos ob honorem Cæsaris, qui priorem Dictaturam anno urbis Romæ 705 accepit, inde suæ ipsorum Epochæ exordium deduxisse, a qua annos imperii ejusdem Cæsaris Scriptor etiam Chronici Alexandrini auspiciatur: *Anno primo, inquit, C. Julii Cæsaris sub præmissio consulatu Lepidi & Planci, duodecimo die mensis Artemisii ab Antiochenis sua tempora numerantur. Et Indictiones incipiunt a prima die mensis Gorpiai.* Consulū ordo passim eo in Chronico luxatus est. Ibi vero tradit Cæsarem Dictatorem imperasse *annos quatuor, menses septem.* Cæsar occisus fuit die 15 Martii A. V. a parilibus 710; unde per annos quatuor ac menses septem retro numerantes, venimus ad Septembrem A. V. 705. Artemisius tamen anni primi imperii Cæsaris pertinet ad A. V. 706. Hæc Vſſerii sententia minus fortasse probanda videri possit, quod Cæsar eo A. V. 705 creatus fuit Dictator comitiū tantum habendorum: non autem rei gerundæ causa, quæ longe nobilior Dictatura erat. Nam cum Consules ac ceteri Magistratus A. V. 705 Roma cum Pompejo in Epirum diffugissent; nec consularia comitia a prætore haberi possent, M. Lepidus prætor Cæsarem lege per populum lata, Dictatorem creavit COMIT. HABEND. CAVSSA. Cæsar initio lib. 3 bell. civ. ait: *Dictatore comitia habente Cæsare, Consules creantur Julius Cæsar & P. Servilius.* Et paulo inferius: *His rebus & feriis Latinis comitiis que omnibus perficiendis undecim dies tribuit, Dictaturaque se abdicat, & ab Urbe proficiscitur.* Quare cum ea prima Dictatura Cæsaris undecim tantum dies duraverit, vix Antiochenis nota fuisse videtur; tantum abest, ut ab eadem novam Epocham exordiri voluerint. Cæsar cum semet Consulē in proximum annum designandum curasset, Dictatura se abdicavit,

vit, cum consulare imperium ad bellum gerendum obtinisset. Egrege Lucanus lib. V, cum dixisset Cæsarem ex Dictatore Consulē factum, ait:

*Namque omnes voces, per quas jam tempore tanto
Mentimur dominis, hæc primum repperit atas,
Qua sibi, ne ferri jus ullum Cæsar abesset,
Ausonias voluit gladiis miscere secures.
Addidit & fasces Aquilis, & nomen inane
Imperii rapiens &c.*

Quamvis vero Cæsar undecim tantum diebus Dictaturam gessit, anno proximo Urbis 706 post victoriam Pharsalicam iterum Dictator, sed annuus a Romanis creatus fuit; & anno 707 Dictator iterum *Reip. constituenda causa* in Fastis signatur. Cum vero eodem anno amplissimo Dictaturæ magistratu præditus, Antiochiam venisset, cives novam Epocham in ipsius honorem instituerunt, quam tamen inchoandam decreverunt ab anno Urbis Romæ 705, ob rationes, quas postea adduco.

Scaliger cum notasset Scriptorem Chronici Alexandrini ab A. V. 705 inchoare apud Antiochiam Cyclum Indictionum ex quinque denis annis compositum, ac Hadrianum remissionem debitorum fisco sexdecim annorum spatio, quot ab una ad alteram Indictionem inclusive numerantur, circumscripsisse; & rursus M. Aurelium Augustum alteram remissionem publicorum debitorum indulgisse ad annos, ut ait, XLV, qui tres Indictiones constituunt, hoc quoque beneficium a Cæsare Antiochenis A. V. 705 collatum putat. Ejus verba sunt in notis Eusebianis num. 2134: *Idem fecisse videtur Julius Cæsar Antiochenis, qui annos suos ab Indictione Casariana putabant, nimirum a remissis unius Indictionis, sive triumphorum reliquis. Atque adeo ab illa Epocha Antiochensi ad hanc Hadriani Indictionem præterierunt Indictiones undecim, absoluta.* Hanc Scaligeri opinionem a viro eruditissimo eximie laudari intelligo, cujus nomen non prodo, quod ea quæ proxime subjicio, in privatis tantum literis exposuit. Et ille quidem notat Pompejum A. V. 690 Antiochiam Romano imperio tributariam fecisse; illo enim anno Pompejum fuisse Antiochiæ testatur

in

in Chronicis MSS. Malela Antiochenus, qui etiam scribit eundem die 19 Junii inde discessisse. Itaque Pompejus cum Antiochenis tributa Populo Romano pensitanda imposuit, ea per tria lustra, id est, integram Indictionem disposuit. Quare cum A. V. 705 Pompējana Indictio exiisset, & altera sequeretur: ac anno ejus secundo Cæsar Antiochiam ex Ægypto advenisset, cives eandem Indictionem Cæsarianam nuncuparunt, a qua etiam annos suæ urbis deinceps numerandos in gratiam Cæsaris decreverunt. Evagrius quidem lib. 2 cap. 12 narrat Antiochiam, Trajano imperante, ingenti terræ motu vastatam fuisse *anno centesimo quinquagesimo nono τῆς αὐτονομίας, ab obtenta autonomia, sive postquam suis legibus uti permissa fuit. Quæ tamen in idem recidunt cum de tempore sermo est; siquidem eodem anno Urbis Romæ 690 populus Antiochiæ ita αὐτόνομος factus est, ut tamen Romanis primum tributarius una simul esse cœperit. In hoc autem Cæsari adulati sunt; quod Pompeji Quindecennio excluso, Æram suam ab alterius Indictionis exordio iterum ineundam statuere; quod secundo ejusdem Indictionis anno Cæsar Antiochiæ præfens, eandem urbem non uno beneficio sibi devinxit.*

In hac sententia unum displicet, quod indictiones sive Cyclum quindecim annorum jam inde a Pompejo Syriam occupante, institutum putat. Nam apud Romanos non per trina, sed per singula lustra tributa ac locationes disponebantur. Plinius lib. 9 epist. 37 ait: *Præsertim cum me necessitas locandorum prædiorum plures annos ordinatura detineat, in qua mihi nova consilia sumenda sunt. Nam priore lustro, quanquam post magnas remissiones, reliqua crederunt &c.* Publicorum etiam tributorum collatio in quinquennium apud Romanos publicanis locabatur. Varro lib. 5 de Lat. lingua: *Lustrum, inquit, nominatum tempus quinquennale, a luendo, hoc est solvendo: quod quinto quoque anno vectigalia & ultro tributa per censores persolvebantur.* Cicero in Verrina IV ait: *Quinto quoque anno Sicilia tota censetur. Erat censa Prætor Peduceo. Quintus cum te Prætor incidisset, censa denno est.* Et antea de Censoribus ait: *Ille enim magistratus apud*

apud Siculos diligentissime mandatur a populo propter hanc causam, quod omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt. Idem Cicero lib. 6 ad Atticum epist. 2, cum esset Proconsul Ciliciæ, scribit: Mira erant in civitatibus ipsorum furta Græcorum, quæ magistratus sui fecerant; quasrui ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant; nempe per duo proxime lustra præterita; statimque addit: Populi autem nullo gemito, publicania, quibus hoc ipso lustro nihil solverant, etiam superioris lustræ reddiderunt. Itaque publicanis in oculis sumus. Ita passim solutiones tributorum per lustra, nusquam per Indictiones quindecim annorum sive trium lustrorum in Romanis scriptoribus occurrunt; siquidem istæ Indictiones auctorem habuerunt Constantinum Magnum, cum, profligatis apud Veronam Maxentii exercitibus, novas Indictiones Italiæ imposuit. Hoc quod Verona mihi patria est, ac omnium primus Panyinius Veronensis eo de argumento prolixius disputavit, alia occasione demonstrabo; neque enim licet hic Antiochia ommissa, Veronam subito sermonem convertere, ac grandius parergon de Indictionibus Constantinianis inserere. Syria superior A. V. Romæ 690 a Pompejo subacta, tum primum facta, est stipendiaria, uti scribit Vellejus lib. 2 publicanorum societatibus ibidem constitutis. Hi erant Equites Romani, qui per singula lustra provinciarum tributa certâ pecuniæ summa conducebant. Cum Cæsar Populum, ac Equestræm ordinem contra Optimates sibi addere perentaret, plebi agrum Campanum divisit. Dio lib. 38 scribit: Ob hæc acta, Cæsar populum sibi obstrictum fecit; Equites vero, tertiam eis partem vectigalium, quæ nomine redemptionum debebant, remittens. Ipsi enim omnibus vectigalibus præerant, &c. quæ etiam in Julio Cæsare cap. 20 Suetonius narrat: Publicanos, inquiens, remissionem petentes, tertiam mercedum parte relevavit: ac ne in locatione novorum vectigalium, quæ nempe proximo lustro facienda erat, immoderatus licerentur, propalam admonuit. Cicero initio orationis pro lege Manilia: Equitibus, inquit, Romanis, honestissimis viris afferuntur ex Asia quotidie literæ, quorum magna res aguntur in vestris vectigalibus excercendis; occupata; ubi plura de Asiæ vectigalibus, ab Equitibus Romanis admini-

stratis, prosequitur. Idem Cicero in Orat. de provinciis Consularibus narrat ab A. Gabinio Syriæ Proconsule Equites Romanos ejusdem provinciæ publicanos non una injuria affectos. *Jam vero, inquit, publicanos miseros &c. tradidit in servitutem Judæis & Syris, nationibus natis servituti. Statuit ab initio, & in eo perseveravit, jus publicanis non dicere: pactiones sine ulla injuria factas rescidit; custodias sustulit; vectigales multos ac stipendiarios liberavit; quo in oppido ipse esset, aut quo veniret, ibi publicaniam, aut publicani servum esse vetuit.* Publicani quodavare & acerbe tributa ac vectigalia exigebant, odio erant Syris; ac proinde Gabinus qui A. V. 697 lege Clodia Syriam Proconsul obtinuit, quo Syrorum benevolentiam captaret, publicanis adeo se acerbum præbuit. Id temporis labebatur secundum lustrum, postquam Pompejus Syriam tributariam Reipublicæ fecerat. Cum vero post octennium bellum civile erupisset, Scipio A. V. 705, quo quartum lustrum in Syria inchoabatur, Proconsul in eandem provinciam venit, ejus ibidem gesta paucis describit Cæsar libro 3 bell. civ. cap. 31. *His temporibus, inquit, Scipio detrimentis quibusdam circa Amanum montem acceptis sese Imperatorem appellaverat. Quo facto civitatibus tyrannisque magnas imperaverat pecunias; item a publicanis sue provincie debitam biennii pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuum præceperat &c.* Cum enim magnas terra marique copias instrueret, quibuscum ad Pompejum se conferret, hinc Syria extraordinariis tributorum indictionibus ab eodem Scipione afflictæ fuit. Hæc Cæsar addit cap. 32: *Accedebant ad hæc gravissima usura, quod in bello accidere plerumque consuevit, universis imperatis pecuniis: quibus in rebus prolationem diei donationem esse dicebant.* Itaque *as alienum provincie EO BIENNIO multiplicatum est &c.* Et antea scribit tributum in singula servorum ac liberorum capita impositum; *Columnaria, insuper aut, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vectura imperabantur.* Uti vero Antiochia divitiarum amplitudine ac civium frequentia ceteras Syriæ urbes longe superabat; ita in fortunas Antiochenium eo anno Urbis 705 ac proximo 706 usque, ad nuntium victoriæ Pharfallicæ, acerbissime a Pompejanis sævitum

tum fuit, ita ut publice ac privatim gravissimas usuras, teste laudato Cæsare, contrahere coacti fuerint; unde, ut idem ait, *ex aliquam provinciam EO BIENNIO multiplicatum est*. Publicani etiam, quod anticipatam pecuniam, quæ ipsis ex vectigalibus ac tributis anno Urbis 706 colligenda erat, anno 705 Scipioni tradere coacti fuerant, sortem cum lucro ab Antiochenis avarius exigebant. Cum vero Cæsar, labente Artemisio Antiochenorum, in eorum urbem ex Ægypto anno a Roma condita 707 advenisset, quo cives insigni beneficio sibi devinceret, acta omnia Scipionis, qui tum temporis bellum in Africa contra ipsummet Cæsarem, instaurabat, rescidit; novæ tributorum exactiones abolevit; usuras in quas ante biennium inciderant, non uno modo sublevavit; publicanorum exactiones in meliorem formam redegit; ac denique eisdem Antiochenis autonomiam Dictatoria lege iterum confirmavit. Et sane Antiocheni audito nuntio cladis Pompeji, arcem statim pro Cæsare occuparunt, missis quaquaversum ad fugientes Pompejanos mandatis, ut ex Cæsare prænotavi, *ne Antiochiam adirent; si id fecissent, magno eorum capitis periculo futurum*. Cum adeo Antiocheni de Cæsare essent benemeriti, eundem, ubi primum Antiochiam advenit, optimum ac gratissimum benefactorem experti sunt. Hinc tot beneficiis a Cæsare ornati, novam ob confirmatam ipsis autonomiam, Epocham instituerunt; cujus tamen initium ab A. V. Romæ DCCV deductum voluerunt, quod Cæsar novis legibus ea cuncta mala reparasset, quæ *eo biennio* ob Scipionis ac ministrorum rapacitatem miserrime passi fuerant. Cum vero A. V. 705 quartum lustrum inchoatum fuisset, ex quo Antiochia Romanis tributum solvebat, ac priori ejusdem lustris biennio ob Scipionis avaritiam non modo autonomiam amisisse visa sit, verum etiam longe graviora tributa pensitare coacta fuerit, ac Cæsar ejusdem biennii damna benigne resarsisset, ab initio ejusdem lustris initi A. V. Romæ 705 ac jussu Dictatoris cum tanta civium utilitate ac commodo reparati, caput novæ Æræ Cæsarianæ, seu in gratiam Cæsaris institutæ, deductum voluerunt, ad quem usque annum sua beneficia idem Cæsar extendit. Hanc puto germanam causam, cur Antiocheni

A. V. Romæ 707 novam Æram instituentes, ejusdem exordium colligendum jusserint ab A. V. 705, a quo collata ipsis a Cæsare beneficia initium trahebant. Quod vero Scaliger scribit Antiochenos annos suos ab Indictione Cæsariana putasse, *nimirum a remissione unius Indictionis, sive trium lustrorum reliquis*, nullius vetusti Auctoris testimonio probatur. Et Cæsar proxime laudatus narrat, Scipionem in Syria a publicanis sua provincia debitam biennii pecuniam exegisse, nempe quæ pensitanda fuerat A. V. 704 ac tum labente 705. Quare uti publicani debebant pecuniam ejus tantum biennii solvere, quo tertium lustrum Pompejanæ indictionis claudebatur, ita Antiocheni non sunt putandi fuisse debitores reliquorum per tria superiora lustra; neque enim avaritia publicanorum, qui id temporis publica provinciarum tributa conducebant, antiquiora debita adeo patienter tolerasset. Lubrica etiam est conjectura Scaligeri, qua Indictiones annorum quindecim apud Antiochiam ab A. V. 705 institutas imaginatur, quod ad remissionem reliquorum ab Hadriano indultam A. V. 870 colligantur Indictiones XI absolute. Nam indictio tributorum provinciis imponebatur, cum primum in potestatem Populi Romani venissent. Ulti Antiochia A. V. Romæ 690, ita Palæstina anno proximo 691, Cilicia vero maritima A. V. 687 a Pompejo in potestatem P. R. redactæ, tributa Reipublicæ persolvere jussæ sunt. Asiæ proconsularis vastissimæ ac ditissimæ provinciæ vectigal, inquit Cicero lib. 1 epistol. ad Quintum fratrem, *aqualiter Sylla descripserat*, nempe A. V. 670. Jam vero Cycli Indictionum quindecennialium initi ab A. V. 690 colligi tantum possunt in Syria. Antiochena, non autem in Syria Palæstina, aut aliis provinciis, quæ Romanis parebant; cum non eodem anno, quo Antiochia, factæ fuerint stipendiariæ. Hadrianus A. V. 871 in suo secundo consulatu Romam reversus, *provinciis ex reliquis ingentes summas remisit*, uti scribit Spartianus cap. 7 de vita ejusdem, quod ex lapidis ac nummorum Inscriptionibus etiam colligitur apud magnum Panvinium lib. 2 Fast. ad A. V. 871; nempe remisit reliqua debitorum fisco ab annis XVI, quæ remissio a primo anno lustris in aliqua provincia; a secundo in alia; a tertio vel quarto anno lustris

Iustri in quibusdam colligebatur, ut plane casu contigerit, quod apud Antiochiam illa remissio coeperit ab initio circuli undecimi Indictionum, ut ait Scaliger. Imò Hadrianus non remisit debita XV annorum, ex quibus Cyclos Indictionum Constantinianarum constatur, sed plane *sextodecim annorum*, teste Dione, ut de Indictione quindecennali tunc ne quidem cogitasse videatur. Idem Dio in M. Aurelio scribit, hunc Principem remisisse debita ærario *ab annis sex & quadraginta*, cum ex Asia A. V. 929, Christi 176, Romam rediisset. Et in hac quoque altera debitorum indulgentia annus supra tres Indictionum Cyclos abundat.

Fateor Auctorem Chronici, quod Raderus pro arbitrio Alexandrinum inscripsit, quodve primum in Sicilia inventum, *Fæstorum Sæculorum* nomine a Panvinio sæpius appellatur, diserte scribere, eodem anno Æram Antiochenorum ac Cyclum Indictionum quindecennaliū, & hunc quidem die primæ mensis Gorpizæ initium cepisse. Hinc singulis postea annis insequentibus addit Indictionum ordinatim labentium notas ad finem usque voluminis, quod cum Heracii imperio finitur. Ceterum illum Chronologum vulgata apud quosdam tantum, & fortassis Antiochenos, opinione & ea quidem falsa, adeo antiquam Indictionum originem putavit. Num id quoque Joannes Malela, suis in Chronicis scripserit, mihi plane incertum est, qui inde quædam tantum fragmenta amicorum industria excerpta obtinui. Et quidem memoratus Alexandrini Chronici Scriptor, narrata morte Leonis, qui puer ante Zenonem patrem imperavit, hæc ait: καὶ καθὼς Νεσοριανὸς ὁ σοφώτατος χρόνος ἐλάφειν νέον τῶν νέων συνελάφειν: quæ cum eadem omnino verba in Malelæ Chronicis legantur, uti superius pag. 149 prænotavi, pleraque alia ex libris Malelæ in laudatum Chronicum deportata fuisse videntur. Sed de his hæcenus.

CAPUT VI.

Varia Scriptorum opiniones de primo mense anni Antiochenorum. Aegyptii, Romani, ac Syri novarum Epocharum annos a prima die anni civilis incipiunt. Annus Antiochia non inibat æterna tempe-

pestate. Num ex Euagrio idem caperit mense Gorpiae seu Septembri. Quo anno contigerit terra motus Antiochia Leone I imperante. Voces ἐκινάδα δαδίων ἐκίπας minus recte a Scaligero ac Petavio exposita. De terra motu Antiocheno sub Traiano, Euagrii ac Malela anachronismi. Tempus Episcopatus Seneri barretici apud Antiochiam demonstratur. Euagrius annos Antiochenorum a Septembri deducit; itaque Abatagnius Astronomus ab eodem mense annos Syrogracorum multiplicat. Alii Syrorum annum ab Octobri juxta Vlug Begum inibant. Antiocheni antiquitus annum ab Hypenhetas seu Octobri probabilius exorsividentur. Eo mense Iudi Olympici apud Antiochiam celebrati. Idem ex Malela Chronographo Antiochenis ostenditur. Valesii opinio de initio mense Novembri anno Antiocheno refellitur. Synodus in causa Gregorii Patriarchae habita a Christi 588. Plurimum terrae motuum Antiochia ac rerum sub Imperatore Mauricio gestarum, accurata chronologia proponitur. Juliani in Misopogone testimonium fusius expenditur. Num Antiocheni annum sacrum a civili distinctum servaverint. Quid nummi inscripti ΕΤΟΥC ΝΕΟΤ ΙΕΡΟΤ. significent.

Controversia de anno a quo celebris Antiochenorum Epochae initium sumpsit, ut grandioribus Taciti verbis loquar, magnum diem imposui. In praesentia inquirendum est, a quam annu tempestate & a quo mense sive Syromacedonum sive Romanorum, anni ejusdem Erae exordium habuerint. Nam vetus Auctor Chronici vulgo Alexandrini ad Olympiadis CLXXXIII annum alterum scribit: *Ab anno primo C. Julii Caesaris, & praedictis Consulibus Lepido & Planco, videlicet die duodecimo ipsius Artemisii, Antiocheni sua tempora numerant. Et Indictiones indicari ceperunt a primo die mensis Gorpiae.* Artemisius cum Majo, Gorpiae cum Septembri in anno Solari Antiochenorum pari dierum numero decurrebant. Hinc Langius lib. I de Annis Christi cap. 8 pag. 102 tradit annum apud Antiochenos a verna tempestate, mense Artemisio, seu Majo Latino-rum incoepisse. Ad hanc sententiam video nuper accessisse V. C. & amicum nostrum Joannem Vaillantium pag. 342 Hist. Re-gum

gum Syriæ, & in ejusdem etiam operis præfatione, ubi ex nummis Antiochenorum Arietis symbolo obsignatis, colligit eosdem anni exordium ab æquinoctio verno ducere solitos fuisse. Alii tamen viri eruditissimi tradunt Antiochenos annos suos ab autumno inchoasse; quamvis in diversas postea opiniones abeant de mense, a quo illi annum inierint. Usserius tom. 2. Annalium ad annum Per. Julianæ 466 pag. 320 ait: *Antiochena æra caput a Septembri anni Periodi Julianæ 466 esse repetendum, extra omnem poni debet controversiam.* Quare Gorpitzus erat primus mensis annorum Epochæ Antiochenæ. At Scaliger lib. 4. de emend. Temp. & lib. 3. Can. Magog. pag. 295, & in notis Eusebianis num. 1969 & alibi, tradit Antiochenos ab Hyperberetæo sive Romanorum Octobri annos Æræ suæ deduxisse. Cum eodem sentit ejusdem alius antagonista Petavius lib. 10. doct. Temp. cap. 62. Denique Henricus Valesius in notis ad Hist. Eusebii ad cap. 1. de Martyribus Palæstinis, & in notis ad cap. 12. lib. 2. Euagrii, contendit annos Antiochenorum inivisse ab ipsorum mense Dio, seu Iatino- rum Novembri. Atque hæc plane sunt de initio anni apud Antiochenos inter Scriptores variæ pugnantæque sententiæ. Has antequam discutio, adverto Romanos non idem habuisse initium annorum civilium, ac annorum Epochæ, qua Fastos suos sub- signabant. Nam annum civilem post Nume ordinationem, a Kalendis Januariis auspicabantur; annos tamen Æræ ab urbe condita inibant ab ante diem XI Kal. Majas, qui erat Natalis ur- bis Romæ. Hac Epochæ in Fastis triumphalibus Capitolinis de- signantur anni Romanorum Magistratuum, ac triumphorum, & Gruteri pag. 300 anni quibus plerique in collegia cooptati fue- runt; eaque passim Romani Scriptores utuntur. Ceterum ob- servo populos, qui novas Epochas induxerunt, earundem annos ab eodem initio duxisse, a quo annos suos civiles antea ordieban- tur. Cum Alexandrini annos Augustanos seu Epocham anno- rum in honorem Augusti instituerunt, eosdem a primo die men- sis Thoth, a quo annum civilem inchoabant, auspicabantur, uti testatur Cenforinus cap. 21. de die Natali. Rursus cum Diocletia- nus Augustus Achilleum, qui in Ægypto tyrannidem aliquot an- nos

nos exerceuerat, devicisset, iidem Alexandrini Æram ab imperio Diocletiani, ut hunc sibi mitiorem redderent, instituerunt, cuius pariter annos a prima die Thoth ineundos iusserunt; quamvis imperium Diocletiani anno Christi 284 cœpisset juxta Alexandrinis die 24 mensis Athyr, sive 20 Novembris apud Romanos. Ita illi imperium Diocletiani ab ineunte Thoth inchoarunt, id est, tertio mense ante initium principatus Diocletiani; nempe ut novæ Epochæ idem, quod & anni civilis, exordium esset. Censorinus loco laudato vocat annum, quo illa scribebat, *Augustarum*. CCLXV, perinde ex Kal. *Januarius*; quamvis ex A. D. XVI Kal. *Februarii* Imperator *Cæsar D. F.* sententia *L. Munatii Planci*, a *Senatu ceterisque civibus Augustus appellatus est*. Itaque cum *Cæsar Octavianus Augusti* titulum obtinuit, Romani ob honorem ejusdem Epocham *Augustarum* instituerunt, cuius tamen anni inibant a Kal. *Januarii* una cum veteri eorundem anno civili. Nec secus in Syria a diversis populis factum est. Nam cum hi ab autumno annum civilem inchoarent, ab eadem pariter anni tempestate novas Epochas, quas priori Seleucidarum substituerunt, initas voluere. Imò iidem Syri initium annorum Seleucidarum posteriori ætate, sicut & annorum civilium Kalendis Septembris aut Octobris affixerunt, ut postea hic expono. Hoc etiam peculiariter de Tyriis ac Gazensibus suo inferius loco mihi demonstrabitur. Hinc colligo ipsos quoque Antiochenos, qui antea Æram Seleucidarum usi fuerant, cum ob autonomiam a Pompejo acceptam, vel eandem Dictatoria *Julii Cæsaris* lege amplioribus privilegiis auctam, novas Epochas invexerunt, harum initium a primo die civilis sui ipsorum anni deduxisse.

Ex his refellitur opinio superius recitata, quæ annos Epochæ Antiochenorum a mense Artemisio sive verna tempestate initos affirmabat. Nam cum ex nummis Tripolitarum aliarumque in Syria urbium demonstraverim Æram Seleucidarum ab autumno cœpisse, ab eadem pariter tempestate Antiocheni annos suos civiles auspicabantur, quod ipsum initium fecere annis novæ ab ipsis substitutæ Epochæ Cæsariæ. Ut vero Commageni suis in nummis Scorpionem obsignabant: ita Antiocheni arie-

arietem, cujus utriusque symboli originem alii divinent; cum plane constet ariete in Antiochiæ nummis non indicari ejusdem annos verna tempestate ineuntes. Nam Joannes Malela Antiochenus in libris Chronicorum superiori capite mihi laudatis scribit, Julianum Apostatam occisum fuisse *anno urbis Antiochie CCCCXI, die 26 Dasu, sive Junii*. Contigit nex ejusdem A. V. Romæ 1116, Christi 363, die 26 Junii. Cum Epochæ Antiochenorum inierit A. V. Romæ 705, annus abhinc CCCCXI concurret cum A. V. Romæ 1116; cumque adhuc die 26 Junii numeretur Malelæ annus decurrens Antiochenorum 411, neutiquam verno tempore novus Antiochiæ annus inibat. Eadem opinio ex Euagrio ac Chronico Alexandrino confutatur. Nam ibidem locis superiori capite laudatis legimus, Justinum creatum fuisse Imperatorem *die nono Panemisi sive Julii juxta Romanos anno Antiochenorum quingentesimo sexagesimo sexto*. Justinus imperium accepit anno Christi 518, qui fuit urbis Romæ 1271. Si anni Epochæ Antiochenorum a verno tempore inissent, annus eorundem 566 exiisset circa ver A. V. 1271, Christi 518. Quare cum memoratis Scriptoribus die 9 Julii ejus anni, adhuc labens numeretur annus Antiochenorum 566, neutiquam a verna, sed ab autumnali tempestate iidem anni inchoabantur. Julianus in Misopogone Antiochenos alloquens, ait: *Decimo fere mense, ut vos numeratis (is opinor Lous a vobis dicitur) patrium est festum hujus Dei, & magno studio ad Daphnen concurritur*. Si Lous erat apud Antiochenos *decimus mensis* in anno ipsorum, annum ab autumno incipiebant; Lous enim est quartus mensis a mense verno Artemisio; idemque cum Augusto Romanorum componebatur. Auctor Chronici vulgo Alexandrini scribit Constantium Imperatorem obiisse *mensē Dio, seu Novembri, die tertia, anno Antiochenorum quadringentesimo decimo, Indictione V, cum Ecclesia pacem quinquaginta annos habuisset, dictis Coss. Tauro & Florentio*. Hi consules & Indictio V, a Septembri inchoata, signant annum Christi 361, urbis Romæ 1114. Si anno Urbis Romæ 705 addas annos Antiochenorum 409, horum postremus exiit A. V. 1114. Cum vero eo anno die tertia Novembris numeraretur annus Antiochiæ CCCCX, annus ibidem novus

ab autumnno incipiebat, cujus initium per eam anni tempestatem diversis mensibus a viris doctis adscribitur, neque hactenus quicquam certi hac de re demonstratum est; quamvis enim Euagrius sapius annos Epochæ Antiochenorum appellet, illorum initium ejusdem Euagrii, quod mirere, testimonio ab eruditis a diversis mensibus colligitur.

Euagrius lib. 2 hist. Eccles. cap. 12 narrat *anno secundo imperii Leonis* Antiochiam horrendo terræ motu vastatam fuisse, *anno quingentesimo sexto Antiochenorum, decimo quarto die mensis Gorpiaz, quem Romani Septembrem vocant, circiter horum noctis quartam*, κυρίας ἐπικαλεσαμένης ἡμέρας τὴν ἐνδεκάτην ἐπνέμῃσιν τῇ κύκλῳ &c. quæ Græcæ verba priores interpretes omiserunt; sed recte a Valesio Latine restituuntur: *imminente die Dominico, undecima Indictionis*. Scaliger in notis Eusebianis num. 1969 huncce terræ motum refert ad annum Christi 458, quod etiam antea scripserat lib. 3 Canon. Isagogic. pag. 295, ubi ait: *Euagrius scribit anno Antiocheno DVI Septembris XIII, die Dominica, ingentem terræ motum contigisse*. Hunc annum ait fuisse Christi 458, quo sane, inquit, *XIII Septembris fuit dies Dominica, Cyclo Solis XIX*. Rursus ex caractere Indictionis undecimæ hoc ipsum colligit, scribens: *Partire DVI per XV, remanebit Indictio XI*. Hinc concludit Euagrii testimonium munitum esse *duobus certissimis caracteribus*, Cycli Solis XIX & Indictionis XI. Scaligerum sequuntur perpetuus alias ejusdem hostis Petavius part. IV Rationarii lib. 3 cap. 14, & lib. X doctr. Temp. cap. 62, Valesius in notis ad eundem locum Euagrii, ac Baronius in Annalibus ad annum Christi 458, ubi etiam advertit, die 14 Septembris ejus anni numeratum fuisse annum secundum imperii Leonis, quo idem Euagrius scribit eum terræ motum contigisse. Etenim Marciano Augusto vita defuncto pridie Kal. Februarias A. Christi 457 Leo ad imperium evectus fuit, ut ait Auctor Chronici Alexandrini, *mensē Peritio, VII Idus Februarii, Constantino & Rufo Coss.* Verum duo illi chronologici characteres diei Dominicæ ac Indictionis XI, quos Scaliger certissimos indices diei XIII Septembris anni Christi 458 pronuntiavit, annum superiorem 457 aperte designant. Euagrius scribit illum terræ

terræ motum contigisse *hora quarta noctis*, κυρίας επικαλαλαβύσης
 ἡμέρας, nempe, sicuti recte Valesius interpretatur: *imminente die*
Dominico, qui videlicet post duas horaserat adfuturus. Itaque
 terræ motus accidit in exitu Sabbati, anno Christi 457, Cyclo Solis
 XVIII, lit. F. Nec alium diem indicat vox illa Græca επικαλαλα-
 βύσης apud Euagrium. Nam Herodianus lib. 6 cap. 4 de Impe-
 ratore Alexandro Severo, contra Persas expeditionem suscipien-
 te, scribit: καλαλαβύσης δὲ τῆς ἀρισμένης ἡμέρας &c. τῆς ῥώμης
 ἀπῆρην: *Adveniente præsinito die &c. Roma profisciscitur.* Et lib. 1
 cap. 15 ἐπεὶ δὲ κατέλαβον αἱ τῆς θεᾶς ἡμέραι, τὸ μὲν ἀμφιθέατρον
 πεπλήρωτο. *Ubi autem spectacula dies adfuit, amphitheatrum reple-*
tum fuit. Dionysius Halicarnassensis lib. 10 pag. 680 ait: ἐπεὶ δὲ
 κατέλαμβανεν ὁ τῶν ἀρχαιρεσιῶν καιρὸς, ἐκκλησίαν συναγαγόντες. *U-*
bi Comitiorum tempus advenit, convocata plebe &c. Et in Lexicis
 καλαλαμβάνω Latine vertitur *advenio*; επικαλαλαμβάνω, *super-*
venio. Illa enim præpositio ἐπὶ verbis adjuncta, eorundem vini-
 sequitur, & intendit, uti Moscopulus docet in tract. de ratione
 examinandæ Orationis pag. 32, & eadem voce ἐπὶ consequentia ac
 successio temporis significatur. Ita λέγω Latinis est *orationem*
habeo, concionor, dico, &c. & ἐπιλέγω, *dictis postea addo, subjungo,*
&c. unde *epilogus* vox Latine donata, partem postremo orationis
 advenientem exprimit. Quamvis vero in laudatis Herodiani &
 Dionysii testimoniis voces καλαλαβύσης, & κατέλαμβανεν non
 designent diem futurum, sed qui jam tum advenisset, ibidem ta-
 men significant diem, qui tum primum advenerat, non qui jam
 erat in exitu. Idem Herodianus lib. 7 capite 2 de Maximino, bel-
 lum contra Germanos gerente, ait: χειμῶν ἥδη καλαλαμβά-
 νοι, ἐπανήλθεν εἰς Παίονας: *Adveniente hieme, sive ut verit Po-*
litianus, instante hieme, reversus est in Pannoniam. Quare voce
 καλαλαμβάνοι non finis hiemis deficientis, sed initium jam-
 tum advenientis indicatur; verbum enim καλαλαμβάνω usurpa-
 tur ad significandam rem, quæ tum primum incœpit, vel quæ pro-
 xime statim incipiet. Itaque cum Euagrius scribat, motum illum
 terræ contigisse *hora quarta noctis* κυρίας επικαλαλαβύσης ἡμέρας,
 vertenda sunt: *adveniente, sive imminente die Dominica*, ita ut i-

bidem designetur dies Dominica post duas horas adventura, non post duas horas desitura, die Lunæ sive feria secunda illam excipiente; siquidem dixisset Euagrius: κυρίας επικαλαβύσης ημερας, *desinente die Dominica*. Et sane idem historicus pro latina voce, *venire* Græce scribit καλαλαβεῖν lib. 3 cap. 6 & alibi. Quare επικαλαλαβεῖν eidem est *supervenire*, sive *advenire*. Ex his inferitur, characterem diei Dominicæ advenientis designare loco laudato. annum Christi 457, quo die decima quarta Gorpizi sive Septembris circa horam quartam noctis jam cadente, ac post duas horas Dominica die, Gorpizi decima quinta adventura, Antiochia ingenti illo terræ motu concussa fuit. Cum vero idem annus dicatur Æræ Antiochenorum DVI, patet annos eosdem a Kalendis Septembris ab Antiochenis juxta Euagrium initos fuisse. Nam ab autumno A. V. Romæ 705, quo cœpit Epocha Antiochiæ, annus abhinc quingentesimus quintus exiit circa autumnum A. V. 1210, qui fuit Christi 457, Constantino & Rufo Coss. Quare si eo anno die 14 Septembris, Sabbato, numerabatur annus Antiochenorum 506, hic paucos ante dies, nempe Kalendis ejusdem Septembris, seu prima die Gorpizi initium habuerat.

At nec alter character Indictionis XI Scaligeri ac sequacium opinionem suffulcit, sed eandem prorsus evertit. Etenim Indictio non inibat id temporis die 24 Septembris, ut Panvinius alique vulgo ob Bedæ testimonium credidere, sed una cum Kalendis Septembris nova quotannis Indictio inchoabatur. Hoc mihi inferius postea probabitur Dissert. 4 cap. 4. Unum hic laudabo S. Ambrosium, qui in lib. de arca & Noe cap. 17, cum dixisset annum a Martio seu Nisan Hebræorum inchoari, ait: *Septimus autem mensis secundum numerum is, qui September dicitur, computatur; quia etsi a Septembri mense annus videatur incipere, sicut Indictionum presentium usus ostendit &c.* Ita initium Indictionum, ab initio Septembris deducit. Sed clarius sententiam explicat in epistola Paschali ad Episcopos per Æmiliam, scribens: *Hic autem mensis & primus est secundum Aegyptiorum proventum & secundum legem; & octavus secundum consuetudinem nostram. Indictio enim Septembri mense incipit. Octavo igitur mense Kalenda Aprilis*

prilis sunt. Loquitur ibi de mense Paschali, cujus dies ultimus juxta Aegyptios est trigessimus, ut ibi ait, Pharmuthi, *boc est, septimo Kal. Maji.* Cum Ambrosius vocet mensem Paschalem octavum ab anno inchoato cum nova Indictione mense Septembri, consequens est, ut annus Indictionis coeperit Kalendis Septembris; etenim si exordium habuisset die 24 Septembris, septimus mensis annus ab Indictione nova initi exiisset die 23 Aprilis, ac proinde octavus mensis, qui Paschalis ab Ambrosio dicitur, duobus tantum diebus exceptis, ultra terminum Paschalem excurrens, cum Majo copularetur. Quare cum annus novus a nova incunte Indictione inchoetur, ac totus September primus mensis sit anni ab Indictione deducti, Indictio Kalendis Septembris exordium sumebat. Videbis plura inferius loco appellato, ubi ex veteri Inscriptione ac Synodorum testimoniis ostendo, etiam ante Justiniani imperium Indictiones coeptas numerari ipsis Kalendis Septembris. Jam vero anno Christi 457 Indictio X exierat pridie Kalend. Septembris, ac proinde die 14 Septembris, sive Gorpizi Antiochenorum, Indictio XI numerabatur; anno vero proximo Christianæ Epochæ 458, eadem die 14 Septembris, Indictio XII decurrebat. Cum autem terræ motus inciderit die 14 Septembris, labente Indictione XI idem contigit anno Christi 457, ac proinde duo chronologici characteres, quibus Euagrius annum ejus ruinæ designat, eandem figunt in anno Christi 457, simulque ostendunt annum Antiochiæ urbis 506 a Kalendis Septembris ejusdem anni incœpisse. At hæc omnia idemmet Euagrius turbat scribens illum annum fuisse secundum imperii Leonis. Equidem ibidem testatur ruinas, quas ob eam terræ concussionem passa est Antiochia, *accurate a Johanne Rhetore* narratas, quem lib. 4 cap. 5 scribit historiam deduxisse usque ad alium ejusdem urbis terræ motum, qui contigit Justino imperante, die 29 Maji A. Christi 526. Cum vero Euagrius apud eundem Scriptorem legisset annum terræ motus laudatis characteribus Chronologicis designatum, de suo errando, addidit fuisse annum alterum imperii Leonis, cum prior dicendus fuisset, uti vetusti Scriptores diserte testantur. Cedrenus res imperii Leonis describens, ait: τῷ πρώτῳ

ἔτει σεισμὸς ἐγένετο ἐν Ἀντιόχειᾳ. *Anno hujus primo fuit terra motus Antiochia.* Sanctus Martyr Theophanes in Chronico pag. 95 edit. regiae, cum scripsisset Leonem Augustum mense Februario Indictione X ab Anatolio Patriarcha coronatum fuisse, ait: *Hoc anno maximo terra motu facto, tota fere civitas corruit.* Indictio X mense Februario decurrebat anno Christi 457, quo Theophanes memoratam Antiochiæ cladem recitat; quamvis mense Septembri Indictio XI incœperit.

Cum ex libris Jacobi Vsserii, scriptoris accuratissimi ac diligentissimi, cognovissem in Bibliotheca Oxoniensi servari libros Chronicorum Joannis Malelæ Antiocheni, spem concepi fore, ut inde plura, quæ mihi usui essent, intelligerem. Quædam quæ ad hoc, in quo versor, argumentum pertinent, testimonia Græce ex laudatis Malelæ Chronicis exscripta obtinui, operam mihi per amicos commodante Francisco Terrieso, quem honoris causa nomen. At longe plura procuravit amicorum officiosissimus Nicolaus Toinardus datis literis ad Vuillelmum Loidum, virum in re Chronologica facile principem, qui ab Henrico Doduvello editis dissertationibus Cyprianicis eruditis quibusque notissimo, Latine descriptam syllogen impetravit omnium locorum, in quibus Malela Epocham Antiochenorum appellat; illamque ad Toinardum misit, addita doctissima epistola, in qua suam de Gorpixo primo anni Antiochenorum mense sententiam exponit. Hæc autem in Malelæ Chronicis leguntur: *Ἐν δὲ τῇ βασιλείᾳ Λεόντος ἑπαθὲν ὑπὸ Θεομηνίας Ἀντιόχεια ἡ μεγάλη τὸ τέταρτον αὐτῆς πάθος, μὴνι Σεπτεμβρίῳ ιγ', διαφανύσης κυριακῆς, ἔτῃς καὶ τὴν αὐτὴν Ἀντιόχειαν χρηματίζοντι Φς', ἐπὶ τῆς ὑπαλείας Πατρικίῃ: Imperante autem Leone, divina ira vicissitudinem quartum passa est Antiochia magna, Septembris XIII, die Dominica illucescente, Anno Aerae ejusdem Antiochie quingentesimo sexto, sub consulatione Patricii.* Hæc Malela, cujus Chronicorum libri ante exitum imperii Justiniani definunt. Nullus vero dubito, quin loco memorato designet terræ motum Euagrio recitatum, quocum tamen in pluribus discordat. Nam Euagrius eundem terræ motum *sextum* vocat, ut recte vertit Valesius; at Malela *quartum* appellat. Rursus dis-

crepant

crepant in die atque hora ejus cladis. Euagrius enim dicit illam contigisse die XIV Septembris, hora noctis quarta, imminente die Dominica. Malela ait accidisse die XIII ejusdem mensis, sub auroram diei Dominicæ, Consule Patricio. At Patricius Consul in Fastis signatur anno ab urbe Roma condita 1212, Christi 459, quo sane anno dies XIII Septembris fuit Dominica, Cyclo Solis XX, lit. D. Uterque tamen Scriptor illum terræ motum referunt ad annum Antiochenorum DVI, cui tamen characteres chronologici feriæ ac consularum a Malela positi neutiquam conveniunt. Nam annus 506 Æræ Antiochenæ exiit per autumnum A. V. Romæ 1211, Christi 458. Itaque cum a vetustioribus historicis ea clades recitata fuisset anno DVI Antiochenorum, falsas postea notas feriæ ac consularum de suo addidit Malela. Hinc quispiam suspicari posset a Joanne Rhetore, qui illum terræ motum accurate descripsit, designatum fuisse annum 506 Æræ Antiochenæ ac secundum imperii Leonis, diemque XIII Septembris, quibus characteribus indicatur A. V. Romæ 1211, Christi 458. Euagrium vero notas feriæ atque Indictionis XI perperam adposuisse, quibus ille casus ad annum Christi 457 retrahitur. Euagrius etiam alterum ibidem errorem admittit. Nam scribit terræ motum qui, præsentente Antiochiæ Trajano Augusto, eandem urbem magna ex parte dejecit, contigisse anno Æræ Antiochenæ, sive ut ille loquitur, τῆς αὐτονομίας centesimo quinquagesimo nonο, a qua ruina ad aliam sub Imperatore Leone annos numerat trecentos quadraginta septem. At Malelæ dicitur prior ille terræ motus accidisse anno Antiochenorum CLXIV, Apellæ seu Decembris die XIII, feria prima post Galliniciu. Dio scribit Trajanum, qui tunc apud Antiochiam hiemabat, eadem ruina pene oppressum fuisse; qua tamen eidem dicitur elisus Pedit consul, qui una cum L. Vipstano Messala in Fastis signatur A. V. 868, Christi 115. Cum autem Epocha Antiochenorum inierit ab autumno A. V. 705, annus ejusdem 164 iniit ab autumno A. V. Romæ 868. At omnes recitati characteres chronologici, videlicet anni Antiochenorum, mensis Apellæ, ac feriæ primæ apud Malelam in mendo cubant. Nam cum Dionidicatur M. Vergilianus Pedit Consul memorati terræ motus ruinis

nis oppressus, id neutiquam accidit mense Apellæo sive Decembri A. V. 868, Christi 115. Etenim hoc anno mense Decembri Imperator Trajanus non erat Antiochiæ, sed longe procul in Assyria. Cum enim Dio recitasset periculum Trajani tempore ejusdem terræ motus apud Antiochiam *χειμὰς ὄντος*, *hiemantis*; narrat postea eundem *vere ineunte*, Tigri superato, Adiabensem provinciam, ac regias Assyriæ urbes Babylonem ac Ctesiphontem occupasse, ac Messenem etiam rege Athambilo cedente cepisse; dein scribit: *atque in his locis propter vim hiemis & rapidum Tigrim, æstusque maris in magnum periculum venit.* Itaque per hiemem quæ cœpit post autumnum anno Christi 115, urbis Romæ 868, Antiochenorum 164, Trajanus in Assyria bellum gerebat circa Messenem, cujus etiam regionis meminit Plinius lib. 6 cap. 27, ac proinde mense Decembri ejus anni non fuit Antiochiæ. Sed nec ille terræ motus contigit mense Decembri anno superiori urbis Romæ 867, Christi 114, quia id temporis nondum Peto erat consul, quem magistratum iniit Kalendis Januariis anni Christi 115, V. C. a parilibus 868. Hinc ex Pedonis Consulibus morte patet eum terræ modum contrigisse eodem anno Christi, antequam inito vere, Trajanus in Parthos moveret. Denique falsa est etiam nota feriæ primæ. Nam dies XIII Apellæi, imperante Trajano, annis tantum Christi 100, deinde 106, incidit in feriam primam. At anno Antiochenorum 164, Christi 115, dies XIII Apellæi fuit feria V, Cyclo Solis XII, lit. G. Quare ille terræ motus contigit intra tres priores menses anni Christi 115, Antiochenorum 163. Ex his iterum patet characteres feriæ non semel minus certas esse annorum notas, quod a posterioribus Scriptoribus perperam additi fuerunt; cujus cetera inter exempla etiam occurrunt in libro Eusebii de Martyribus Palæstinis. Cum ergo terræ motus sub Trajano contigerit anno Æræ Antiochenæ 163, nempe, uti dixi, A. V. Romæ a parilibus 868, Christi CXV, annus ab hoc trecentesimus quadragesimus tertius fuit Antiochenorum quingentesimus sextus. Si annus Antiochiæ tempore Euagrii inibat Kalendis Septembris, terræ motus sub Leone contigit mense Septembri A. Christi 457, sub initium anni Antiochenorum 506. At si annus Antio-

Antiochenorum inchoabatur Kalendis Octobris, idem terræ motus eam urbem vastavit anno Christi 458, Urbis Romæ 1211, exeunte anno Antiochenorum 506.

Et quidem eam telluris concussionem statuendam esse post annum Christi 457, probare quispiam posset ex catalogo Antistitum Antiochenorum descripto a S. Nicephoro Patriarcha Constantinopolitano. Hæcibi leguntur: XXXIX. *Damnus in altera Synodo Ephefi: Annis octo. XL. Maximus, qui præsens in Synodo Calchedonensi, qua quarta nominatur. Hic expulsus fuit post lapsum: Annis quatuor. XLI. Basilus: Annis duobus. XLII. Acacius, quo præsidente urbs corruit: Anno uno. XLIII. Martyrius: Annis tredecim &c.* Itaque teste Nicephoro Patriarcha, terræ motus accidit Antiochiæ eo anno, quo solo ejusdem urbis sacris post mortem Basilii, Acacius præfuit. At certum est Basilium proximum Acacii decessorem, sub initium anni Christi D. 458, adhuc fuisse superstitem. Nam Imperator Leo *pro tomo Calchedonensi encyclicas ad omnes Metropolitans misit* semet & Majorano Augustis Coss. A.C. 458, Indictione XI, ex Marcellino in Chronico, quæ literæ recitantur 3 part. Synodi Calchedonensis num. XXI, ubi in titulo nominantur Episcopi, ad quos illæ literæ missæ sunt, & eos inter legitur: *Basilio Episcopo Antiochia Syria.* Has vero epistolas hyemali tempore ad Metropolitans pervenisse testantur in rescriptis Agaperus Rhodiorum num. XLV & Lucas Dyrrachii Archiepiscopi. Verba hujus sunt: *Et maximam propter hiemis vebementiam nostri solemniter curam habentes, præcipitis ut singuli nostrum in regione propria de præsentibus rebus suam debeant proferre sententiam.* Hæc autem fuit hiems, qua labente, iniit annus Christi 458. In eadem autem tertia parte Synodi num. 33 recitantur literæ Episcoporum Syriæ primæ, quas primo loco totius Orientalis diœceseos Patriarcha *Basilus Episcopus Antiochenus* subscribit. Extat etiam apud Euagrium lib. 2 cap. 10 epistola Simeonis sanctissimi prope Antiochiam Monachi, vulgo Stylitæ, ad eundem Basilium Patriarcham, in qua ait se Leoni Augusto rescripsisse pro defendenda Synodo Calchedonensi. Etenim Leo Imperator encyclicas literas etiam eidem Simeoni Stylitæ miserat, uti ex laudata

E e inscri-

inscriptione num. XXI intelligimus, in qua post nomina Episcoporum legitur: *Symeoni Monacho*. Quod vero Imperator Metropolitae ac reliquos pariter Episcopos sententiam rogaverat de ordinatione Timothei Patriarchae Alexandrini, tum Basilii, tum etiam ceteri Episcopi in eisdem synodalibus literis ad Leonem, Timothei ordinationem irritam pronuntiarunt. Cum vero sub initium imperii Leonis anno Christi 457. die solemni coenae Dominicae ante Pascha, nempe die 28 Martii occiso S. Proterio Patriarcha Alexandrino, Timotheus Elurus eandem sedem occupasset, palam colligimus laudatas Synodicas Basilii aliorumque Patrum contra Timotheum scriptas fuisse labente hieme, qua Kalendis Januariis Consules processere Imperatores Leo & Majorianus, anno Christi 458. Itaque cum constet initio hujus anni Basilium adhuc sedisse Episcopum Antiochiae, ac ex Nicephoro Patriarcha terrae motus Antiochiam laceraverit eo anno, quo unico Acacius sacra Antiochenae Ecclesiae administravit, colligimus eam cladem contigisse mense Septembri, anno secundo imperii Leonis, qui fuit Urbis Romae 1211, Christi 458. Hinc Euagrius ordinem temporum secutus, memorat prius encyclicas Leonis, ac rescripta Episcoporum ad eundem, ac postea cap. 12. recitat memoratum terrae motum, initio narrationis a tempore ducto: *Secundo anno imperii Leonis &c.* qui annus alter decurrebat mense Septembri A. Christi 458, qui cum eidem Euagrion ac Malela numeretur Aerae Antiochenorum 506, consequens fit, ut anni ejusdem Aerae inierint a prima die Hyperberetæi sive Kalendis Octobris. Quare sicuti Malela eidem anno adposuit falsos characteres *Dominica illucescentis*, ac *consulatus Patricii*; ita suspicari etiam possumus Euagrium falsas itidem notas *Dominica imminens*, ac *Indictionis XI* de suo addidisse. Nusquam tamen nisi in eo Nicephori catalogo mentio occurrit Acacii Episcopi Antiocheni inter Basilium & Martyrium; nisi quod Victor Tunnonensis in Chronico ait: *Antiochena Ecclesia post Alexandrum Martyrium, & post Martyrium Julianus ordinatur Episcopus*. Quem Nicephorus Acacium, Victor Alexandrum vocat. Theophanes vero & Euty chius Alexandrinus proximum Basilii successorem Martyrium suis

fuis in Annalibus recitant. Haud vacat prolixius de his disputare; cum mihi satis sit ostendisse varias esse Scriptorum de anno ejus terræ motus Antiocheni sententias, ac proinde minus certas reddi notas chronologicas, quæ etiam apud Euagrium non omnes sibi invicem correspondent, ut plane inde haud possimus certo colligere mensem quo primum annus Antiochenorum inierit.

Alter apud eundem Euagrium locus extat, in quo iterum mensis September cum anno Epochæ Antiochenorum conjungitur. Nam lib. 4. cap. 4. de Severo hæretico Antiochiæ Episcopo scribit: *Severus mandato Justiniani primo imperii ipsius anno prebensus, pœnas dat &c.* Narrat ab Irenæo magistratum ibidem gerentē, Severum jussu Imperatoris, sub libera custodia detentum, ne alio fugam arriperet; qui tamen elusis custodibus, clam evadens, conscensa apud Seleuciam nave, Alexandriam transmisit, uti scribit Liberatus Dāconus cap. 19. Breviarii. Porro Euagrius tempus fugæ Severi hisce indicat: *Ex sua vero Episcopali sede fugit Gorpiaz mense, quem Romani Septembrem vocant, anno quingentesimo sexagesimo septimo urbis Antiochiæ.* Justinus imperium accepit die nona Julii, sive decima insequenti, uti c. 4. ex libro de vita S. Sabæ prænotavi, anno Antiochenorum DLVI, teste ibidem Euagrio cap. 1. Ille autem annus Antiochenorum usque ad autumnum, concurrebat cum anno Urbis Romæ 1271, Christi 518 Florentio & Magno Coss. Si annus Antiochenorum inibat una cum Septembri, quo mense Severus fugit, hujus fuga contigit anno Christi 518, quia anno sequenti, eodem recurrente Septembri, numerabatur annus secundus imperii Justiniani initus die 10 Julii. Si vero illorum annus inchoabatur Kalendis Octobris, fuga Severi protrahenda est ad Septembrem anni Christi 519. Baronius ad hunc annum eandem refert, ut & Valesius in notis ad Euagrium. Et quidem Baronius cum prænotasset scribi ab Euagrio Justinum creatum fuisse Imperatorem mense Julio, anno Antiochenorum 566, & Severum Antiochia fugisse anno eorundem 567 mense Septembri, ait: *ac proinde ubi dicit id primo Justiniani anno factum, constat ipsum quidem exactum numerasse annum, cum ipsius sententia.*

liqueat id accidisse secundo ipsius Principis anno. Vir magnus non observavit primum annum Justiniani per duos aut tres tantum menses priores ab initio imperio, cum anno Antiochenorum 566 componi, reliqua majori parte ejusdem anni primi imperii cum anno Antiochenorum 567 decurrente; siquidem per autumnum veteri exeunte, novum annum Antiocheni auspicabantur. Valesius quod horum annum cœpisse putat a mense Dio sive Novembri, fugam Severi refert ad annum Christi 519. Itaque inquirendus est annus quo Severus Antiochia fugit.

Vix Justinus Catholicus Imperator die 10 Julii, anno Christi 518, in Anastasii hæretici locum successerat, cum sexta postea die, Dominica, videlicet decima quinta Julii, coram Joanne Patriarcha ac Clero Constantinopolitano, in magna Basilica ab universo populo acclamatum est: *Multi anni Imperatoris. Justine Auguste, tu vincis. Synodum Calchedonensem modo pradica. Justinus regnat; quem times? Severum Manicheum foras ejice. Synodum Calchedonensem modo pradica. Qui non anathematizat Severum, Manicheus est;* quibus similia sæpius ibidem populus repetivit, uti legitur tom. V Concil. edit. ult. in Act. V Synodi C. P. sub Menna Patriarcha. Et quidem *per plures horas* tanta contentione populus eadem conclamabat, ut diceret: *Non exibis, nisi anathematizes Severum; anathema Severo aperte die &c. Non recedimus per sanctum Evangelium.* Hinc Joannes Patriarcha una cum plurimis, qui aderant, Episcopis, anathema contra Severum pronuntiavit. Hæc eo die gesta sunt. Cum vero die proximo insequenti idem Joannes Patriarcha cum Episcopis ac populo ad Ecclesiam convenisset, iterum ab eodem populo conclamatum est: *Justine Auguste, tu vincis. Euphemia Augusta, tu vincis. Eos qui sunt in exilia propter fidem, Ecclesia restitue &c. Severum Judam ejice foras &c. Novum Tzumam ejice foras. Novus Tzumus Amantius est. Nugatorem ejice de palatio &c.* Tum Patriarcha, cum dixisset: *Omnes enim acclamationes vestras ipsius Severitati aperiemus,* per Diaconum inter sacra quatuor Synodos ac S. Leonis Papæ nomen in Diptychis recitans, populo satisfecit. Deinde die 20 Julii, quæ fuit ejusdem hebdomadis feria VI, diversarum
pro-

provinciarum Metropolitæ ac alii inferiores Episcopi numero omnes XLIII, Severum Antiochiæ hæreticum Antistitem condemnarunt, *eundem omni honore, nomine, dignitate, & operatione, quæ Christiano aut sacerdotalis ordinis viro conveniat, vel convenire possit, privantes &c.* ut ibidem legitur pag. 167. At Justinus ubi primum acclamationes populi intellexit, Amantium Eunuchum sub Anastasio cubiculo præpositum, palatio ejectum, neci statim tradidit, uti ait Euagrius lib. 4 cap. 2, simulque Orthodoxos ab hæretico decessore in exilium deportatos, missis sacris, suis quosque oppidis restituit; idemque Vitalianum, qui pro Catholica religione contra Anastasium exercitum duxerat, in regiam delato magistratu militari vocavit. Joannes vero Patriarcha gesta in nupera Synodo contra Severum ad Metropolitam Tyri Epiphanium, ac ad Joannem Patriarcham Hierosolymitanum, aliosque de more transmisit. Epiphanius Tyri Metropoli acceperat Patriarchæ C. P. Synodicas, publice in Ecclesia coram provinciæ Episcopis recitavit die 16 Septembris. Tum universus populus in acclamationes erupit, quæ leguntur in memorata. Act. V Synodi C. P. sub Menna a pag. 203. Eas inter dixerunt: *Ejecit Severum Dei genitrix, qui turbavit Ecclesias.* Item: *Vitaliani Magistri militum multi sint anni.* Item: *Imperator jussit, ut dixit Synodus.* *Imperator jussit & tota Synodus.* Rursus: *Trinitas vicit, recessit Acephalus.* *Augustus vicit &c. Eamus, intremus; recessit Acephalus.* *Eamus, intremus; depositus est Acephalus.* Tandem post plurimas emissas voces, dixerunt: *Mortuus est Amantius rebellis Trinitatis.* Episcopi anathema promuntiârunt contra omnes hereticos, *præcipue autem impium & Dei impugnatorem Severum Acephalum & Manicheum.* Cum vero hæ acclamationes factæ dicantur anno Tyriorum 643, die 16 Septembris, Indictione XII, nempe anno Christi 518, inde plura scitu digna colligimus, videlicet Amantium paulo post diem 16 Julii occisum fuisse, ac Vitalianum in regiam a novo Augusto revocatum, Magistrum statim militum creatum fuisse. Præterea ex illis verbis: *Imperator jussit, ut dixit Synodus,* patet Justinum initio statim imperiî edictum emisisse pro recipienda Synodo Calchedonenſi, ac revocandis

iis, qui ob fidem Orthodoxam jussu Imperatoris Anastasii exulabant. Horum testis locupletissimus est Cyrillus c. 60 de vita magistri sui S. Sabæ: *Ceterum, inquit, sic defuncto Anastasio, statim* (Græce *αὐτοῦ καὶ*) *Justinus ubi imperium accepit, leges tulit, quibus jubebatur, ut omnes ab Anastasio pulsī revocarentur; item Synodus Calchedonensis sacris Diptychis infereretur. Qua Justinī jussu postquam Hierosolymam delata fuissent, infinita multitudo Monachorum & Laicorum congregata est; concurrit quoque S. Sabas & Episcoporum Concilium; celebratoque festo sexta Augusti mensis, promulgatae sunt divinae jussiones, & quatuor Synodi in sacris Diptychis repositae. Eisdem vero Episcoporum apud Hierosolyma Concilio Joannem, uti legitimum Eliæ successorem id temporis approbatum, præfuisse indicat idem Cyrillus proximo statim cap. 61 scribens: Tunc Archiepiscopus Hierosolymorum Joannes suadet sancto patri nostro Saba transire usque in Cesaream & Scythopolim cum aliis quibusdam eremi Hegumenis ad patefaciendas Imperatoris literas, & quatuor Concilia per urbes sacris Diptychis inferenda. Cum sacrae Imperatoris Justinī die VI Augusti, festo Transfigurationis Domini, Hierosolymis publicatae fuerint, eadem pariter literæ aliquot ante dies Antiochiam Syriæ urbem dubio procul delatae fuerant; unde fit, ut a Justino Augusto ante diem 20 Julii, qua Severus Constantinopoli in Synodo damnatus fuit, ac depositus, emissæ fuerint: quippe quæ Hierosolyma ante diem 6 Augusti mensis delatae fuerunt.*

Liberatus Diaconus cap. 19 Breviarii historiæ Nestorianorum & Eutychianorum scribit: *Mortuo Imperatore Anastasio, & Justino factō Imperatore, Severus a Vitaliano Magistro militum viro religioso & Orthodoxo accusatur, quod despiceret Imperatoris jussionem, & Synodum, videlicet Calchedonensem, non reciperet. Justinus Imperator misit Magistrīanum, ut Severus Constantinopolim adduceretur &c.* Addit Severum sibi metuentem, nocturna fuga evasisse Seleuciam, atque inde Alexandriam se contulisse. Et postea: *Ordinatusque est pro eo Archiepiscopus Antiochiæ Paulus Orthodoxus, suscipiens Synodum Calchedonensem.* Cum literæ Imperatoris de recipienda Synodo Calchedonensi, circa initium Au-

Augusti mensis Antiochiam pervenerint, sub exitum ejusdem mensis aut sub initium Septembris Vitalianus Severi contumacia intellecta, eundem apud Imperatorem accusavit; cum alias etiam Severo iratus esset, quod hic, uti refert Euagrius lib. 4 cap. 4, *in suis concionibus probra & contumelias in eum jecerat*. Ex his satis manifeste ostenditur Severum anno Christi 518 Antiochia fugisse, non vero insequenti 519, uti Baronius ac Valesius opinati sunt. Nam cum Severus ante exitum primi mensis imperii Justiniani, ejusdem sacrae sive edicto refragatus fuerit, qui fieri possit, ut Vitalianus jam Magister militum, ut ex recitatis Tyriorum acclamationibus patet, sive religionis zelum, quo dudum arma contra hæreticum Imperatorem induerat, sive acceptarum a Severo injuriarum ultionem, integro anno comprefferit, priusquam Imperatorem contra eundem concitaret? Joannes Malela Antiochenus in libris MSS. Chronicorum, ubi Imperatoris Justiniani tempora notat, ait: *Ejusdem, nempe Justiniani, anno primo Severus Patriarcha Antiochenus, Vitalianum fugiens, in Aegyptum se recepit, cujus in locum Patriarcha creatus est Paulus*. Euagrius laudatus superius loco notat fugisse *menſe Gorpiao* sive Septembri. At September anni Christi 519 pertinet ad annum secundum imperii Justiniani; unde cum Severi fuga anno primo principatus Justiniani a Malela Antiocheno & ab Euagrio, qui diutius Antiochiæ vixit, recitetur, idem Severus mense Septembri anni Christi 518 Antiochia Alexandriam evasit.

Præterea hoc ipsum demonstratur ex epistolis, quas Legati Apostolici anno Christi 519 ad Hormisdam Papam Constantino-
poli scripserunt. Illi quidem, ut ait Dioscorus unus legatorum in literis ad eundem Hormisdam, in regiam urbem pervenerant anno Christi 519 *ſeria ſecunda hebdomadis authenticæ*, nempe die 25 Martii, cujus die postremo contigit Pascha, Cyclo Solis XXIV, Lunæ VII, lit. F: ante quod festum Joannes Patriarcha subscripto Hormisdæ Papæ libello, ac Acacii Patriarchæ, simulque Zenonis ac Anastasii Imperatorum nominibus e sacris Diptychis erasis, pacem diu interruptam, cum Romana sede restauravit. Hæc omnia statim Legati Hormisdæ significarunt, datis ad eundem li-
teris,

teris, quæ leguntur post epist. 40 Hormisdæ, quarumve initium est: *Non miramur &c.* ubi etiam hæc scribunt: *Orate, ut Antiochenam quoque similis felicitas illustret Ecclesiam, de cujus Antistite adhuc tractatus mutare conspicitur, quoniam inter diversa vota populorum de persona electione non constat.* Ceterum tertium post menssem novum Antiochiæ Patriarcham creatum eidem Hormisdæ significarunt in epistola, quæ post 65 legitur, in qua iidem legati, *Post multas, inquit, afflictiones & pene in tres menses a patribus protracta certamina, piissimus Imperator sua auctoritate Paulum nomine Presbyterum de Ecclesia Constantinopolitana elegit Episcopum fieri in Ecclesia Antiochena, dicens inter alia & hoc testimonium de ipso, quia duobus annis in Antiochia positus, non mediocriter resistebat Severo hæretico.* Hæc vero epistola signatur: *Data III Kal. Julias.* At omnes Historici, qui hac de re scripserunt, Euagrius, Malela, Liberatus Diaconus, Theophanes, Zonaras, Cedrenus, aliique tradunt, post Severi fugam Paulum Antiochenæ Ecclesiæ præfulem designatum fuisse. Quare cum post trimestre fere certamen, circa exitum Junii anno C. 519, Pauli electio contigerit, Severi fuga referenda est ad Septembrem anni proxime præteriti 518.

Hoc ipsum ex tempore, quo Severus Antiochenæ Ecclesiæ incubavit, rursus ostenditur. Marcellinus in Chronico exordium Episcopatus Severi recitat Indictione VI Clementino & Probo Consulibus. Hinc Baronius Ecclesiastica gesta anno Christi 513 ab Antiochena cathedra a Severo occupata auspicatur, cui adhærens Valesius in notis ad Euagrium, scribit Severum ordinatum Episcopum anno Christi 513 mense Novembri, *quod, inquit, Indictione VII factum sit oportet.* Verum Euagrius ac Malela ad annum 512 initium Episcopatus Severi retrahunt. Ille enim lib. 3. cap. 33 narrat Severum eam Sedem occupasse *anno Antiochiæ urbis DLXI mense Dio, Indictione VI currentis tunc circuli*; Malela etiam in laudatis Chronicis MSS. refert id contigisse *μηνὶ Νοεμβρίου, 5', ἑπταχρονιαίῳ καὶ τὰς Ἀντιοχείας Φξ'α*: *mense Novembri, die sexta, anno juxta Antiochenos DLXI.* Annus Epochæ Antiochenæ 560 exiit ante Novembrem anno Christi 512, Urbis Romæ

Romæ 1265. Quare una cum Indictione VI inita Kal. Septembris, die sexta Novembris insequentis numerabatur annus *Æræ* Antiochenæ DLXI. Duo vero illa testimonia Joannis Malelæ civis Antiochiæ, ac Euagrii ejusdem urbis inquitini præferenda sunt Marcellino Latino Chronographo, licet nec iste oppositum scribat; siquidem ad Indictionem VI initam anno 512 Kalendis Septembris initium Episcopatus Severi refert; quamvis nota Consularis annum proximum designet. Addo his tertium testem Cyrillum Scythopolitanum in libro de vita S. Sabæ Abbatis. Scribit Sabam jussu Eliæ Patriarchæ ad Anastasium Imperatorem ex Palæstina profectum, benigne a Principe licet hæretico exceptum, quo plane tempore in ~~Placencia~~ apud Sidonem ab Eutychianis Episcopis Synodus habebatur. Tum narrat adveniente hieme, Sabam in regia urbe substitisse, ac in proximo suburbano rure Rufini vernal tempus expectasse. At vere jam adulto, inquit Cyrillus cap. 54, *ad Palæstinam enavigavit mense Majo quinta Indictionis*; nempe anno Christi 512. Hinc Synodus memorata apud Sidonem ad annum 511 retrahenda videtur. Addit post aliquot menses Severum Antiochenam Ecclesiam occupasse, ac Synodicas literas ad Eliam Hierosolymitanum scripsisse; *iterumque*, inquit cap. 56, *easdem Synodicas suas mense Majo sexta Indictionis mittit Hierosolymam &c.* Indictio VI mense Majo decurrens, est index anni Christi 513, quo mense cum Severus esset Antistes Antiochiæ, ejusdem inauguratio contigit anno superiori 512 die 6 Novembris. Jam vero Liberatus Diaconus cap. 19 Breviarii laudati de Severo scribit: *Sed ipse potitus est Episcopatu ejus*, videlicet Flaviani e sede Antiochena ab Imperatore Anastasio pulsi, *plus quinque annis*. Quare cum sacram Antiochiæ cathedram occupaverit die 6 Novembris anno Christi 512, inde recessit mense Septembri, anno 518, cum eandem tenuisset annos V ac menses decem. Si vero idem Antiochia fugisset mense Septembri anni insequentis 519, annis fere septem ea sede potitus fuisset.

In eadem Actione V Synodi C. P. sub Menna recitantur literæ Clericorum Antiochiæ ad Joannem Patriarcham Constantinopolitanum, in quibus narrant universo Romano Orbe ob re-

recens delatum Justino principi Orthodoxo imperium latante, solam Antiochenam Ecclesiam diuturniori luctu affligi, ob Severum omnem apud ipsos religionem conculcantem. Ibi vero plura ejusdem scelera recitantes, inquirunt: *Carceres enim adificat nunc, & in eos profunde multos detrudit.* Et paulo post: *Deprecamur vestram Sanctam Synodum, ut tandem aliquando sedetis marta, qua nostram Ecclesiam occupant, & totum fere Orientem, & ab isto nequissimo viro nos liberetis, exacta ab eo pœna eorum qua contra divinos canones & politicas leges fecit; ac denique rogant, ut relegati restituantur propriis civitatibus & ordinibus.* Nuperi Conciliorum editores tom. V pag. 158 hocce scholion ad latus laudatæ epistolæ ponunt: *Hanc epistolam clerici Antiochene Ecclesie ad Synodicam Concilii Constantinopolitani rescripserunt, anno Christi 518,* ubi appellant Baronii Annales. Et sane epistola in titulo dicitur scripta *ad Joannem Patriarcham & Synodum congregatam contra Severum.* Hæc tamen falsitatis redarguit ejusdem epistolæ lectio, in qua nihil de damnato apud Constantinopolim Severo scribunt, uti reapse fecerunt Epiphanius Tyri, & Joannes Hierosolymorum Antistites. Equidem ob depositum Severum gratias post Deum, Synodo C. P. retulissent. Cum vero rogent, ut Orthodoxi exules suis sedibus restituantur, patet eam epistolam, scriptam mense Julio exeunte, cum primum novi Principis Justinian electionem intellexerunt, uti initio statim literarum produnt; siquidem uti prænotabam, die 6. Augusti Imperatoris literæ de revocandis ob fidem exulibus, in Synodo apud Hierosolyma promulgatæ fuerunt. In Græco textu eadem cleri Antiocheni literæ inscribuntur *δέησις*, nempe *supplicatio*, sive *deprecatio ad Joannem Patriarcham καὶ τὴν ἐνδημῶσαν σίνωδον, κατὰ Σευήρον: & Synodum præsentem, contra Severum.* Cum enim in regia urbe plurimi Episcopi ob civilia ac Ecclesiastica negotia ad Comitatum profecti, quoquo tempore reperirentur, ac non semel ob difficiles quasdam causas subinde intercurrentes, a Patriarcha in consilium vocarentur, ut quod e re Ecclesiastica foret, eorundem suffragiis decerneret, Græci hæc extemporaneas Synodos vocarunt *ταὶς ἐνδημῶσας* vel *ἐνδημῶσας*, id est, *præsentēs*; nempe ex tunc

tunc forte fortuna presentibus Constantinopoli Episcopis congregatas. Hinc in titulo ibidem legendum est: *Supplicatio clericorum & monachorum Antiochie ad Joannem Patriarcham & Synodum presentem, contra Severum*; ut *supplicatio* contra Severum, non autem Synodus jam contra eundem coacta dicatur. Si enim lata a Synodo contra Severum sententia illis innotuisset, ne utquam rogassent, ut *tandem aliquando sedarent mala, quæ Antiochenam Ecclesiam turbabant*, cum jam Synodus Severum anathemate percussum, omni honore privatum, ac Antiochena sede depositum, a Christianorum procul consortio abjecisset; quibus nihil jam severius a Synodo contra hæreticum decernendum supererat.

Ex his quæ prolixius deduxi ad indagandum annum, quo Severus ab Antiochena sede clam Alexandriam diffugit, manifeste colligimus ejusdem fugam contigisse mense Septembri, anno Christi DXVIII ac primo imperii Justiniani Augusti, ut Euagrius ac Malela testantur; quorum prior eundem annum vocat Antiochenorum *Æræ quingentesimum sexagesimum septimum*, qui componitur a Parilibus cum A. V. Romæ 1272, Christianæ vero Epochæ 519. Cum autem, uti toties diximus, *Æra Antiochenorum* inierit ab autumno anno urbis Romæ 705, ante Christum 49, annus ab hinc Antiochenorum 566 exiit sub autumnum anno urbis Romæ 1271, Christi 518; quo anno cum mense Gorpiazō sive Septembri numeretur Euagrio annus Antiochenorum 567, consequens fit, ut idem annos laudatæ Epochæ a Kalendis Septembris ordiatur; uti recte demonstravit doctissimus Vuillelmus Loydus in eruditissima epistola ad amicum meum V. C. Nicolaum Toinardum Aurelianensem, a quo eandem ipse accepi, quæ micantissimam etiam faciem in re obscurissima mihi prætulit; neque enim me pudet fateri per quem profecerim. Quamvis autem Euagrius a Gorpiazō annos Antiochenorum multiplicaverit, ex aliis vetustorum Scriptorum monumentis didici, non omnes Syros in primo mense anni statuendo convenisse, sed quosdam annum auspiciatos fuisse a Gorpiazō: quosdam vero a proximo mense Hyperbæretazō. Nam Albategnius insignis Astronomus cap. 32 nume-

rans menses anni Syrorum, ait: *Romanorum autem mensium nomina secundum Græcorum*, nempe Syrogræcorum, & *Elkulpti seu Coptitarum principia sunt Elul, Tisbrin primus, Tisbrin secundus, Canun prior, Canun secundus*, Scebatur vero tribus continuis annis est dierum 28, quarto autem anno dierum 29, & tunc est annus bissextilis &c. ubi ceteros anni Syrorum menses enumerans, postremo loco Ab-mensem recenset. Hic plane describitur annus Syromacedonum Solaris juxta formam Julianam, in quo Scebatur in anno tum communi tum etiam bissextili, æquali dierum numero, Romanorum Februario correspondet. Quare Elul, qui in anno Syrogræcorum priori loco ab Albategnio collocatur, Kalendis Septembris inibat, cum sextus ab eodem mensis Scebatur cum Februario comparatur. Idem Albategnius Arabum Dynasta in Syria, in cap. 27 libri de scientia stellarum Arabice scripto, quem alii Latio donatum, notis etiam illustrarunt, narrat se anno ab obitu Alexandri 1206, Dylkarnaim 1194, die XIX mensis Elul, Pachon VIII observasse Aractæ Æquinoctium Autumnale, horis 4, 45. ante ortum diei, sive hor. 1, 15. a media nocte. Cum vero ibidem laudasset Æquinoctium autumnale observatum a Ptolemæo anno post obitum Alexandri 463, die 9 Athyr post unam horam ab ortu Solis, addit ab hoc Æquinoctio ad aliud sibi deprehensum, excurrisse annos Ægyptiacos 743, dies 178, horas 17, 36. Epochæ annorum ab obitu Alexandri annis duodecim prior est Æra Seleucidarum, quæ Dylkarnaim ab Albategnio appellatur. At ex tempore eclipsium quas idem Astronomus ibidem describit, constat annos Æræ Dylkarnaim fixos, ac in forma Juliana ab eodem intelligi. Cum vero Epochæ Seleucidarum sive Dylkarnaim inierit ab autumno anno urbis Romæ 442 ac 312 ante Æram Christianorum, annus ejusdem 1193 exiit sub autumnum anno ab urbe Roma condita 1635, Christi 882. At hoc plane anno observatum illud Æquinoctium recte ostendit Petavius lib. 4. doctr. Temp. cap. 26. Nam prius Æquinoctium autumnale notatum fuerat Ptolemæo anno 463 ab obitu Alexandri, Nabonassari 887 die nona Athyr, quæ in anno Ægyptiorum vago fuit Septembris XXVI, anno Christi 139, quo Thoth cœpit die 20 Julii apud Romanos.

nos. Jam verò ab eo hujus anni die numerati Ægyptiorum anni, quot ad suam observationem colligit Albategnius, nempe 743, dies 178, horæ 17, 36. desinunt anno Christi 882, Septembris die XIX, hor. 1, 16. post mediam noctem. Nam anni Ægyptii 743 ac die 16. cum singuli eorundem constant diebus, 365 sine quadrante, annos juxta methodum Julianam 742 ac dies 357, horas 23, 36. Qui anni diesve additi supra annum Christi 139 diemque 26 Septembris, desinunt anno Christi 882 ac die XIX Septembris, quæ itidem undevicesima mensis Elul anni Solaris Syrogræcorum ab Albategnio nuncupatur. Hinc recte a Petavio loco laudato reprehenditur Scaliger Æquinoctium Albategnio descriptum, protrahens ad annum Christi 883. Sed & Petavio erratum est, dum de anno Dylkarnaim 1194 scribit: *qui ab Octobris Kalendis anni Christi 882 ceptus est*. Nam ex hactenus demonstratis constat Albategnium juxta plerosque Syros annos fixos Dylkarnaim a Kalendis Septembris inchoare; siquidem, uti dicebam, annus 1193 Dylkarnaim exiit sub autumnum anni Christi 882. Quare, cum hoc ipso anno die XIX Elul sive Septembris, a Astronomus memoratus Æquinoctium autumnale notavit, numeretur eidem annus Dylkarnaim 1194, patet jam annum novum die prima Elul apud Albategnium inchoari. Itaque iterum lapsus est Scaliger lib. 5 de emend. Temp. pag. 399 scribens: *Elul duodecimus atque ultimus mensis Julianus Syrorum*. Idem tamen antea lib. 4 pag. 226 scripserat: *Quidam tamen Christiani Antiocheno Patriarchæ subdiri, putant initium hujus Æræ Dylkarnaim secundum ritum Ecclesiæ Constantinopolitanae a Kalendis Elul sive Septembris*. Sed jam antiquitus id apud Syros in usu fuisse Albategnii testimonio ostendimus, ac de anno eadem die inito apud Antiochenos vetustior testis accedit Euagrius, uti vir illustrissimus Loydus mihi plane persuasit.

Ceterum alios Syros passim a Kalendis etiam Octobris annum inchoasse patet ex libro de Epochis insignioribus Persice scripto ab Vlugh Begho citra ultraque Gangem Principe, quem Latio donavit Johannes Gravius, ediditque Londini anno 1650. Hic eruditus Astronomus, magni Tamerlani nepos, cap. 2 scribit

Epocham Rumæorum, ita Syrogræcos ille nominat, initium habuisse *elapsis duodecim annis Solaribus a morte Alexandri filii Philippi Græci*. Notat annos ejus Epochæ esse Solares, ac annum constare ex diebus 365 ac quadrante. Hæc plane est Epochæ Seleucidarum inita ab autumno A.V. 442, eodemque duodecimo a morte Alexandri Magni. Porro annos Syrogræcorum mensibus compositos tradit: *Nomina mensium & dierum numerus hæc sunt: Tesbrin prior constans diebus XXXI, Tesbrin posterior XXX: Canun prior XXXI, Canun posterior XXXI: Shabat XXVIII; Adar XXXI, Nisan XXX, Ayiar XXXI, Haziran XXX, Tamuz XXXI, Ab XXXI, Elul XXX.* Quæ mensium nomina annum Syrorum designant. Cum mensis Shabat præcedebat dierum 28 Romanorum Februario correspondeat, Tisri prior ab ineunte Octobri init, annique Syrogræcorum initium facit; unde & mensium primus recitatur. Abul Pharagius in libro Arabice scripto de Dynastiis, sub titulo Dynastiæ V pag. 63 scribit: *Si Æræ Seleucidarum, cujus initium est Tisri prior, mensem unum addiderimus, prodibunt nobis anni integri, & menses anni fracti, cujus initium est mensis Elul, quæ est Epochæ, qua utuntur Romani nostro tempore.* Itaque Epochæ Seleucidarum ejusque anni inibant a Tisri priori, nempe Octobri Juliano. Quamvis postea plerique Syri annum ab Elul, id est, Septembri inchoarent, ut cum Romanis, annum a nova Indictione Kal. Septembris auspiciantibus, convenirent. Cum ergo in Syria quidem a Tisri, alii ab Elul annum exordirentur, incertum est, utros Antiocheni secuti fuerint. Ipse quidem censeo eosdem antiquitus annum ab Hyperberetæo sive Octobri exorsos fuisse, quod Tyrios ac Gazenses fecisse suo inferius loco monstrabo. Cum enim Antiocheni Æram in honorem Cæsaris invexissent, ac ab autumno veteri Macedonum instituto, annum exordirentur, ejusdem quoque initium ab eo mense duxisse videntur, cujus prima dies proximior erat cardini autumnali, quem Cæsar in anno reformando, in ante diem VIII Kal. Octobris collocaverat. Macedones Asiatici a die 24 Septembris, Juliano cardine autumnali, anni initium sumebant. At Antiocheni, quo menses sui ipsorum anni pari dierum numero cum Julianis mensibus

sibus decurrerent, a primo die Hyperberetæi, sive Octobris annum inchoarunt. In laudata sylloge a Doduvello ex Malelæ Chronicis excerpta legi: *Anno urbis Antiochiæ XCII permisit Claudius Antiochenis emere ab Elidensibus jus ludorum Olympicorum, Antiochia celebrandorum mense Hyperberetæo.* Uti vero Græci mense anni primo Hecatombæone ludos Olympicos edebant; ita Antiocheni eisdem ludis celebrandis mensem Hyperberetæum destinarunt, quod ille annus apud ipsos inchoabat. Idem Malela scribit: *Anno Antiochiæ DLXVIII, Indictione XIV, Olympica Antiochena a Justino vetita.* Annus Epochæ Antiochenæ 568 exiit per autumnum A. V. Romæ 1273, Christi 520, eodemque tertio imperii Iustini. Indictio autem XIV cœpit eodem anno Kalendis Septembris. Quare cum a Malela annus Antiochiæ 568 adhuc decurrens, copuletur cum Indictione XIV, annus non a Kalendis Septembris, sed Octobris sive Hyperberetæi initium sumebat. Hinc videri possit Euagrius initium anni Antiocheni iuxta aliorum methodum a Septembri collegisse.

Henricus Valesius in notis ad cap. 1 Eusebii de Martyribus Palæstinis, & ad cap. 12 lib. 2 Euagrii, contendit Antiochenos ab ineunte Dio sive Novembri annum civilem inchoasse. Hanc opinionem ex Euagrio falsam ostendam. Cum hic Scriptor lib. 6 cap. 7 narrasset Gregorium Patriarcham Antiochiæ in Synodo Constantinopolitana absolutum, Antiochiam reversum fuisse, hæc capite 8 scribit: *Quatuor mensibus post reditum Gregorii dilapsis, anno sexcentesimo tricesimo septimo urbis Antiochiæ, & anno sexagesimo primo a prioribus terræ motibus (ἐμὲ καὶ τὴν ἑνὴν καὶ νῆαν ἡμέραν τῆς Ἱπερβερεταίας μηνὸς, καὶ ὅλην παρθένον νυμφεύον) cum ipse die postremo Hyperberetæi mensis, teneram virginem uxorem ducerem & c. tertia hora post crepusculum, agitatio & motus terræ cum impetu irruens, totam urbem concussit.* Græca verba inserui, quod Baronius ad A. Christi 587 eadem ex Euagrio recitans, scribit: *cum ipse Asterius pridie Kalendas Octobris teneram virginem uxorem duceret.* In quo ab interprete erratum est, dum voces ἑνὴν καὶ νῆαν ἡμέραν Ἱπερβερεταίας, Latine reddidit: *pridie Kalendas Octobris*; cum pridie Kalendas Novembris scribendum sit, seu die postremo Octobris,

bris, uti recte vertit Valesius. Laertius in Solone scribit hunc omnium primum, mensis diem τὴν τριαντάδα *tricesimam*, dixisse ἐννὴ καὶ νέαν, *veterem ac novam*, quia postrema die mensis anni Lunaris, veteri Luna desinente, nova inchoabatur; qua de re lepide jocatur Aristophanes in Nubibus Act. IV Scena III. Et quamvis menses ex Lunaribus Solares postea evalissent, vetustis illis vocibus postremam diem mensis non semel designabant. Alter error est ipsiusmet Baronii; siquidem non Asterius praefectus Orientis ac Gregorii Patriarchae inimicus, sed ipse qui ea scripsit, Euagrius virginem uxorem ducebat; cum priorem alteram morbo pestilenti antea amisisset, uti narrat lib. 4 cap. 28. In magnis Annalibus memoratus terrae motus, & Concilium C. P. in causa Gregorii recensentur anno Christi 587. At Valesius in notis ad laudatum locum Euagrii, utrumque ait contigisse anno 589. Utraque opinio falsa est; nam & illa Synodus ac clades Antiochiae referendae sunt ad annum Christi 588.

Illa fuit famosa Synodus, quam Joannes Patriarcha C. P. ex Episcopis imperii Orientalis coegit, non tam ut Gregorii Antiocheni, qui plurium criminum reus insimulabatur, causam discuteret, quam eo praesertim, ut sibi Synodali decreto Episcopi *Oecumenici* sive *Universalis* titulum confirmaret. Hanc Synodum Binius ceterique Conciliorum collectores Baronium secuti, perperam recitant anno Christi 587. Euagrius scribit Gregorium victa causa, Constantinopoli Antiochiam reversum fuisse, ac quarto postea mense ab ejusdem reditu, Antiochiam die ultimo Octobris, horrendo terrae motu conquassatam fuisse, *anno sexcentesimo tricesimo septimo urbis Antiochie*. Hæc Epocha iniiit ab autumno A. V. 705. Adde annos exactos ejusdem 636, eris ad autumnum A. V. 1341, Christi 588, quo per autumnum coepit annus Antiochenorum 637, quove Euagrio teste & praesente, & periclitante, memoratus terrae motus Antiochiam vastavit. Quare cum verna tempestate ejusdem anni habita fuerit Synodus in causa Gregorii, nequit eadem referri ad annum superiorem 587. Altera Valesii opinio, quæ etiam fuerat Panvinii in Chronico Ecclesiastico, ex epistolis Gregorii Magni refellitur. Hæc ille scribit

bitlib. 4 epist. 36 ad Eulogium & Anastasium: *Ante hos siquidem annos octo, sancta memoria decessoris mei Pelagii tempore, frater & Coepiscopus noster Joannes in Constantinopolitana urbe ex causa alia occasionem querens, Synodum fecit, in qua se Universalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus ut agnovit, directis literis ex auctoritate S. Petri Apostoli ejusdem Synodi acta cassavit.* Occasionem vero quam Joannes Synodo quasivit, exponens ibidem epist. 38 ad eundem Joannem, ait: *Et quidem hac de re sancta memoria decessoris mei Pelagii gravia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus Synodo qua apud vos de fratris quondam & consacerdotis nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum acta cassavit.* Hæc Gregorii Epistola signatur: *Data Kalendis Januarii. Indictione XIII.* qua labente, omnes libri IV literæ perscriptæ sunt. Indictio XIII numerabatur usque ad autumnum anno Christi 595. Cum vero Gregorius testetur Synodum de causa Gregorii Antiocheni habitam fuisse ante hos annos octo, nequit eadem statui ad annum Christi 589, cum ab hoc anno ad annum 595, etiam terminis inclusis, septem tantummodo anni numerentur. In epistolis Gregorii anni per Indictiones distinguuntur. Synodus illa peracta fuerat anno Christi 588, Indictione VI, verno tempore; & ab Indictione VI inclusive, ad XIII octo Indictiones, quæ totidem annos constituunt, numerantur. • Extat epistola Pelagii Papæ, qua usurpatum Patriarchæ C. P. *Universalis* titulum irritat ac condemnat. Ea epistola dicitur: *Data Kalendis Martii Indictione V,* quæ Indictio mense Martio decurrens, est index anni Christi 587. Hæ Pelagii literæ a Baronio *omni memoria dignissima* nuncupantur. Verum, inquit, *putamus pro Martii, Maji retinendum esse: siquidem non amplius quam quatuor menses numerat Euagrius a reditu Gregorii Antiochiam usque ad terræ motum, qui incidit, ut ait, pridie Kalendas Octobris.* Sed, uti dicebam, terræ motus juxta Euagrium accidit pridie Kalendas Novembris; ac literæ Pelagii *dignissima* perire; & quæ a viro Magno eo titulo decorantur, fictitiæ sunt ac supposititiæ, cum sint ex aliorum Pontificum epistolis confarcinatæ; & præsertim ex epistola laudatâ 36 S. Gregorii Papæ ultra septuagin-

ta versus in illam spuriam Pelagii deportati sunt; quasi Pelagius ore successoris sui loqui potuerit, aut Gregorius tanta verborum ac sententiarum inopia laboraverit, ut decessoris tantum sui verbis uti potuerit. Hinc non modo mensis Martius, verum etiam cum Indictione V. Pelagii nomen una litura cum iisdem literis delendum est.

Sed ex ipso Euagrio opinio Valesii, annum Antiochenorum à Kalendis Novembris inchoantis, refellenda est. Historicus laudatus terræ motum quo die postremo Octobris Antiochia, Mauricio imperante, concussa partimque dejecta fuit, duplici annorum nota designat, nempe ait contigisse anno urbis Antiochiæ *sexcentesimo tricesimo septimo*, ac *sexagesimo primo* a prioribus terræ motibus, qui eandem urbem antea vastaverant. Idem l. 4 cap. 5 scripserat Antiochiam quassatam fuisse motu terræ *anno septimo imperii ejusdem Justinii, mense decimo, mense Artemisio, id est, Majo, nova & vicesima ejusdem die, in meridie sexta diei hebdomadis*. Baronius omittens in textu Euagrii *mensē decimo*, recitat eam cladem anno Christi 525. Euagrius, ut superius cap. 2 prænotabam, non modo annos, sed menses insuper imperii Justinii appellat, qui cum imperium inierit anno Christi 518, die 9 sive 10 Julii, mensis decimus ultra septimum annum imperii, exiit anno Christi 526 mense Majo, cujus dies 29 fuit feria VI. Malela scribit, hoc anno telluris concussionem contigisse *postridie festum Ascensionis Dominica*. Qui omnes sunt insignes notæ chronologicæ ejusdem anni 526, quo Pascha celebratum fuit die 19 Aprilis; Ascensio autem Domini die 28 Maji, Cyclo Solis III, Lunæ XV, lit. D. Marcellinus Comes in Chronico eundem terræ motum recitat *Indictione IV Ochyrio solo Consule*; quibus characteribus idemmet annus designatur, ut plane mirer Baronium scribere sub Consulibus anni Christi 525 eum terræ motum a Marcellino recenseri. Rursus idem Euagrius cap. 6 scribit iterum post triginta menses telluris concussionibus Antiochiam agitatam, ut cives quo Deum sibi propitium redderent, tunc suæ ipsorum patriæ *Theopoleos* nomen indiderint, eandem veluti Deo dedicantes. Hosce terræ motus Theophanes ait contigisse *die 29 Novembris, feria IV, Indictio-*

ditione VII, nempe anno Christi 528, quo dies 29 Novembris inferiam IV incidit, Cyclo Solis V, lit. BA. quo plane die triginta menses, ab Euagrio post proximos terræ motus enumerati, exhibant. Recte Valesius notat hujusce anni terræ motus, qui per plures dies urbem concusserunt, appellari ab Euagrio, cum annos sexaginta & unum numerat ab eisdem ad alium, qui inter ejusdem nuptias, sub Mauricio contigit die ultimo Octobris. • At anno Christi 528, Urbis Romæ 1281, ante Novembrem exierat annus Antiochenorum 576, ac die 29 Novembris annus insequens 577 decurrebat. Jam vero si anno Antiochiæ 576 addas annos unum ac sexaginta, habebis annum Antiochenorum 637 ineuntem A. V. 1341, Christi 588. Valesius qui annos Epochæ Antiochenæ putat initos incipiente Dio sive Kalendis Novembris, terræ motum die ultimo Octobris Euagrio memoratum, refert ad annum Christi 589, quo annus 637 ejus Epochæ exivit, ita ut ea concussio postremo die anni ejusdem contigerit pridie Kalendas Novembris, quæ annum novum 638 Antiochiæ aperiebant.

Hæc tamen opinio ex Euagrio ac Theophylacto Simocatta fusiùs quidem quam vellem, sed tamen valide confutatur. Euagrius eo libro VI a cap. 4 ad 6 narrat seditionem in exercitu Mauricii contra Priscum ducem exortam, a qua cap. 7 transit ad causam Gregorii in Synodo C. P. discussam, ipsomet Patriarcha Antiocheno absoluto, accusatore vero infami poena multato. *Itaque, inquit, Gregorius inde ad suam sedem revertitur. Interea loci milites tumultus ciere non desinunt, Philippico circa Beroeam & Chalcidem urbem commorante. Quatuor mensibus post* (ita cap. 8 statim exorditur) *post reditum Gregorii dilapsis, anno Antiochiæ urbis sexcentesimo tricesimo septimo &c.* narrat memoratum terræ motum die postremo mensis Hyperberetæi. Postea cap. 9 & 10 resumit narrationem tumultus militaris, quem tandem scribit opera Gregorii Antiocheni sedatum. Theophylactus Simocatta qui gesta Imperatoris Mauricii in literas misit, eaque per annos accurate distinxit, lib. 2 cap. 12 ait: *Agebatur annus Mauricii secundus, cum bieme Consul creatus &c.* Antonius Pagi longe me accuratior Chronologus, in præfatione & rursus pag. 337 Dissertationis

tionis Hypaticæ ex Chronico Alexandrino & Theophane, optime ostendit Mauricium designatum fuisse Consulem mense Decembri in annum proximum Christi 584. At Simocatta narrato Mauricii Consulatu, scribit *boc anno* Joanne revocato, Philippicum Orientalibus copiis ducem impositum, qui, ut ait cap. 13, *primo autumno* castra ad Tigrim posuit, nempe anno eodem 584, quem Mauricius Consul aperuerat. Dein cap. 14 narrat Philippicum *anno insequenti*, qui fuit Christi 585, in Persarum fines irrupisse; ubi morbo contracto, ac valetudine postea recuperata, *bieme appetente*, militibus ad hiberna dimissis, Constantinopolim rediit. Idem iterum *vere ineunte*, videlicet anno Christi 586 ad exercitum reversus, plura secunda prælia cum Persis fecit, quæ cum Simocatta reliqua parte libri secundi ac priori etiam tertii usque ad cap. 10 prolixè descripisset, scribit eo capite decimo milites a Philippico quieti redditos, *quod biems jam proxima erat*, qua idem annus Christi 586 claudebatur. Verum, inquit, *simul ac verna tempestas advenit*, anni insequentis Christi 587 Philippicus tripartitis copiis hostium ditiones invasit. Tum Simocatta intermissa narratione belli Persici, digreditur ad describendum bellum, quod eodem tempore Mauricius in Illyrico cum Chagano Avarorum rege per Comentiolum legatum, vario Marte, gerebat. Dein cap. 18, quo tertius liber clauditur, redit ad interpolatam historiam belli Persici, scribens Philippicum *bieme jam ingrediente*, anno scilicet superius memorato 587, Constantinopolim reversum fuisse. Hæc per quadriennium Philippico gesta, Euagrius paucis recitat lib. 6 cap. 3. Idem vero Simocatta initio lib. 4 scribit Philippico militare imperium abdicante, Priscum eidem successorem a Mauricio datum, *vere ineunte*, nempe anno Christi 588, in castra circa Paschalia festa pervenisse. Pascha eo anno celebratum fuit die XVIII Aprilis, Cyclo Lunæ XIX, Solis IX, litt. DC. Et ille quidem elato supercilio, feroci obtutu, ac toto habitu corporis ad arrogantiam composito, castra ingrediens, cum ex equo de more descendere, ac dispositas hinc inde honoris gratia cohortes, salutare recusaret, sibi statim militum odium contraxit; qui tamen instantis Paschalis sollemnitatis religione

gione moti, ira impetum supprefferunt. Sed diebus festis peractis, Prisci tentorium aggressi, ejusdem supellectilem rapuerunt; cum ille interim celeri sibi fuga consuluisset; quem milites insecuti, intra Edessam obsederunt. Hæc quoque narrat Euagrius cap. 4. Interea milites Germanum limitaneum Phœnices ad Libanum ducem, vel invitum sibi præficiunt, jubentque ut se contra hostes ducat. Mauricius exercitus seditione intellecta, Philippicum, cui nupta erat soror ejusdem Imperatoris, statim in Orientem misit, ut jam notos sibi milites placaret, ac ad obsequium reduceret, quem illi tamen intra castra admittere recusarunt. Hæc describit Simocatta cap. 3 & Euagrius cap. 5 & 6, qui caput VII hisce exorditur: *His rebus hoc loco constitutis, Gregorius Antiochia Episcopus Constantinopoli domum revertitur gravi confecto certamine, de quo jam dicturus venio.* Ubi narrat eundem in Synodo C. P. absolutum, accusatore circa urbem flagellis cæso, ac dein exilio multato. *Itaque, inquit, Gregorius inde ad suam sedem revertitur. Interea loci milites tumultus ciere non desinunt, Philippico circa Beroeam & Chalcidem urbem commorante.* Tum cap. 8 narrat quarto mense post reditum Gregorii, Antiochiam ultimo Hyperberetæi sive Octobris horrendo terræ motu conquassatam fuisse. Inde cap. 9 resumit narrationem gestorum a seditionoso exercitu, qui duce Germano Persas collatis signis, ingenti clade affecit, quæ etiam recitat Simocatta cap. 3 & 4, ubi ait *hieme bellum excipiente*, dissolutis castris, milites ad hiberna dimissos; ac postea Mauricium *vere placidum & jucundum terris vultum exhibente* (erat annus Christi 589) stipendia ad exercitum misisse; & cap. 5 scribit Philippicum tandem ab exercitu receptum, cum *Gregorius Antiochenus id temporis Archiepiscopus eum in gratiam & amicitiam militum restituisset.* Euagrius, qui assidue uti capite 7 testatur, cum eodem Gregorio versabatur, orationem quam ille ad milites habuit, recitat cap. 11, addens eosdem ad obsequium rediisse, recurrente hebdomade majori Dominicæ passionis, cujus feria secunda eo anno contigit die IV Aprilis, cum per annum in seditione obstinatius perseverassent. Cum Simocatta adeo accurate vernas ac hiemales tempestates subinde appellans, gesta

sub Mauricio per annos distincta describat, memoratam exercitus seditionem recitat circa Pascha anni Christi 588, quo pariter anno ante ætatem habita fuit Synodus C. P. in causa Gregorii Antiocheni Episcopi; ac exeunte Octobri contigit terræ motus Euagrio tum sponso periclitanti, postea descriptus. Ita per longiores, utinam non Lectori etiam molestiores ambages, intelligimus Antiochenos per autumnum ante mensem Novembrem annum novum inchoasse. Nam anno Urbis Romæ 705 circa autumnum adde annos Epochæ Antiochenorum 636, devenies ad annum ab urbe Roma condita 1341, Christi 588. Cum vero hoc anno die postremo Hÿperberetæi sive Octobris numeretur Euagrio jam decurrens annus Antiochenorum 637, palam colligimus eosdem annum, labente autumnus, ante initium Dii mensis sive Novembris inchoasse; nempe Kalendis Octobris, secus ac Valensius existimat.

Julianus Augustus, qui ignominia causa, Apostata nominatur, in Misopogone Antiochenos alloquens, ait: *Decimo fere mense, ut vos numeratis (is opinor, Lous a vobis nominatur) patriam est festum hujus Dei, & magno studio ad Daphnem concurritur. Ego igitur ab Jode Casio illuc advolavi, existimans me ibi maxime, vestras opes & magnificentiam spectaturum &c.* Baronius ad annum Christi 362 hæc recitat, ait hunc montem Casium fuisse in Arabia, ex quo Julianus ad Daphnem se contulit. At præter hunc montem Casium prope Pelusium & hinc Arabiam versus protensum, alius erat mons Casius in Syria superiori prope Seleuciam. Plinius lib. 5 cap. 21 & 22 ait: *Seleucia libera, Pieria appellata. Super eam mons eodem quo alius nomine, Casius &c.* Strabo lib. 16 pag. 516 scribit Antiochenos jactare primum suæ gentis auctorem Triptoleum; idcirco, inquit, *Antiochenes eum ut Heroem colunt, & in Casio monte prope Seleuciam festum ei diem agunt.* Extant in Museo Mediceo plures vulgati nummi, in quibus antequam legitur: ΑΤΤΟΚΡ. ΚΑΙC. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC. ΑΠΙCΤ. CΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ. *Imperator Caesar Nerva Trajanus, Optimus Augustus, Germanicus, Dacicus;* & retrorsus cum monte intra templum tetrastylon, ac desuper aquila: CΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑC; & subtus: ΖΕΤC ΚΑCΙΟC. *Seleu-*

Seleucensium Pieria. Juppiter Casius. Itaque Julianus cum Antiochia ad proximum Seleucia Casium montem sacra facturus ad aras Jovis a loco *Casii* nuncupati se contulisset, instantibus annuis solemnibus Apollinaribus ad Daphnem huc advolavit. Theodoretus lib. 3 cap. 13 ait: *Septem dies festum Daphne agi solet*; ibique narrat Julianum eosdem dies festos ibidem celebrasse. Cum vero Julianus dicat ea solemnia decimo mense anni Antiochenorum, quem illi Loum nuncupabant, quotannis recurrere, Valesius inde colligit Antiochenos anni initium ab ineunte mense Dio cepisse; ab hoc enim Lous decimus numeratur. Hoc Juliani testimonium insignes scriptores in varias sententias distraxit; quos inter Petavius lib. 10 doct. Temp. cap. 62 ait, mendum in vocem *δεκάτην* decimo irrepsisse; ac legendum esse *ενδεκάτην* undecimo; siquidem putat Antiochenos annum novum inisse ab Hyperberetæo, a quo Lous numeratur undecimus. Verum hoc non est propositæ difficultatis nodum solvere, sed secare. Vsserius cap. 1 de Anno Solari Macedonum pag. 14 ex laudatis verbis Juliani contendit, Antiochenos aliter ac ceteros Syros annum inchoasse a mense Dio, cujus dies prima cum 24 Septembris concurrebat; unde in diagrammate anni Macedonum scribit Loum decimum mensem apud Antiochenos cœpisse die 25 Junii, ac die 24 Julii exitum habuisse. Hæc opinio ex canone 20 Concilii Antiocheni refutatur. Nam ibidem quotannis juxta Julianam formam a Kalendis Januariis initis, binæ Synodi celebrari jubentur, quarum posterior habenda indicitur *Εἰδοῖς Οκτωβρίου, ἥτις ἐστὶ δεκάτη Τρεῖςβελαις*: *Idibus Octobris qua dies est decima Hyperberetæi.* Habita est ea Synodus imperante Constantio, anno Christi 441, ac viceſimo antequam Julianus imperaret. Quare dudum apud Antiochenos cum Octobri Romanorum Hyperberetæus, non vero Dius, uti putat Vsserius, componebatur. Verum quod idem imaginatur Antiochenos uti & reliquos Syros præter annos proprios, usos etiam fuisse anno Romanorum, quibus subditi erant, ita tamen ut menses Romanorum nominibus Macedonum mensium nuncuparent, quod tum in laudato canone, tum in libris Euagrii ac Malelæ factum autumat, hæc mihi diligentius diseutienda sunt.

In

In primis inquirendus est mensis, quo primum Imperator Julianus Antiochiam anno Christi 362 advenerit. Ille quidem, mortuo ante mensem Constantio, Constantinopolim ingressus est anno Christi 361 tertio Idus Decembris, ex Socrate lib. 3. cap. 1, Ammiano Marcellino lib. 22 ac Fastis Idacii. Cum aliquot menses in regia urbe degisset, per Bithyniam, Phrygiam, ac Ciliciam in Syriam perrexerat, atque Antiochiam ingressus est, cum *annuo cursu completo, Adonia ritu veteri* celebrarentur, teste ibidem Marcellino. De tempore horum solemnium hæc apud D. Hieronymum leguntur in comment. ad cap. 8 Ezechielis: *Unde quia juxta gentilem fabulam in mense Junio amasius Veneris & pulcherrimus juvenis occisus, & deinceps revixisse narratur; eundem Junium mensem eodem appellant nomine, & anniversariam ei celebrant festivitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus; & postea reviviscens, canitur, atque, laudatur.* Hinc ubi vulgata lectio Ezechielis VIII, 14 habet: *Et ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem:* legunt LXX Interpretes loco *Adonidis* τὸν Θαμμουζ *Thammuz*, uti etiam Chaldaeus paraphrastes. Valesius in notis ad Marcellinum ex laudato testimonio Hieronymi colligit Julianum mense Junio, quo Adonia agebantur, Antiochiam ingressum fuisse, cum Marcellinus scribat: *Et visum est triste, quod amplam urbem principum domicilium, introeunte Imperatore tunc primum, ululabiles undique planctus & lugubres sonitus audirentur, nempe mulierum plangentium Thammuz sive Adonidem.* Verum apud Hieronymum pro *Junio* Julium mensem reponendum ipsemet S. Doctor ostendit, dum ait eundem mensem ab Adonide nuncupatum. Nam Syri mensem Julium vocabant *Tammuz*: Junium vero *Haziram*, ut ex Albategnio, Vlug Begho, ac Josepho Ægyptio superius in hoc ipso capite appellatis intelligimus. Extat in Cod. Theod. lib. 13 Juliani Augusti lex 4 *de Medicis*, quæ dicitur *Data IV Idus Maji Constantinopoli, Mamertino & Nevita Coff.* Quare anno Christi 362 die 12 Maji adhuc Julianus in regia urbe morabatur. Distabat Constantinopolis Antiochia ex Itinerario Antonini M. P. DCCCXVI. Julianus vero iter per Bithyniam ac Phrygiam faciens, aliquot subinde dies in præcipuis

cipuis urbibus subsistebat, ut Deorum præsertim templa inviseret; quod ipsum colligitur ex Libanii epistola ad Sopatrum 22 lib. 1 ac ejusdem oratione de consulatu Juliani. Quare altera Julii mensis parte labente, Antiochiam pervenit. Idem in Misopogone Antiochenos inculans, qui se ob Deorum cultum di-
 cteriiis impeterent, ait: *Nisi quod odiosam istam severitatem septimum jam mensem perpeffi, vota quidem & preces quo tantis malis eriperemur, ad vetulas dimisimus, quæ circa sepulcra mortuorum* (videlicet Martyrum, ac præsertim S. Babylæ) *assidue versantur.* Ex his patet Julianum septimum jam mensem moratum fuisse Antiochiæ, cum apologiam illam sive satyram elucubravit. Hanc vero scripsisse; cum Antiochia ad bellum Persicum propediem peracturus esset, colligo ex ejusdem ibidem verbis; *migrare ex hac urbe statui, ac discedere; itemque: ad aliam gentem & populum me confero.* Ille vero Antiochia tertio Nonas Martias profectus, Hierapolim venisse dicitur Marcellino lib. 23, qui ibidem narrans gesta Juliano IV & Sallustio Coss. videlicet anno Christi 363, paulo post initium ejus libri ait: *Rufinum Aradium Comitem Orientis in locum avunculi sui Juliani recens defuncti provexit.* Ad-
 dit vomitu sanguinis extincto Felice Comite S. L. *cumque Comite Juliano sequuto*, vulgum publicos Imperatoris titulos intuentem, nempe *Julianus Pius, Felix, Augustus*, post Felicem ac Julianum Comites, ipsum quoque Augustum brevi moriturum prænuntiasse. Rursus ait: *Præcesserat aliud sævum.* Nam Kalendis Januarii quidam vetus Sacerdos Juliano templum Genii subeunte, repentina morte ceciderat. Quare cum hic casus contigerit ante mortem Juliani Comitis Orientis, hujusce obitus accidit labente jam anno Christi 363, priusquam die 5 Martii Julianus Antiochia discederet. Extat lib. 8 Cod. Just. Juliani *lex 12 de exceptionibus, ad Julianum Comitem Orientis*, quæ signatur *Dat. VII Idus Martias Antiochiæ, Juliano Aug. IV & Sallustio Coss.* Igitur jam priori parte anni Christi 363 Julianus Juliani Augusti avunculus, Comes Orientis, erat superstes. Quod vero constat ex Ammiano, ac ex ipso Juliano Imperatore, cujus mox verba recitabo, Julianum Comitem Orientis obiisse, antequam Imperator Antio-

chia discederet, atque hic die V Martii Hierapolim profectus fuerit, mendum in notam temporis emissi rescripti irrepsit, levique emendatione *VII Idus Februarias*, legendum est. Itaque mense ineunte Februario, adhuc vivebat Julianus Comes Orientis. Jam vero Julianus in Misopogone ait: *Is est avunculus meus, eodem mecum nomine, qui vobis præsuit equissime, quamdiu ei Dii dederunt una nobiscum esse, remque publicam administrare.* Julianus qui Comes Orientis Antiochenis præsuerat, palam mortuus designatur, quo tempore Julianus ejusdem nepos Misopogonem composuit; ac proinde cum ille liber scriptus fuerit post obitum avunculi, cum jam Julianus Antiochia discedere statuisset, satis manifeste intelligimus eundem librum scriptum fuisse sub exitum Februarii paucos ante dies, quam ille Antiochia Hierapolim pergeret. Cum vero ibidem dicat semet *septimum jam mensem* Antiochenorum scurrilia dicteria perpeßum, inferimus eundem Julianum labente Julio mense, Antiochiam primum advenisse, ac Adonia eodem quoque mense, veteri superstitione, quotannis celebrata.

Ex hactenus probatis, id quod ad institutum facit, facile demonstratur. Nam Vsserius, uti prænotabam, putavit Antiochenos annum a mense Dio inchoasse, cujus primum diem more Asianorum Macedonum cum 24 Septembris componens, primum quoque Loimensis decimi diem cum 25 Junii conjungit. At Julianus, uti probavi, extremo fere mense Julio, sive Syrorum Tamuz, Antiochiam inter Adonia festa pervenit, ac dein ad templum Jovis Casii profectus, in eandem urbem rediit, jam labente mense Loo, ac recurrentibus annuis solemnibus Apollinaribus, quæ septem diebus agebantur. Igitur Lous apud Antiochenos cum Augusto Romanorum, ac mense Ab Syrorum Solari concurrebat. Hinc juxta Antiochenos Hyperberetæus Octobri ex laudato Canone 22 Synodi Antiochenæ, ac Dius Novembri correspondebant, uti postea etiam ab Euagrio ac Malela iidem menses comparantur; ac proinde Antiocheni præter annum in forma Juliana, nullum alium peculiarem annum Solarem servabant, ut Vsserius contendit. At si Lous cum Augusto Romanorum decur-

currens, juxta Antiochenos, teste Juliano, erat decimus mensis in anno eorundem, consequens sit, ut illi annum cum mense Dio Kalendis Novembris inierint, uti Valesius inferebat; quæ tamen opinio locupletissimis Euagrii testimoniis confutata est, quibus per autumnum ante Novembrem sive Diem, annum novum Antiochiæ cœpisse monstravi.

Vuillelmus Loydus in doctrina Temporum versatissimus, quippe qui pertinaci studio ac indefessa veterum quorumcunque monumentorum lectione, Chronologiam ab Orbe condito summa diligentia digestam, magnum opus ac summi viri eruditioni par, publico bono adornat, in literis ad amicum meum V. C. Nicolaum Toinardum, ob laudata Juliani verba, censeat Antiochenos præter annos civiles, quos rerum dominos Romanos secuti, juxta Julianam anni correctionem methodumque admitterant, annos etiam sacros servasse, ita tamen ut annos civiles juxta Euagrium ab ineunte Gorpizio auspicarentur; at sacrum initium a Dio mense colligerent. Ita Hebræi annum civilem a neomenia Tisri; sacrum vero a prima die Nisan inchoabant. Ægyptii quoque annos sacros habebant, quos ex diebus 365 sine reliquo quadrante componebant; unde cum quarto quoque anno non intercalarent, singulis quadrienniis festa Deorum uno die anticipabant, de his ita scribente Gemino capite de mensibus: *Student enim sacra Deorum non iisdem anni temporibus representare; sed ea ipsa omnes anni tempestates peragere volunt &c.* Hinc vir insignis arbitratur Antiochenos aliosque Syros ita annum Solarem a Julio Cæsare ordinatum admisisse, ut simul tamen veterem annum sacrum retinuerint, quo avito ritu juxta vetusta Pontificum Kalendaria, annua Deorum sacra peragerent. Quare cum Antiocheni annum sacrum veteri Macedonum instituto, a Dio inirent, decimo ejusdem anni sacri mense Loo solemnia Apollinaria, uti testatur Julianus, celebrabant. Hæc quamvis acute & ingeniose excogitata, sunt tamen dubia & incerta; quod nusquam hujusce anni sacri apud Syros vestigium apparet. Eusebius cap. II de Martyribus Palæstinis, sive lib. 8 Hist. Eccles. cap. 21 scribit Hadrianum Martyrem occisum *quinto die mensis Dystris*,

Hb 2

id

id est, ante diem tertium Nonas Martias, quo die Natalis Genii publici apud Casaream celebratur. Itaque apud Casaream in Syria Palæstina quotannis die quinta Dystri, quæ juxta Romanos erat itidem quinta Martii, teste ejusdem urbis Episcopo Eusebio, festum Genii publici agebatur; ac proinde solemnia sacra iisdem diebus, anni civilis tum Syrorum, tum etiam Romanorum perficiebantur, nullaque erat anni sacri a civili diversitas; nisi fingamus Eusebium eo loci omisso die anni sacri, diem tantum anni civilis appellasse. Postquam Ægyptii initium Thoth, a quo annum exordiebantur, in die 29 Augusti Romanorum fixerunt, anni vagi, usus apud solos Astronomos remansit; iidemque deinceps fuere, diēs anni sacri & civilis ab una eademque die 29 Augusti inchoati. Et ut de Syris loquar, *apud hos*, ut ait Macrobius lib. 1 Satur. cap. 16, *Veneris Archetidis & Adonis maxima olim veneratio viguit*; ita ut ab Adone fluvium e Libano ad Byblum maritimam Phoeniciæ urbem decurrentem, Adonim dixerint, de quo etiam legatur Sozomenus lib. 2 cap. 4. Quod autem Adonem gentili voce *Tamuz* appellabant, æstivum quoque mensem de illius nomine Tamuz nuncuparunt. Cum vero Syri annum Solarem recepissent, Adonia intra eundem mensem retinuerunt, quem ipsum fuisse mensem Tamuz civilem ex Ammiano cum aliorum testimoniis collato, ostensum est, qui quidem mensis civilis Julio Romanorum ex Albategnio ac Vlug Begho, ipsisque Syrorum Kalendariis, æquato dierum numero, correspondebat. Ille vero mensis in anno civili Syrorum juxta Albategnium erat undecimus: at decimus juxta Vlug Beghum, quod plures Syri annum civilem ab Elul, alii autem a Tisri priori auspicabantur, ut superius exposui. In Museo Mediceo plures vidi argenteos nummos Vespasiani Augusti ac Domitiani Cæsaris in postica inscriptos: ΕΤΟΥΡ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ; additis numeralibus notis Η vel Θ nempe: *Anno novo sacro octavo*, vel *novo*: in quibus sculptum est templum Veneris Raphiæ; vel Aquila alis expansis fulmen unguibus stringens; vel denique Juppiter eo typo, quo visitur expressus in simili nummo apud doctissimum Seguinum pag. 155. Hæc autem numismata in Syria percussa fuisse non obscure eorundem sculptura indicat, unde

unde anni sacri apud Syros usus colligi cuipiam posset. Scaliger lib. 6 de emend. Temp. pag. 362, cum id genus nummos recitasset, ait: *Non satis capio*; aliisque eorundem interpretationem tenendam dimisit. Seguinus censuit eos annos sacros numerari a reparato Romæ templo Jovis Capitolini, quod bello civili Vitelliano conflagraverat, cujus restauratio cœpta fuit XI Kal. Julius A. V. 823 exeunte primo imperii Vespasiani, ex Tacito lib. 4 Hist. Hanc explicationem eximie commendat Spanhemius pag. 881 ob symbola præsertim Jovis Capitolini & Aquilæ iisdem nummis impressa. Hanc tamen interpretationem alia id genus numismata manifestæ falsitatis convincunt. Extat Romæ in collectione Kircheriana apud Patres Societatis Jesu argenteus nummus Nervæ in postica obsignatus: ETOTC NEOT IEPOY A. *Anno novo sacro Primo*. Nicolaus Toinardus typum æri incisum alterius nummi ejusdem Nervæ ad me transmisit cum epigraphæ: ETOTC NEOT IEPOY B. *Anno novo sacro Secundo*, cum Aquila fulmen ungvis stringente, ac sinistrorsus ramo palmæ, quæ nummum in Syria sculptum indicat. Itaque cum anni illi sacri, post Vespasianum patrem ac utrumque filium extinctum, ab initio numerentur, neutiquam iisdem epocha reparati templi Capitolini designatur, sed anni tum imperantium Cæsarum exprimuntur. In Museo Mediceo visitur Antonini Pii nummus, in cujus parte altera intra lauream legitur: S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI PIO. Eas literas A. N. F. F. in gemino nummo ejusdem Augusti, *Annum Novum, Faustum, Felicem*, recte exposuit Joannes Petrus Bellorius in eruditissima epistola ad Illustrissimum D. Abbatem Claudium Nicasium,

Cui felix & fausta dies & longior ætas.

Quæ mecum vota concipiunt quicumque literas Musasque foveat, quarum Nicasius grande decus est. Seneca in Satyra Claudiana ait: *Quid actum sit in cælo ante diem III. Eidus Octobris, Asinio Marcello & Acilio Aviola Coss. anno novo, initio sæculi felicissimi &c.* Ita annum novum imperii ea die post mortem Claudii, a Nerone initi, appellat. Dies subinde novos annos imperii Principum inchoantes, eximia pompa toto Romano Orbe cele-

brabantur, ut ex epistolis 60 ac 103 libri Plinii aliisque passim. Scriptoribus intelligimus; erant enim *idies feriati* ex L. 2 de *Feriis* Cod. Theod. Diem imperii, inquit Plinius epist. 103 *debita religione celebravimus, commendantes Diis imperii tui auctoribus, & vota publica & gaudia*. Hinc quod recurrente quotannis die Natali imperii Principum, ad aras Deorum inter sacrificia, annum secundum, tertium, &c. imperii faustum felicem, votis susceptis, nuncupabant, iidem anni novi etiam *sacri* dicebantur; siquidem fere omnia quæ Imperatores attinebant, sacra vocabantur; unde & *sacra largitiones, sacrum consistorium, sacri vultus, sacra litera &c.* in utroque Codice passim occurrunt. Hinc auguror, quid *anni novi sacri* in laudatis nummis urbium Syriæ obsignati significant. Eos vero nummos inter ea solemnia vota scalpta ostendit laudatum Antonini Pii numisma. Aliam eorundem numismatum interpretationem proximo postea capite nono § 1 refero, sed non probo. Cur vero nummi cum ea Inscriptione, *ensi* fuerint imperantibus Flaviis, ac post eosdem Nerva, ita ut hactenus nec priorum nec posteriorum Cæsarum numismata illam inscriptionem præferant, exponet præximia sua eruditione Nicolaus Toinardus, ad quem Mediceorum numismatum Vespasiani ac Domitiani ea epigraphe obsignatorum typos, jussu Serenissimi Magni Etruriæ Ducis COSMI III transmissi. Idem etiam qui totam hanc messem metet, longe probabilior eorundem interpretationem exhibebit, quam & ipse veluti ab oraculo commissam cum plausu excipiam.

Hactenus, ut vetus est adagium, lapidem movi; sed non promovi; quamvis enim laudatum testimonium Juliani, quo Loum vocat mensem decimum in anno Antiochenorum, minus commode ab aliis expositum verbosius nec sine fastidio Lectorum ostendi; nihil interim produxi, quo probabilius propositæ difficultati satisfacerem. Hæreo, fateor, ad aquas, nescius quam mihi vadam tentandum. Si enim, ut ait Julianus, Antiocheni mensem Loum in anno decimum numerabant, a mense Dio annum dubio procul inibant. Julianus adhuc juvenis apud Nicomediam degerat, *anni Macedonici forma servabatur*; licet ibi-

ibidem menses non iisdem ac apud Macedonas, nominibus appellarentur. Idem fuit etiam Ephesi, ubi Maximo philosopho præceptore usus est, ac diutius apud Pergamum substitit, ut Ædesium docentem audiret, quod utrumque testatur Eunapius in Maximo. In utraque autem urbe annus Macedonum, ac mensium nomina Macedonica servabantur, quorum Dius primus, Lous vero decimus numerabatur. At nunquam Julianus ante imperium occupatum, in Syria fuerat, qua in regione cum alii ab Hyperberetæo, alii a Dio, uti Gæzenses aliique Palæstini, annum inirent, ac insuper neomenias utriusque mensis non ab una eademque die anni Romanorum arcesserent, Julianus harum minus rerum curiosus, cum jam in Asia intellexisset Diem primum mensem in anno Macedonum decurrere, putavit etiam Antiochenos, qui anno ac mensibus Macedonum utebantur, annum ab eodem mense Dio auspiciari; unde Lous eidem decimus in anno Antiochenorum mensis numeratus fuit: qui reapse erat undecimus. Galenus comment. i in librum i Epidem. Hippocratis ait: *Nunc quia Dius solis est Macedonibus notus, contra Atheniensibus obscurus ceterisque mortalibus &c.* Cur hos inter Julianum non recensebimus, qui varia anni apud Macedonas in Asiæ ac Syriæ provinciis exordia cognoscendi curam desepexit, rebus philosophicis ac profanis Deorum mysteriis intentus? Et sane dum Julianus inquit: *is, opinor, Lous a vobis nominatur*, haud sibi compertum esse significat, quo nomine Antiochiæ mensis ille decimus vocaretur; sed in numero potius, quam in nomine mensis designando falso opinatus est. Si cuiquam tamen difficile videatur Principi malæ quidem fidei, sed multæ eruditionis, anni a Syromacedonibus usurpati inscitiam affingere, cum & plures menses Antiochiæ degerit, ac Libanio ejusdem urbis cive familiariter usus fuerit, is, per me licet, ad eruditissimi Loydi de sacro eoque a civili distincto anno Antiochenorum sententiam accedat, si nihil interim probabilius occurrat.

CAPUT VII.

Templum Jovis Philii apud Antiochiam. Anni ab imperio Augusti
in

in Antiochensium nummis obfignati. Illud imperium cœpit ab autumno A. V. Roma DCCXXIII. Insignium Scriptorum de Quintilio Varo præfide Syria anachronismi ex ejusdem nummis emendantur. Nomen APXIEPETΣ Pontificem primum sive Maximum, significasse contra Guttherium ostenditur. Vox APXIEPATIKON quid in Antiochensium nummis exprimat. Alytarcha Antiochia ludis Olympicis præsidebat. Syriarcha urbium Syria suffragiis creatus. Ludis Olympici apud Antiochiam quandonam cœpti & postea antiquati. Num anni ab imperio Augusti in Syria specialem Epocham constituerint.

IN nummis Antiochenorum alia Epocha utraque superius descripta, recentior occurrit, cujus nec vola nec vestigium apud Scriptores uspiam reperitur. Ea vero in nummis quorundam præsidum Syriae, atque etiam ipsius Augusti obfignata est. Extant nummi Vari Legati Proprætoris Syriae apud Antiochiam scalpti.



In antica parte horum numismatum visitur caput Jovis laurea-tum sine epigraphe, cum rigente ac implexa barba, ut sæpe alibi occurrit. Prudentius in Peristephan. Hymno X de S. Romano Antiochiæ Imperatore Maximiano Galerio contra Christianos desæviente, martyrium passo, Jovis simulacrum describens, ait:

*Ars seminandi efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat.*

Uti vero Juppiter a diversis urbibus sub variis cognominibus colebatur, videlicet *Olympici, Capitolini, Forensis, Ceraunii, Hospitalis &c.* Antiocheni Jovem *Philiūm*, id est, *Amicum* adorabant. Julianus Augustus, qui vix triginta annos natus, proluxa ac hirsuta barba Jovem æmulabatur, in Misopogone, quod opus de odio bar-

barbæ (ita namque Græcus ejus satyræ titulus Latine vertitur) Antiochiæ composuit, narrat se ab Antiochenis hisce perstri-ctum: *Venerunt Kalenda Syrorum; Rursus Caesar ad Jovis Philii. Post hac Kalenda Januaria. Caesar iterum it in templum Genii; in-termisso nefasto die, qui nempe erat postridie Kalendas, rursus in-ade Jovis Philii more majorum, vota suscipit.* Itaque celebre erat Antiochiæ templum Jovis Philii, in quo idololatra Imperator III Nonas Januarii vota nuncupabat, uti Romæ Augusti ad aras Jovis Capitolini eadem die vota suscipiebant. Eusebius lib. 9. Hist. Ec-cles. cap. 2 narrat Maximino in Oriente imperante, Theotecnum Antiochiæ persecutionem contra Christianos instaurasse, *Jovis Philii simulacro* ibidem publice erecto. Plura de Jove Philio vi-desis apud Tristandum tom. 1 pag. 418, ubi nummum explicat in-scriptum: ΖΕΥΣ ΦΙΛΙΟΣ, *Juppiter Philius.* In aversa parte laudatorum numismatum eadem figuræ scalpæ videntur.



Antiochiæ imago turrita monticulos insidens, dextera ramum præfert palmæ, quæ Syriæ symbolum est; subtus vero figura O-rontis fluminis, quo urbs alluitur, ex undis partim emergente, cum eadem in singulis epigraphæ: ΕΠΙ ΟΥΑΡΟΥ. ANTIOXEΩΝ: *Sub Varo. Antiochensium.* Is est P. Quintilius Varus, cujus Tri-umviri monetalis cum elogio Augusti in priori parte nummi, re-trorsus nomen sculptum legitur: P. QVINTIL. SEX. F. VARSVS III. VIR. A. A. A. F. F. S. C. Idem fuit Consul A. V. 741. collega Tiberio Claudio Nerone, qui postea imperavit; ejusque consularatus in vetustis etiã Inscriptionibus memoratur apud Sponium sect. IX Miscell. pag. 289 ac Gruterum pag. XL. Plura

de eodem Syriae postea praeside, scripsi Dissert. 2 de Cenotaphiis Pisanis a pag. 310. Ejusdem genus ac mores paucis exponit Vel-lejus Paterculus lib. 2, ubi cetera inter ait: *Pecunia vero quam non contempser, Syria, cui prae fuerat, declaravit; quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit.* Porro tres illos Vari nummos alias raros, diversi in singulorum aera anni scalpti, eximie insigniunt. Prior nummus cum notis EK, Anno XXV, imperii Augusti in Syria, servatur hic Florentiae in scriniis Illustrissimi Marchionis Francisci Riccardi, duplici legatione, Romana ac Germanica jussu Serenissimi Magni DV CIS Etruriae pari splendore ac laude, peracta, ac summis in aula ministeriis domi forisque celebrati. Alter nummus sinistrorsus delineatus cum literis numeralibus EK, annum XXVI Augustei in eadem Syria imperii indicat. Nota illa numeri VI rara in nummis, apud Antiquarios hactenus non visa, in alio nummo C. Cassii apud eandem Antiochiam percusso, in cap. 4 superius mihi exposita est. Huncce nummum possidet vir pereruditus Franciscus Dron, Parisiis S. Thomae ad Luparam Canonicus. Tertium denique inter utrumque nummum vidi in Cimeliis Mediceis, in quo literae ZK annum ab imperio Augusti in Syria XXVII exprimunt. Præterea in eadem locupletissima gaza Medicea extant plura numismata Silani praesidis Syriae cum notis numeralibus ΓΜ & ΔΜ, Anno XLIII & XLIII. In anteriori parte visitur idem laureatum caput Jovis, averfa parte ita obsignata.



Inscriptio nummi est: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΓΜ.
videlicet: *Sub Silano. Antiochensium. Anno XLIII.* Hic autem
num-

nummus vulgaris est; etenim servatur in Cimeliis Regis Christianissimi, ac Christianæ Svecorum Reginae, quem etiam possident alia scrinia privata in Italia Comitum Joannis de Lazara Patavii, ac Francisci Mediobarbi Mediolani. Rarius vero est numisma simillimum laudatis, quod vidi in scrinio Apollonii Bassetti Serenissimo Magno Duci a secretis, neique amantissimi; ibi enim cum eodem ariete ac sidere, in area nummi sculptum est BM: quibus notis *Annus XLII* indicatur. Inscriptio injuria temporis erasa est. Inscriptionem tamen ΕΠΙ ΣΤΑΑΝΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ, in altero persimili legit Sebastianus Bianchi nummariæ eruditioni addictissimus ac Medicæ Numismatum gazæ præfectus, in insigni Cimeliarchio laudati Comitum de Lazara, cum epocha BM, quarum prior nota numeralis B ibidem apparet; altera M aliquantisper obtusa. Spanhemius Dissert. IX pag. 867 binos Silani nummos e Medicæ Cimeliis appellat cum notis ΓΜ & ΔΜ, ac recte monet iisdem non designari Epocham Antiochenorum; siquidem indicarent annos, qui fuere ab urbe Roma condita 748 & 749, quibus Silanus non erat præses Syriæ; hic enim, ut mox ostendo, A. V. 767 Syriam administravit. Rursus idem V. C. tradit nec annos imperii Augusti ibidem exprimi. Silanus enim anno LVI imperii Augusti ac vitæ ejusdem postremo, Syriam Proprætor tenebat. Hinc concludit: *De iisdem literis eundem ulterius in consilium.* Verum in Pisanis Cenotaphiis a pag. 358 ostendi, in laudatis Silani nummis designari annos imperii Augusti in Syria ac apud ipsam Syriæ metropolim Antiochiam. Eos vero annos imperii Augusti in Syria ibidem ab A. V. 724 circa initium ætatis paulo ante mortem Antonii Triumviri deducendos tradidi; qua in re, ut etiam in annis administrationis Syriæ Vari designandis, anachronismos admisi, quos insignium operum nummorum, quos postea inspexi, hic paucis emendabo.

Cum Augustus die secunda Septembris A. V. 723 navali prælio apud Actium Antonium ac Cleopatram superasset, paucos intra dies provinciis Græciæ, quæ hætenus in parte imperii M. Antonii fuerant, constitutis, in Asiam Proconsularem transmisit, quam statim universam ultionem urbium deditione occupavit;

ubi paulo post Kalendis Januariis quartum Consulatum inivit, teste Suetonio cap. 26 de vita ejusdem. Idem vero Augustus statim post victoriam, partem classis in Syriam miserat, ut hujus quoque provinciis in potestatem redactis hostem intra Ægyptum clauderet. Plutarchus in Antonio narrat Cleopatram post cladem Actiacam, celeri fuga Alexandriam advectam, jussisse naves ex mari mediterraneo per isthmum in Arabicum sinum transportari, additque: *Sed cum primas naves per terram delatas, Arabes qui circa Petram incolunt, igne corrupissent, & Antonius etiam tunc in legionibus, qua circa Actium reliquerat, spem haberet, & incolumes esse putaret, defecit Cleopatra ab incognito.* Legiones quas in castris prope Actium Antonius reliquerat, cum septem dies in fide stetissent, ad Cæsarem postea transitionem fecerunt, cum earundem legatus Canidius se præcipiti fuga rapuisset ad Antonium, ut inquit Vellejus lib. 2. Ex his colligo naves per isthmum delatas, ac Arabibus igne absumptas prius quam exiret September, cujus initio apud Actium pugnatum fuerat, & antequam Canidius amissarum legionum nuntius ad Antonium veniret. At Dio lib. 51 scribit: *Eodem tempore Arabes a Q. Didio Syria præfecto persuasi, naves in sinu Arabico fabricatas ad navigationem in rubrum mare, combusserunt; populi quoque & reges omnes supplicas Antonio Cleopatraque denegarunt.* Itaque Arabes persuasi sunt eas naves comburere a Q. Didio legato, qui pro Cæsare Syriam occupaverat. Incomptum est, num Didius antea Antonii legatus, hujus clade intellecta, in partes statim Cæsaris transierit, vel post victoriam cum classe ab eodem Cæsare Octaviano missus, Syriam obtinuerit. Equidem L. Pinarius Scarpus, qui proximam Ægypto Africæ partem pro Antonio regebat, statim post cladem ad victorem defecit. Idem Dio de gladiatoribus, qui jussu Antonii apud Cyzicum servabantur, ait: *Ubi primum qua essent acta, nempe apud Actium, cognoverunt, in Ægyptum ad ferendum eis auxilium properarunt.* Addit eosdem plurimum incommodi intulisse Didio qui transitu ipsos prohibere conabatur. Illi enim Antonium ad se accersiverant, *facilius putantes cum eo conjunctos in Syria bellum gerere posse.* Qui tamen cum ad eos non

non veniret, Q. Didio se tradiderunt cum eo, ut apud Daphnem Antiochiæ suburbium remanerent. Cum vero gladiatores post nuntium cladis Antonii, in Ægyptum iter maturaverint, Didius qui illis obstitit, paulo post victoriam Actiacam, Syriam pro Cæsare tenebat. Hæc quidem Dio recitat A. V. 724 sub Augusti quarto consulatu, uti & ea quæ de navium combustione recensui; quia uno historiæ filo contextit quæcunque Cæsar post victoriam, gessit, nempe iter in Græciam, transmissionem in Asiam, inde Brundisium navigationem, ac denique reditum ejusdem in Asiam, quæ partim contingere anno Juliano XV, partim sequenti cum esset Consul IV. His vero recitatis, Dio ad res Antonii ac Cleopatraz regrediens, ait: *Hi a pugna navali fuga clapsi, usque ad Peloponnesum simul cum pervenissent &c.* ubi uno contextu recitat gesta utrique tum reliqua parte anni Juliani XV, tum parte anni proximi, qui fuit a parilibus V. C. 724. Idem Dio initio ejusdem lib. 51 de regibus, qui Antonio suppetias ante pugnam Actiacam tulerunt, scribit: *Sed & ipsi & omnes populi qui ante etiam Romanis subditi erant* (hos inter censebantur Antiocheni) *parvstatim, pars post pacis conditiones a Cæsare acceperunt.* Hinc patet Antiochenos statim post victoriam Actiacam, ad partes Cæsaris defecisse, ut ante victo Pompejo, ad priorem Cæsarem transitionem subitam fecerunt, uti superius exposui. Itaque Antiocheni qui hactenus sub imperio Antonii Triumviri fuerant, eodem victo, ad Cæsarem deficientes, annos imperii ejusdem Cæsaris Augusti apud ipsos in Syria ab autumno A. V. 723 numerare cœperunt. Ægyptii cum A. V. 724 in Augusti potestatem venissent, Epocham annorum ab inito apud ipsos illius imperio, instituerunt, ut tradit Censorinus cap. 20 de die Natali, ubi loquens de variarum gentium Epochis cum A. V. 991 concurrentibus, ait: *Sed Ægyptii, quod biennia ante* (in Consulatu videlicet Augusti VII & M. Agrippæ III) *in potestatem ditionemque Populi Romani venerunt, habent hunc Augustorum annum CCLXVII.* Hanc novam Augustanam Epocham Alexandrini inchoarunt a prima die Thoth, a qua annum civilem auspiciabantur, quæ eo anno Urbis 724 cum die 29 Augusti, sive nunc Sextilis mensis concurrebat. Hinc Philo in-

legatione ad Cajum, Ptolemæus in Canone, ac Clemens Alexandrinus lib. 1 Stromatum, scribunt Augustum annos XLIII imperasse; qui cum obierit A.V. 767, ea summa anteriorum imperii deducitur ab A.V. 724, a quo tres illi scriptores Alexandriæ nati, annos imperantis apud Alexandriam Augusti numerant; cum tamen vetustus Auctor dialogi de Oratoribus hæc scribat: *Statue sex & quinquaginta annos, quibus mox Divus Augustus Rempublicam rexit*; nempe ab A.V. 711, quo Triumviratu inito, in Italia, Gallia, Hispania, aliisque in Occidente provinciis cœpit imperare. Dio vero initio lib. 51 ait ideo se notasse diem navalis apud Actium pugnae, quod ab ea die primum Caesar solus rerum potitus est, imperiique ejus recensio præcise ab ea sumitur. Et sane Asiatici ac Syri, ut alios populos amittam, ab A.V. 723, quo Caesar Augustus apud Actium victo Antonio, eas provincias sibi subdidit, annos imperii ejusdem numerarunt. Hoc de Antiochenis ac proximis Seleucensibus ex eorundem nummis demonstro.




Sunt ambo nummi Tiberii. Prior servatur in Museo Mediceo ex locupletissima collectione Cardinalis Leopoldi; idemque visitur Mediolani in Cimeliis Septalianis. Inscriptio antica partis Latine redditur: *Caesar Augustus Augusti filius*. In alia parte legitur A. EPI ΣΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. *Anno primo, Sub Silano. Antiochensum. Anno XLV.* Alter nummus ejusdem Tiberii cum eadem epigraphæ anteriori, cernitur in Cimeliis Illustrissimi D. Theodorici Bignonii, libellorum supplicum Magistri, & magni Regum Maximi Concilii præsidis. Postica Inscriptio est: Γ. ΕΠΙ ΣΙΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. *Anno tertio, Sub*

Sub Silano. Seleucensium. Anno XLVII. Tacitus lib. 2 Ann. recensens gesta A. V. 770, C. Cœlio Rufo & L. Pomponio Flacco Coss., scribit: *Sed Tiberius demoverat Syria Creticum Silanum per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni vetustissimo liberorum ejus pacta erat.* In utroque nummo signantur anni imperantis Tiberii, & anni insuper Epochæ ab imperio Augusti in Syria. Nam ab autumno A. V. 723 numerando annos XLV in nummo Antiochenorum Mediceo obsignatos, erimus ad A. V. 766, quo usque ad diem 19 Augusti primus annus imperii Tiberii decurrebat, qui in eodem nummo componitur cum anno imperii Augustei in Syria XLV. Rursus numerando ab eodem A. V. 723 annos imperii Augusti XLVII, in altero nummo Seleucensium scalptos, devenimus ad A. V. 770, quo usque ad memoratam diem 19 Augusti, annus imperii Tiberii tertius labebatur, ut in eodem numismate notatur. Equidem nisi contentiosus ac vitiligandus cupidus, negare possit illis literis A in nummo Antiochenorum, ac F in alio Seleucensium, annum primum ac tertium principatus Tiberii significari. Ex his colligimus annos Syriacæ administrationis Cretici Silani. Nam cum in nummis Mediceis legatur: ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΓΜ, & in aliis ΔΜ, ibique numerentur anni ab imperio Augusti in Syria cœpto A. V. 723, in laudatis nummis exprimuntur anni ejusdem imperii XLIII & XLIV, qui desierunt circa autumnum A. V. 766 & 767. Quod si alius rarior nummus viri spectatissimi Apollonii Bassetti, in quo, ΒΜ, annus XLII scalptus visitur, ejusdem Silani inscriptionem præfert, habemus eundem Silanum per sexennium Legatum Augusti ac successoris Tiberii in Syria. In Cenotaphiis Pisani Disser. 2 cap. 16 § 12 ex Josepho ostendi P. Sulpicii Quirini Syriæ Præsidis annum primum concurrere cum A. V. 760. Quare hic Creticum Silanum successorem excepit. Fuerat hic Consul cum A. Licinio Nerva Siliano A. V. 760, dictusque est Q. Cæcilius Metellus Creticus Silanus, uti Pighius in Annalibus recte observavit.

Ex his intelligimus notas numerales in tribus exhibitis Variis nummis apud Antiochiam percussis; illis enim signantur anni imperantis in Syria Augusti, qui cum inierint A. V. 723, prior Variis num-

nummus exhibet annum EK, nempe XXV, qui exiit per autumnum A. V. 748. Alter cum α K, anno XXVI imperii ejusdem Principis in Syria sculptus fuit. Denique tertius Mediceus cum ZK, annum Syriaci imperii Augusti XXVII denotat, qui exiit sub autumnum A. V. 750. Ex hisce nummis insignium Scriptorum anachronismi emendandi sunt, quibuscum etiam ipse tam longo licet ab iisdem intervallo, corrigendus venio. Nam Baronius num. 86 Apparatus ad Annales ait: *Anno ab V. C. 748 præficitur Syria totique Orienti C. Caesar Augusti filius adoptivus: quo defuncto, nullus alius subrogatus reperitur, nisi qui ab Evangelista recensetur, idem qui supra Quirinius; quem A. V. 752 Syriæ præsidem facit, addens: Hic autem habuit successorem Quintilium Varum.* Salianus in Annal. initium regiminis Syriaci Quintilii Vari protrahit ad A. V. 752. Casaubonus in Exercit. retrahit ad A. V. 750. Ego vero cum pag. 305 de Cenotaphiis Pisani scripsissem Sentium Saturninum A. V. 746 præsidem Syriæ fuisse, pag. 310 addidi Quintilium Varum A. V. 750 Legatum Augusti in Syriam venisse. At ex tot nummis ejusdem Vari apud Antiochiam scalpitis, constat illum jam ab A. V. 748 Syriam administrasse. Itaque ea mihi Præsidum Syriæ chronologia erronee ibidem descripta, ita reformanda est, ut Agrippa A. V. 741 ex Syria in urbem revocato, M. Titius eandem provinciam cum imperio tenuerit, cui successor postea missus est ab Augusto C. Sentius Saturninus; neutrius vero regiminis annos definire ausim, ne iterum in anachronismos incidam. Hoc scio Quintilium Varum A. V. 748 fuisse Legatum proprætorem Syriæ, ac duobus insuper annis insequentibus. Tacitus lib. 5 Hist. ait: *Post mortem Herodis, nihil expectato Casare, Simon quidam regium nomen invaserat. Is a Quintilio Varo obtinente Syriam, punitus, & gentem coercitam, liberi Herodis tripartito rexere.* Quæ prolixius describit Josephus lib. 17 Antiq. cap. 12. Quare, si quo anno mortuus est Herodes Ascalonita, Quintilius Varus Syriam præses obtinebat, sub eodem pariter præside Syriæ, CHRISTVS DOMINVS natus est; nequit enim ejusdem Natalis citra A. V. 748 retrahi; quamvis annus illius certus nondum fuerit demonstratus. Non est animus nec lo-

cus emendandi quædam alia errata mihi ibidem commissæ ex metachronismo aduentus Vari in Syriam A. V. 750, nempe tum brevior mora in Vrbe Antipatri, quam ad brevius spacium contraxi; cum septem menses Josepho memorati, numerandi sint a detectis insidiis ab eodem Herodi patri structis, ad ejusdem in Judæam reditum; tum etiam alia ejusmodi a me ibidem scripta, etenim viri eruditissimi mihi que amicissimi Nicolaus Toinardus in Historia Herodiadum, ac Antonius Pagy in animadversionibus ad magnos Ecclesiæ Annales, omnia hæc recto annorum ordine recitabunt; siquidem cum utroque laudatos proxime nummos Vari ac Silani communicavi. Interim alium nummum e gaza Medicea exhibeo annis imperii Augustei in Syria obsignatum.



Est numisma Augusti optime servatum, cujus antica Inscriptio Latine redditur: *Cæsari Augusto Pontifici Maximo*. Gutherius lib. 1 de vet. jure Pont. cap. 8 scribit, vocem ἀρχιερέα Pontificem tantum, non autem Pontificem Maximum significare; unde & Dionem reprehendit, qui Cæsarem Dictatorem vocavit ἀρχιερέα, nempe *Pontificem*, cum addere debuisset μέγιστον, hoc est, *Maximum*. Errat tamen Gutherius; siquidem ἀρχιερέα *Pontificem primum* significat, qui Romanis dicebatur *Pontifex Maximus*; quamvis etiam eadem voce Pontifices, qui non essent primi Pontifices, quandoque exprimebantur. Extat in Museo Mediceo nummus maximi moduli, in quo visuntur sculpti Philippi Augusti, pater radiato capite, filius vero laureato, cum epigraphe: ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΙ ΣΕΒ. *Imperatores Cæsares Philippi Augusti*; & in postica: ΕΠΙ ΑΥΤ. ΜΑΡΚΟΤ ΑΡΧ. ΠΡΩ. ΚΗΒΗΣ-
Kk CIEΩΝ;

CIEON; & in area ΤΟ Β, cum Hygie, Telesphori, ac Æsculapii figuris; nempe: *Sub Aurelio Marco Pontifice Primo Cebeſſeorum iterum.* Cum ibidem legatur Ἀρχιερέως Πρώτου, *Pontificis Primi;* vox ἀρχιερέως neutiquam ibi denotat Pontificem primum; alias altera vox πρώτη eſſet ſuperflua. Ita in titulis Romanorum Principum voci ἀρχιερέως additur μέγας, ut initio literarum Claudii Imperatoris apud Joſephum lib. 19 cap. 4. Utroque vocabulo Veſpaſianus in Inſcriptione Thyatiræ apud Sponium in Itinerarii parte 1 pag. 400; Titus in Smyrnenſi lapide, cujus mentionem feci pag. 55 epistolæ Conſularis; Antoninus Pius Gruteri pag. 265, & alii paſſim Cæſares nuncupantur, ut & Tiberius in nummo apud Triſtanum, quem mox produco. Ceterum ἀρχιερέα Pontificem primum ſeu Maximum ſine alio epitheto deſignare, recte oſtendit Spanhemius Diſſert. 6 pag. 539. Plutarchus in Cæſare, cum narraſſet mortem Μετέλλου τῷ ἀρχιερέως, *Metelli Pontificis Maximi*, ait Cajum Cæſarem, ad comitia Pontificia adverſus potentes competitores deſcendentem, matri dixiſſe, ipſam ea die viſuram ἢ ἀρχιερέα τὸν υἱόν, ἢ Φυγάδα, *aut filium Pontificem Maximum, aut exulem.* Appianus lib. 2 bell. civ. pag. 471 narrat, paullo ante pugnam Pharſalicam quosdam Senatores certatiſſimam ſpem certam concepſiſſe obtinendi *Pontificatus maximi Cæſaris;* ubi Græce legitur, τῷ Καίſαρι ἀρχιεροσύνης. Auctor etiam lib. 2 Maccab. IV, 7 narrat Jaſonem ambiviſſe Ονίαν τὴν ἀρχιεροσύνην *ſummum ſacerdotium*, uti recte vertit S. Hieronymus; quam etiam vocem iterum legimus cap. XIV, 38. Itaque Pontifex maximus Ἀρχιερεὺς, & Pontificatus maximus ἀρχιεροσύνη Græcis Scriptoribus nuncupantur. In lib. 12 Cod. Theod. *L. 12 de Decurionibus*, extat decretum Imperatoris Theodoſii *de conſequenda Archieroſyna.* In lib. 1 Maccab. cap. 15 recitantur literæ Antiochi regis inſcriptæ Σίμωνι ἡγεῖ μεγάλῳ, καὶ Ἐθναρχῇ, *Simoni Pontifici magno & Ethnarchæ.* Et antea cap. 13 legitur epistoſa regis Syriæ Demeτρίου inſcripta eidem Simoni ἀρχιερεῖ, καὶ φίλῳ βασιλείῳ, *Summo Pontifici & amico Regum.* Ita ἀρχιερεὺς idem ſignificat ac ἱερεὺς μέγας. Denique extant apud Joſephum lib. 16 cap. 10 literæ ſeu edictum Auguſti, cum titulo: Καίſαρ Σεβαςτὸς, Ἀρχιερεὺς, Δημάρχ-

Δημαρχικῆς ἐξουσίας, λέγει: *Cæsar Augustus, Pontifex Maximus, Tribunicia potestatis, censet.* Tres priores voces sunt ipsamet epigraphe nummi quem produxi. Id vero temporis Augustus erat Pontifex Maximus, creatus A. V. 741 à parilibus post Lepidi mortem; siquidem in ea constitutione nominat C. Marcium Censorinum Asiæ Proconsulem, cujus consulatus jam antea contigerat A. V. 746.

In altera laudati nummi parte legitur: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΖΚ. Harduinus pag. 50 hanc epigraphen exponens, ait: *Summum apud se sacerdotium residere Antiocheneses priore illo vocabulo gloriantur: sepe nos unus jus esse eligendi eum, qui sacris totius Provinciae communibus faciendis (τὰ κοινὰ τῆς ἐπαρχίας appellabant) præses foret, ἔς Ἀρχιερέως. Hunc Augusto ipsi honorem deferunt;* quod postremum ex anticæ partis epigraphe eidem colligitur. Hæc tamen interpretatio mihi nullatenus probatur. Nam unde V. C. novit Antiochenos jus sibi usurpasse eligendi Pontificis, qui totius provinciæ Syriæ sacris præsideret? In Asia Proconsulari, decem Pontifices in communi provinciæ concilio nominabantur, ex quibus Proconsul unum quotannis designabat, qui vulgo Asiarcha appellabatur, uti tradit idemmet Harduinus pag. 423 viginti versibus ad verbum exscriptis ex notis Henrici Valesii in cap. 15 lib. 4 Hist. Eusebii Cæsariensis. Hæc vel invitum me cogunt indicare splendida, quæ idem Harduinus Lectori in præfatione facit, promissa: *Dabimusque, inquit, operum, ne ex aliorum fontibus areolas nostras irrigasse videamur;* quæ tamen areolæ aruissent, nisi easdem deductis tot ex Valesiano fonte rivulis irrigasset; quas etiam sæpius Cuperianis lymphis adaquatas non sine querimonia narrat Gisbertus Cuperus a pag. 173 eruditissimi voluminis, quod *Harporatē* inscripsit. Strabo lib. 14 scribit Pontificem, qui Lyciæ sacris præerat, triūm ac viginti urbium suffragiis creatum: *Ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ πρῶτον μὲν Λυκίας ἀρχὴς ἀίρεται: In concilio vero primum Lyciarcha creatur.* Nec secus in Syria factum arbitror. Etenim nec Laodicensēs, perperam Antiochenensium æmuli, nec Seleucenses, aut Apamienses jus totius provinciæ Pontificis designandi solis Antiochenis permisis-
Kk 2
sissent.

sissent. Extat Honorii *L. 148. de Decurion.* in lib. 12 Cod. Theod. *Cum super ordinando Sacerdote provincia publicus esset ex more tractatus &c.* Ita verbum illud *ex more* vetustam consuetudinem appellat, qua in publico provinciæ conventu Pontifex nominabatur. Præterea in lib. 1 Cod. Just. *L. un. de officio Comitum Orient.* laudatur constitutio Imperatoris Leonis *de Alytarchia & Syriarchia muneribus in prima Syria*; ubi hæc plane leguntur: *Alytarchia quidem ludi cura viri spectabilis Comitum Orientis & ejus Officio; Syriarchia vero sollicitudine viri Clarissimi moderantis provinciam ejusque Apparitoris exerceantur.* Alytarcha erat Pontifex in urbe tantum Antiochia. In lib. 10 Cod. Theod. *L. 12 de jure fisci* hæc sancit Imperator Theodosius: *Alytarcha urbis Antiochena plantandi plures, exscindenda unius cupressi, jubemus tribui facultatem.* Joannes Malela Antiochenus in Chronicis MSS. scribit ludos Olympicos apud Antiochiam restauratos ab Afranio primo Alytarcha, anno Æræ Antiochenorum CCLX, quos postea Imperator Justinus antiquavit, anno ejusdem Æræ DLXVIII, quo temporis spacio numerat apud Antiochiam Alytarchas LXXVII, quot Olympiades medio-spacio annorum 308 colliguntur. In *L. 2 de expensis ludor.* lib. 15 Cod. Theod. *Alytarcha, Syriarcha, & Asiarcha* nominantur. Jam vero Leo Augustus ludos, quos Alytarcha Antiochiæ edebat, committit curæ Comitum Orientis; at munera Syriarchæ deputat sollicitudini *moderantis provinciam*; quod Syriarcha communibus urbium Syriæ superioris suffragiis creabatur; Alytarcha vero a folis Antiochenis eligebatur. Quamvis vero sub Leone, qui imperium accepit anno Christi 457, Alytarchæ & Syriarchæ desissent esse Sacerdotes, cum Syria Christianam religionem induisset; priori tamen ætate Alytarcha erat sacerdos in urbe tantum Antiochenorum; Syriarcha autem erat Pontifex totius provinciæ Syriæ, ab ejusdem urbibus in publico conventu creatus. Constantinus Magnus lib. 5 Cod. *L. 5 de natur. liberis* nominat quos in civitatibus *duumviralitas, vel sacerdotii, id est, Phœniciarchia vel Syriarchia ornamenta condecorant*; tunc enim maxima Phœnicum ac Syrorum pars vetustæ Deorum superstitioni addicta erat. Uti vero Antiocheni Augustum nec totius Syriæ

Syriæ provinciæ Pontificem, quod hætenus ostendi, designarunt; ita nec eundem suæ ipsorum urbis Alytarcham creaverunt; siquidem hoc sacerdotium anno Æræ Antiochenorum CCLX, Antonino Caracalla imperante, Antiochiæ primum institutum fuit; quamvis Malela anno memorato Commodum Imperatorem perperam obtrudat. Quod verò Harduinus ex laudati nummi inscriptione auguratur Augustum Antiochiæ Pontificem a civibus designatum, alterius Principis exemplo probari potest. Nam apud eundem pag. 105. profertur e regia Gaza M. Aurelii Antonini Caracallæ nummus retrorsus inscriptus: ΕΠΙ. ΑΡΧ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΩ. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Sub Pontifice Primo M. Aurelio Antonino. Byzantiorum.* Et sane Augustus a Suetonio cap. 93 dicitur sacris Cereris *Athenis initiatus*. Ipse tamen aliter eandem epigraphen expono. Cum A. V. 741, mortuo Lepido Pontifice Maximo, Imperator Cæsar Augustus Pontificatum maximum accepisset, Antiocheni quo publicam ob novam Principi delatam dignitatem, lætitiā exprimerent, auream coronam quotannis ad Augustum mittere decreverunt. Id munus vulgo *aurum coronarium* dicebatur, quod & *σεφάρικον* ab Ancyranis appellatum Suidas testatur. Et quidem coronæ aureæ initio ob victorias Romanis ducibus a foederatis urbibus, amicisq; regibus offerebantur. Postea vero eadem coronæ ob Cæsarum adoptionem sive ob susceptum imperium Romanis Principibus mittebantur. Capitolinus de Imperatore Antonino Pio cap. 4 scribit: *Aurum coronarium, quod adoptionis suæ causa oblatum fuerat, Italicis totum, medium provincialibus reddidit.* Ita Antiocheni auream Pontificiam coronam ob summum Pontificatum Augusto delatum, eidem honoris gratia decreverunt, quod donum ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ suis in nummis inscripserunt, ita ut integra utriusque partis nummi epigraphæ sit: *Αρχιερατικὸν Ἀντιοχείς ἀνατίθεισι Καίσαρι Σεβαστῷ, Αρχιεπί:* Coronam Pontificiam Antiochenes dicant Cæsari Augusto Pontifici Maximo. Et sane ubique Romanarum gentium diem summi Pontificatus Imperatori delati eximio cultu celebratum colligimus ex veteri Inscriptione Gruteri pag.

CCXXVIII, 8, in qua dicuntur Cenētenſes publica ſacrificia ac plebi eſculenta decreviſſe:

VI. IDVS. MARTIAS. QVIA. HAC. DIE
TI. CAESAR. PONT. MAX
FELICISSIME CREATVS EST

Denique quod ad inſtitutum facit, in inferiori nummi area obſignata viſuntur literæ ZK, id eſt, *Anno XXVII*, videlicet imperii Auguſti in Syria, qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 749, Imperatore Cæſare Auguſto & L. Cornelio Sulla Coſſ. Harduinus in gemino nummo Collegii Claramontani pag. 51 legit: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΣΚ. quas binas poſtremas literas ſuſpicatur *Senatus Conſultum* exprimere. Ceterum ait vix ſe poſſe credere Antiochenſes, imperante Auguſto, dixiſſe, aut ſcripiſſe: Σενάτης Κοινούλτω; cum Græce dicendum fuiſſet: Συγκλήτης δήματι. At nummus Mediceus pulcherrimæ atque integerrimæ calaturæ, ut & alter in Muſeo Sereniſſimi Principis Ludovici Auguſti Borbonii Ducis Cenomanenſis, palam præferunt literas ZK. Nicolaus Toinardus nummariæ eruditio- nis callentiſſimus, mihi etiam per literas teſtatus eſt, eadē omnino numerales notas in laudato numiſmate Collegii Claramontani ſculptas apparere; quamvis prior litera Z ob ſuperiorem lineam defectu ſculpturæ duas in partes diſſecta, minus accurate nummum inſpicienti, literæ Σ ſpeciem aliquatenus præferre videatur. In regia Gallorum Gaza alter ejusdem Auguſti nummus viſitur retrorſus inſcriptus: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. ΗΚ. nempe: *Anno* imperii Auguſti in Syria *viceſimo octavo*. Hunc nummum Harduinus pag. 50, omiſſa Epocha, recenſet. Præterea in Cimeliis Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi D. Joannis Dominici Theupoli Veneti Patricii ac veterum Numiſmatum ſtudioſiſſimi, ſervatur alius ejusdem Auguſti nummus cum iisdem hinc inde inſcriptionibus; ſed annorum numerus ita obſignatur, ΘΚ, videlicet *Anno XXIX*, qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 751. Denique hic Florentiæ in ſcrinio alias mihi laudati Apollonii Baſſetti Sereniſſimo Magno Etruriæ Duci a ſecretis, vidī nummum Auguſti cum eadē utrinque epigra-
pha,

pha, nec non inferius litera numerali A qua *annus* imperii Cæsaris Augusti in Syria *trigesimus* indicatur. Ex his patet, Antiochenos quotannis memoratum honorem Romano Principi detulisse, ejusque etiam memoriam ære perenni ad posteros transmississe.

Joannes Tristanus, de erudita veterum re nummaria optime meritis, tom. i. pag. 166 Tiberii nummum ab Antiochenis sculptum profert cum epigraphæ: ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡ ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΡΧΙΕΡ. ΜΕΓ. *Tiberius Cæsar Augustus Pontifex Maximus*, & in averſa parte: ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ; & ſubtus A. Quod corona, intra quam hæc poſtica inſcriptio clauditur, partim detrिता, partim etiam caſu quopiam inferius aperta videbatur, putavit Tristanus eadem designatum fuiſſe portum juffu Tiberii ad oſtia Orontis extructum. Sed tot anteriores Auguſti nummi proxime mihi recitati, Triftani commentum explodunt. Litera A inferius obſignata *annum primum* imperii Tiberii indicat, quem Antiocheni pari, ac antea Auguſtum, honore proſequuti ſunt. Cum in hoc capite & ſuperius pag. 142 binos Tiberii nummos apud Antiochiam ſculptos produxerim, in quibus Tiberius *Augustus* tantum, non vero etiam *Pontifex Maximus* inſcribitur; in hoc autem uti & in aliis Auguſti, cum voce ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ uterque Princeps appelletur ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ *Pontifex Maximus*, quæ altera vox diſerte in Tiberii nummo ΜΕΓΙΣΤΟΣ additur, non obſcure colligimus id genus nummos ob honorem Pontificatus Maximi utriusque Principis ſculptos fuiſſe. Nam & Cenetenſes exiguæ in Venetorum regione urbīs eives ex recitata Inſcriptione, delatum Tiberio Pontificatum Maximum annua ſolemnitate celebrandum decrevere, quod & ceteras urbes præſertim Antiochiam totius Orientis metropolim feciſſe, nemo plane negare poſſit. Interim aliam eorundem nummorum interpretationem propono. Quemadmodum Romæ plura erant Sacerdotum collegia, quorum præcipuum erat Pontificum, & horum primus a ſeptemdecim Tribus ſortito ad comitia vocatis eligebatur, ut pluribus expoſui Diſſert. 2 de Cenotaphiis Piſanis cap. 5, idemque Pon-

Pontifex Maximus vocabatur; ita etiam Antiochiæ, ubi populum in octodecim Tribus distinctum fuisse testatur in Orat. XII ejusdem urbis civis Libanius, plura erant collegia Sacerdotum, & hos inter Primus Pontifex, qui a Græcis *ἱερεὺς πρῶτος* vel *ἀρχιερεὺς* dicebatur. Antiocheni primum suæ urbis Pontificem media Cæsarum ætate, Alytarcham appellabant, qui ludis Olympicis, uti diximus, præsidebat; unde & Libanius in Antiochico laudat inter tria præcipua urbis ornamenta *Stadium Olympicum, theatrum omnis oblectationis*; ac in magno etymologico idem munus tribuitur Alytarchæ; cujus nominis originem exponit Gothofredus in notis ad L. 2. *de expensis lud.* lib. 15. Cod. Theod. Nullus dubito, quin ante institutos Alytarchas fuerit antiquitus apud Antiochiam Pontifex primus, nempe *Ἀρχιερεὺς*, populi suffragiis creatus. Quoties vero ejusdem inaugurationis contingebat, munus Pontificium edebatur, ac jussu magistratus nummi etiam spargebantur, quo majori lætitiæ novi Pontificis electio a populo celebraretur. Hoc vero munus quod in initiando primo Pontifice edebatur, *Ἀρχιερατικὸν* ab ipsis dicebatur. Galenus lib. 3. de comp. medic. per genera, scribit apud Pergamum Pontifices, quorum quinque & fere semestres laudat, in sua ipsorum inauguratione gladiatorum munus edidisse. Asiarchas, Syriarchas, ac ceteros annuos provinciarum Pontifices ludos maxima pecuniarum profusione dare consuevisse pluribus docet Valesius in laudatis notis Eusebianis, ac palam traditur L. 2. cit. *de expensis lud.* ubi Imperator Theodosius modum imponit expensis ludorum, qui a Rectoribus provinciarum exhibebantur, addit tamen: *Exceptis Alytarchis, Syriarchis agonothetis, Asiarchis, & ceteris, quorum nomen votiva festivitatis solemnitas dedicabit.* Quod nempe hi non ex collatione provincialium, sed propriis sumptibus munera edebant. Syriarchæ annui erant provinciæ Sacerdotes; Alytarchæ vero apud Antiochiam per quadriennium eo sacerdotio fungebantur. At sub primis Cæsaribus, si tradita nummorum interpretatio probetur, primi Pontifices etiam Antiochiæ annui erant; siquidem quotannis nummi memoratam epigraphen

phen ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ præferentes, cudebantur; quos quidem nummos non ipsorummet Pontificum, sed Antiochenſis curiæ impenſis ſcalptos exiſtimo. In anteriori vero eorundem nummorum parte Auguſtus ac deim Tiberius Pontifices Maximi appellantur; ut jus Pontificium quo illi in univerſo Romano Orbe, nedum Antiochiæ pollebant, exprimeretur. Interim adverto eodem vocabulo frequenter in Eccleſiaſticis monumentis ea deſignari, quæ ad ſummum Sacerdotium Metropolitæ vel Patriarchæ pertinent. In Synodo II Nicæna Act. I Tom. 7 pag. 52 edit. ult. Concil. laudatur S. Tarasii Præſulis C. P. ἀρχιερατικὸν ἀξίωμα, *Patriarchalis dignitas*. In tom. 6 ejusdem edit. ſub initium Secretarii ſive Actionis II Synodi Lateranenſis a S. Martino Papa celebratæ, Stephanus Episcopus Dororum in Palæſtina dicitur πρῶτος τῆς ὑπὸ τῶν ἱεροσολύμων ἀρχιερατικῶν θρόνον τελούσης δικαιοδοσίας: *Primas jurisdiſtionis, nempe diœceſeos, exiſtentis ſub Patriarchali throno Hieroſolymorum*. Syneſius epiſt. 67 ſedem Theotimi Metropolitæ Ptolemaideniſis in Lybia Pentapoli vocat ἀρχιερατικὸν θρόνον; & apud Theodoretum lib. 4. cap. 5, dum recitat verba Valentiniani junioris de eligendo Antiſtite Mediolanenſi, legimus: τοῖς ἀρχιερατικοῖς θρόνοις, *Archiepiſcopalibus ſedibus*. Quæ ſæpius alibi occurrunt,

Unum hic mihi exponendum ſupereſt, num videlicet anni ab imperio Auguſti in Syria ita peculiarem apud Antiochenſes Epocham conſtituerint, ut imperante Auguſto, Cæſariana Æra uti deſierint. Et ſane cum in Antiochiæ ac Seleuciæ nummis anno primo ac tertio imperii Tiberii Cæſaris ſubnotentur anni ab imperio Auguſti in Syria, uti proxime oſtendi, iidem anni ſpecialem Epocham conſtituiſſe videntur, ſiquidem ubi in nummis anni principatus Imperatorum obſignabantur, iisdem demortuis, omittebantur; ac proinde nullam iidem Æram urbium indicabant. Quare cum etiam poſt mortem Auguſti, anni ab ejuſdem Syriaco imperio in nummis utriusque memoratæ urbis ſcalpti legantur, peculiarem etiam illarum Æram deſignant. Eques Patinus pag. 48 nummum Auguſti recitat hinc

inscriptum: ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ; illinc vero: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΔΝ. *Antiochenſiam Metropoleos. Anna quinquageſimo quarto.* Cum vero Auguſtus obierit A. V. Romæ 767, qui erat XLIV ab imperio ejusdem in Syria, anni LIV eo in nummo ſignati, pertinent ad Epocham Cæſarianam initam A. V. Romæ 705, ita ut annus LIV exierit ſub autumnum A. V. 759, qui erat XXXIX imperii Auguſti in Syria. Quare ex hoc nummo, ſi citra mendum exſcriptus ſit, colligitur imperante etiam Auguſto, priorem Epocham ab Antiocheniſ adhibitam, neque alteram Auguſtanam eidem ſubſtitutam fuiſſe: quam licet ſub Sitano præſide ab Auguſto in Syriam miſſo, etiam poſt mortem ejusdem Principis Antiocheni retinuerint, paulo poſt eadem antiquata, anni tantum Epochæ Cæſariæ in uſu apud eoſdem fuerunt, quod ex nummo Pomponii Flacei Syriæ ſub Tiberio præſidis mihi ſuperius pag. 142 aliſque deinceps expoſitis intelligitur; in illis enim Cæſariana tantum Epochæ obſignatur.

CAPVT VIII.

EXPONVNTVR EPOCHÆ VR-
BIVM SELEVCIAE LAODICEÆ,
AC GABALORVM.

STrabo qui ſub initium principatus Tiberii Auguſti libros geographicos ſcripſit, lib. 16 pag. 516 tradit Seleucum quatuor celeberrimas in Syria Urbes condidiſſe, quarum *maximam a ſuo patre Antiochiam denominavit; Seleuciam munitiſſimam a ſe ipſo; Apameam ab uxore ſua Apama; Laodiceam a matre.* Quas propter concordiam ſorores appellatas teſtatur. Verum in Epochæ adhibenda, ſorores iſtæ diſcordabant, cum ſingulæ diverſis Æris uterentur. Etenim Apameneſes Epocham Seleucidarum ſervarunt; Antiocheni vero varias ſubinde Æras invexerunt, ut proxime expoſui. Sed & Seleucenſes ac Laodiceſes ſpeciales ſuarum urbium Epochas frequentarunt.

§. I. DE

S. L.

DE EPOCHA SELEVCIAE.

Seleucus Nicator conditor Seleucia maritima vel Pieria vulgo appellata. Urbis situs ex Polybio descriptus. Eadem à Pompejo libertate donatur. Fulmen cur apud Seleucenses sacrum? Eorundem Epocha inquit A. V. Roma DCXLV.

EAdem ætas duos e gente Macedonum reges habuit, Seleucum atque hujus focerum Demetrium; & hunc quidem ob machinas ad expugnanda oppida inventas, Poliorcetem appellarunt; cum alterum ob plurimas ab eodem conditas per Asiaticas urbes, Polistitem jure ac merito nuncupare debuissent. Auctor est Appianus in Syriacis, Seleucum præter alia multa oppida, novem urbes extruxisse, quas de suo nomine *Seleucias* appellavit. Nam cum idem Rex omnium maximo post Alexandri monarchiam imperio potiretur, quod ab Helleſponto ad Indos usque amplissimis terrarum spatiis extendebatur, ne milites bellis omnibus profligatis, otio torpentes, seditiones molirentur, eosdem nova passim oppida extruere, ac vetera restaurare jussit; qui cum partim in Græcia, sub Macedonum imperium redacta, nati essent, ne patrii soli repetendi desiderio tenerentur, Seleucus regiones, urbes, flumina in Syria, locorum ac fluminum Macedoniae Græciæque nominibus appellavit. Plinius lib. 4 cap. 10 laudat in Macedonia *regionem quæ Pieria appellatur à nemore*, quam Pieriam Sylvam prope urbem Pellam Philippi ac Alexandri Magni natalibus celebrem locat Livius lib. 44. Itaque Seleucus eam regionem, per quam ultra Antiochiam Orontes in proximum mare exoneratur, Pieriam appellavit; in qua nobilissimam eandemque munitissimam urbem extruxit, quam de suo nomine *Seleuciam* nuncupavit. Hinc quo urbs a ceteris Seleuciis distingueretur, *Seleucia Pieria*, vel *in Pieria* vulgo dicebatur. In Trajani, Severi, aliorumque Cæsarum nummis legimus: ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ, *Seleucensium Pieria*. Plinius lib. 5 cap. 21 ait: *In promontorio autem Seleucia libera, Pieria appellata*. Straboni autem lib. 16 pag. 516 nominatur Σελεύχεια ἢ ἐν Πιερία, *Seleucia in Pieria*.

In primo vero libro Machabæorum cap. XI, 8 dicitur Ptolemaus Philometor rex Ægypti Syriam occupasse *utque Seleuciam maritimam*, & Appiano etiam in Syriacis laudatur *Σελεύκεια ἐν τῇ θάλασσῃ*, *Seleucia ad mare*, quo altero cognomine ab aliis Seleuciis, quarum nulla erat ad mare, discernebatur. Ammiano lib. 14 post Antiochiam, *Laodicea & Apamia*, itemque *Seleucia* inde a primis auspiciis florentissima laudantur. Polybius lib. 5 situm ejusdem accurate describit: *Sita est*, inquit, *Seleucia ad mare in confinio Cilicia & Phœnices*. *Subiectum autem montem habet celsitudinis immensa, quem Coryphaum vocant &c. Profundo admodum saltu & salebroso a monte distinguitur. Urbs ipsa flexu quodam pertinet illa quidem ad mare; ceterum ab omni fere parte prærupta præcipitia illam cingunt &c. Aditum habet ab eo latere, quod mari est obversum dumtaxat unicum ad instar scala manufactum; crebris ac continuis tum gradibus, tum incisuris sarcuto cavatis, distincta. Non longe ab hoc loco fluminis, quod Orontem vocant, sunt ostia.* Hæc Polybius. Strabo laudatus Seleuciam *munitissimam* vocat. Hinc cum Ptolemaus Evergetes sororis Berenices necem ulturus, Syriam anno tertio Olympiadis CXXXIII, Urbis Romæ 508, invasisset, ac Seleuciam occupasset: quamvis Seleucus Callinicus, qui tunc in Syria regnabat, Antiochiam, aliasque sibi ereptas urbes, postea recepisset, Seleucia annis septem ac viginti in Ægyptiorum regum potestate remansit; donec Antiochus Magnus ab Apollophane Seleucensi, quo medico utebatur, animatus, Seleuciam civibus partim donis, partim promissis corruptis, recuperavit. Italicet Seleucia milliariis tantum quindecim Antiochia regia sede Syriæ regum distaret, tot annis in Ægyptiorum potestate fuit; quamvis interim reges Syriæ a Phrygia ad usque Persidem imperium tenerent. Cum Tigranes rex Armeniæ a Syris in regnum vocatus, plerasque urbes barbarorum dominium recusantes expugnasset, Seleucia exclusus fuit. Hinc cum Pompejus Tigra-ne profligato, in Syriam venisset, *Seleuciam*, inquit Eutropius lib. 6, *vicinam Antiochia civitatem libertate donavit, quod regem Tigranem non recepisset.* Distabat Seleucia ab ostiis Orontis M.

P. V.

P. V. In utroque Codice *L. unica de Classicis*; legitur *classem Seleucenam*; ac a Valente Augusto jubetur, ut *classis Seleucena ad auxilium purgandi Oronis aliarque necessitates, Orientis Comitatus deputetur*.

Seleucenses cum ceteris Syris Epocha Seleucidarum diutius usi sunt; ac Vaillantius pag. 348 Hist. regum Syriæ, profert e suo Museo nummum Antiochi Philopatoris, qui Cyzicenus vulgo dicitur, apud Seleuciam sculptum cum notis numeralibus Θ Ϟ Ϟ, id est, *anno 199*, qui coepit ab autumno A. V. Romæ 649, quo anno labente, Cyzicenus contra fratrem Antiochum Grypum cum exercitu profectus, Syriam invasit, ac a Seleucensibus exceptus fuit. Seleucenses post paucos annos novam urbis suæ Epocham instituisse prodit Auctor Chronici Alexandrini scribens ad annum IV Olympiadis CLXVII, qui fuit urbis Romæ 645, ante Christi Aera 199. *Seleucenses prope Antiochiam Syria, hinc sua tempora numerant*. Extat in Museo Mediceo insigne hoc numisma argentorum maximi moduli, eum capite velato, ac turrato urbis Seleuciz.



Inscriptio nummi est: ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, id est, *Seleucensium urbis, sacra, ac suis legibus usantis*. Porro litera Δ quæ in medio visitur, *Annum IV* ab autonomia obtenta significat. Fulmen quod supra sacram mensam sive aram cernitur, proprium fuit Seleuciz symbolum, ut ex illius urbis nummis apparet, quorum alios videsis apud Jay-

datum Vaillantium pag. 348, 357 & 378, quo postremo loco typus nummi Mediceo fere similis exhibetur. Appianus in Syriacis de Seleuco scribit: *Ajuntque in condenda ad mare Seleucia, secutum augurium fulminis, ideoque etiamnum fulmen tanquam Deum consecratam, ac hymnis celebratum.* Joannes Malela apud Usserium tom. I Annal. pag. 461 ait, Seleucum die 23 Xanthici anno IV Olympiadis CXIX, urbis Romæ 454, ante Christum 300, uti supputat Usserius, Aquilæ partem carnis ex sacrificio in monte Casio raptæ, ad Pieriæ maritima deferentis augurio, novam ibidem de suo nomine urbem extruxisse. Verum nummi Seleucensium fulminis symbolo obsignati, Malelæ opinionem refellunt. Cyrillus cum in catechesi 13 scribit: *Græci fulmina adorant*, Seleucensium idololatriam perstringit. Hesychius verbo Κεραύνιος ait: *Fulminator, tonitru suprefaciens, καὶ Ζεὺς ἐν Σελεύκεια, & Jupiter apud Seleuciam.* Eques Carolus Patinus pag. 123 indicis Mauroceni thesauri, laudat nummum Antonini Pii in postica inscriptum; ΖΕΥΣ ΚΕΡΑΤ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ ΠΙΕΡΙΑΣ: *Jupiter Ceraunius, id est, Fulminator, Seleucensium Pieriæ*; quo in nummo, uti in Mediceo, fulmen super sacram mensam visitur. Hæc erudite illustrat pluribus V. C. Spanhemius Dissert. V a pag. 392, ubi bina Seleucensium numismata profert e Cimeliis Magnæ Suecorum Regiæ. Romani Jovi Fulgulatori aras ponebant, ac Gruteri pag. XXI, 6 extat Inscriptio:

JOVI

FVLMIN. FVLG. TONANTI

Nempe *Fulminanti, Fulgulatori, Tonanti.* Cum Seleucenses novam Epocham inierint ab autumnæ A.V. 645, annus IV in laudato nummo obsignatus cœpit ab autumnæ A.V. Romæ 648, ante Christum 106. Antiochus Cyzicenus, ejusque frater Antiochus Grypus, ab adunco naso hocce cognomen sortitus, ex Porphyrii fragmentis apud Scaligerum pag. 227 bellum civile hac conditione composuerant, ut Cyzicenus in Syria Cœle, Grypus vero in Syria superiore, partito imperio, regnarent. Hanc inter fratres initam pacem idem Porphyrius recitat anno secundo Olympiadis CLXVII, qui fuit a Roma condita 643. Erant

rant ambo filii Cleopatraz, sed diverso patre geniti; qui, ut ait Josephus lib. 13. cap. 17, secum invicem *multis annis* bella gesserunt. Eorundem fratrum *regno Syria parricidales discordias* vocat Justinus lib. 39; illa enim vetus Seleucidarum regnum, pessum dedere, Judæis, Arabibus, ac quibusdam etiam tyrannis magnam illius partem occupantibus. Hinc etiam factum est, ut iidem fratres, quo munitissimas Syriæ urbes certatim in partes traherent, aut sibi fideiiores redderent, eisdem cum regie potestatis detrimento, autonomiam concederent. Nam Seleucenses, Sidonii, Afcalonitæ, alique Syriæ populi inter civilia eorundem regum bella, autonomia obtenta, vix precarium illorum postea imperium admiserunt. Cum vero Seleucenses in parte regni Antiochi Grypi, id est, in superiore Syria essent, ab eodem quoque autonomia donati sunt. Cum enim Grypus Antiochiam regni sedem teneret, idem quoque Seleuciam milliariis tantum XV Antiochia distantem, diviso regno, possidebat.

Seleucenses imperante Augusto, ac sub initium principatus Tiberii, suis in nummis annos imperii Augusti in Syria obsignabant, ut capite superiori ex delineato eorundem nummo ostendi, in quo legitur: *Ρ. ΕΠΙ ΣΥΡΙΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ.* nempe, ut ibi exposui: *Anno tertio Tiberii. Sub Silano. Seleucensium. Anno XLVII imperii Augustei in Syria.* Uti vero Antiocheni, eodem Tiberio superstiti, eam imperii Augusti in Syria Epocham omiserunt; ita Seleucenses quoque eandem antiquarunt. Serenissimus Princeps Ludovicus Augustus Borbonius, Cenomanensium Dux, juvenili adhuc ætate vetustioris ævi monumentis colligendis addictus, antiquorum numismatum, quorum nullus Domino doctior interpres, Gazam adornavit, ex qua Joannes Vaillantius eidem regio jussu præfectus, hujusce Seleucensium nummi typum ad me transmittit.



Nempe: *Seleucensium* urbis, *sacra*, *suis legibus utentis*. Epocha BC annum indicat CCII, qui cœpit per autumnum A. V. 846 ac duodecimo imperii Domitiani correspondet. Aliæ literæ sunt notæ Monetarij, ut in pluribus *Laodicensium* nummis proxime ostendo.

§. II.

EPOCHA LAODICEAE AD MARE
DEMONSTRATUR.

Duplex in Syria Laodicea: una ad mare, altera ad Libanum. Situs Laodicea ad mare. Epocha ejusdem cœpit A. V. 706. Laodiceses cur Julieneses in nummis appellati. Numisma eorundem illustratur. Imperator Severus eandem Urbem coloniam fecit; unde Septimia & Severiana in Nummis nuncupatur. Plures Nummi Epocha Laodicensium ob signati, proferuntur. Quibus annis Trajanus titulos Dacici, Optimi Augusti, ac Parthici tulerit. Nota numeri XC variis modis in Nummis expressa.

S Eléucus Nicator, ut demortuæ Laodices matris nomen apud posteror regis plane monumentis consecraret, sex abs se conditas urbes, Laodiceas nuncupavit. Harum duæ in Syria fuere, quarum una ad mare, altera in mediterraneis ad Libanum dicebantur. Straboni libro 16 pag. 517 in Syria describitur *Λαοδικεία ἐπὶ τῇ θαλάττῃ*, *Laodicea ad mare*. Vaillantius pag. 262 Hist. Regum Syriæ nummum recitat inscriptum: *ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΑΝ*: *Laodicensium ad mare*. Lepidus epist. 14 lib. 12 fam. Ciceronis, de Dolabella scribit: *Nulla alia confusus urbe, Laodiceam, quæ est in Syria ad mare, se contulit*. Rurfus eidem Straboni pag. 529 nominatur *Λαοδικεία ἢ πρὸς Ἀβάνον*, *Laodicea ad Libanum*. In Antonini Caracallæ nummo regio apud Harduinum pag. 285 legitur: *ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΠΡΟΣ ΑΒΑΝΩ*: *Laodicensium ad Libanum*. In Act. 6 Synodi Calchedonenfis subscriptus nominatur Valerius Episcopus *πόλεως Λαοδικείας τῆς φοινίκης*, *urbis Laodicea Phœnicis*; & Act. I laudatur Eusebius presbyter agens vices Macarii Episcopi *Λαοδικείας Συρίας*, *Laodicea Syria*. Hæc enim in divisione trium provinciarum

rum

rum Syriæ intra eandem Syriam superioreni censita est; altera Laodicea ad Libanum Phœnicie attributa. Appianus lib. 4. bell. civil. Laodicæ maritimæ situm describit. Distabat Antiochia Phœnicem versus M.P.LXV. Sita autem erat in peninsula, isthmo duorum stadiorum eandem cum continenti jungente, quem Cassius Dolabellam intra urbem obsidens, structo aggere, occlusit. Portum navibus commodum habebat, qui unicus postea Christianis classibus patuit, cum ad recuperanda Hierosolyma ac sacrum Redemptoris Domini sepulcrum, fœderati principes Urbano II Pontifice Maximo hortante, omnium celeberrimam expeditionem in Syriam susceperunt. Guilielmus Tyri Archiepiscopus lib. 7 de bello sacro cap. 16 ait: *Est autem Laodicia civitas nobilis & antiqua, sita in litore maris, qua fideles habens habitatores, sola de urbibus Syria Imperatoris Græcorum jurisdictioni erat supposita; cetera enim urbes Syria maritima, ejectis Christianis, Egypti Sultano serviebant.* Imperator L. Verus cum bello Parthico in Syria substitit, per quadriennium biemem Laodicea transegit, auctore Capitolino cap. 7 de vita ejusdem.

Epocha Laodicæ maritimæ in vetustis Chronicis memoratur. Nam Eusebius scribit: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos trecentessimus vigesimus quintus annus fuit: juxta Tyrios quadringentesimus secundus: juxta Laodiceos trecentessimus vigesimus quartus annus &c.* Quare Epochæ Laodicensium uno anno Æra Antiochenorum posterior fuit. Auctor etiam Chronici Alexandrini cum recitasset æram ab Antiochenis institutam, anno proxime sequenti scribit: *Laodiceni hinc sua tempora numerant.* Cum vero superius demonstraverim Epocham Antiochenorum cœpisse ab autumno A. V. 705, altera Laodicensium iniiit ab autumno A. V. 706 qui fuit primus Olympiadis CLXXXIII. Per Julianæ 4666, ante Christi æram 48, Cyclo Lunæ XI, Solis XVIII, Cajo Julio Cæsare II & P. Servilio Vatia Isaurico Consulibus. Enimvero ab A. V. 706 numerando annos CCCXXIV, habemus annum urbis Romæ 1030, qui fuit secundus imperii Probi, ut pluribus ostendi Dissert. 2 cap. 3 § 1, cum quo anno altero Probi Eusebius recte annum 324 Laodicensium componit. Scaliger lib. 5 de e-

Mm

mend.

mend. Temp. pag. 413, cum præmisisset annum a Julio Cæsare emendatum, ac ex Lunari factum Solarem, ait: *Hanc formam statim arripuerunt Orientales nationes, Antiocheni quidem a Kalendis Octobris Juliani anni confusionis; Laodicensi ab ipsis Kalendis Januarii Juliani; nisi ceperint a Martio, quod non abhorret a vero.* Et Ricciolius tom. I Chronol. lib. 2 pag. 101 ait: *Laodicenorum Epocha incipit a verno tempore anni 48 ante Christi Epocham.* Verum uti hæc nullo appellato teste dicuntur, ita mihi plane certum videtur, Laodicenses una cum ceteris Syris in ineundo anno Solari ab ætumno, convenisse. Sanctus Anatolius Episcopus Laodiceæ in canone Paschali apud Eusebium lib. 7 cap. 22 scribit Novilunium primum sui Cycli Paschalis futurum *secundum Ægyptios quidem die XXVI mensis Phamenoth; juxta Macedones vero die XXII mensis Dystri; ut autem Romani dicerent, ante diem XI Kalend. Aprilium.* Est autem satis probabile Anatolium annos ac menses juxta Laodicenses, quorum sacris præerat, accepisse; ita etiam Antiocheni Dystrum cum Martio, Xanthicum cum Aprili componebant, ex Socrate lib. 5 cap. 21. Quod si dies vicesima secunda Dystri erat itidem 22 Martii apud Romanos; prima dies Hyperberetæi, a quo mense id temporis Syri annum solarem auspicabantur, cum Kalendis Octobris concurrebat.

Cum Julius Cæsar Dictator iterum, post necem Pompeji, novem menses in Ægypto moratus, inde A.V. 707 terrestri itinere per Syriam contra Pharnacem proficisceretur, dicitur Hirtio cap. 65 de bello Alexandrino, *conmemoratus fere in omnibus civitatibus, quæ majore sunt dignitate, præmia benemeritis & viris & publice tribuens.* Ille vero eo anno urbis Romæ 707 die secunda Maji anni Juliani proleptici erat Antiochiæ, ut ex epistola Ciceronis ad Atticum 19 lib. XI superius cap. 5 ostendi. Cum vero Laodicea Ægyptum versus esset infra Antiochiam M.P. LXV, idem Cæsar circa Aprilem anni emendati fuerat Laodiceæ. Tum Laodicenses, quorum urbs inter eas censebatur, quæ in Syria majoris dignitatis ab Hirtio dicuntur, autonomia aliisque exemptionibus sive privilegiis ab eodem Cæsare donati sunt. Hinc illi collatorum sibi a Dictatore beneficiorum memoriam ad seros po-

posteriores transmissuri, novam in honorem Julii Cæsaris suæ Urbis Epocham instituerunt, cujus annum primum esse voluerunt illum ipsum Urbis Romæ 707, qui tunc in anno luxato Romanorum decurrebat, ita tamen, ut caput ejusdem Epochæ ab initio anni civilis Macædonici, cujus altera jam pars labebatur, deduceretur: novaque Epochæ idem, quod vetustior ibidem Seleucidarum habuerat, initium ab autumno desumeret. Quare cum ille annus ab autumno A. V. Romæ 706 exordium habuisset, inde etiam recens Laodicensem Epocham incēpit. Quanto vero studio Laodicenses Julio Cæsari addicti essent, prodit Dio lib. 47 narrans Dolabellam ab Antiochenis exclusam, Laodiceam se recepisse; *oppidanis*, inquit, *se ob studium, quo priorem Cæsarem, nempe Julium Dictatorem, prosequuti fuerant, dederunt*. Etenim Cornelius Dolabella A. V. 71 bellum in Syria contra Cassium aliosque Cæsaris interfectores susceperat. Cassius in epist. 13 lib. XII fam. Ciceroni scribit: *Dolabellam ut Tarsenses pessimi socii, ita Laodiceni multo amentiores ultro accerserunt, ex quibus utrisque civitatibus Græcorum militum numero, speciem exercitus effecit*. Dio laudato lib. 47 de Tarsensibus scribit: *Nam adeo priori Cæsari, ejus gratia etiam posteriori (qui postea Augustus dictus fuit) favebant, ut urbem suam pro Tarso, Juliopolim nuncupaverint*. Uti vero Laodicenses in Syria Tarsensium in proxima Cilicia studium erga Cæsarianas partes æmulabantur, ita & ipsi de nomine Cæsaris suam urbem *Juliam Laodiceam* nuncuparunt, quod Dionii omissum, ejusdem urbis numismata manifestant. Cum vero Cassius capta per prodicionem Laodicea, ac paulo ante Tarso ad deditionem coacta, utramque urbem Cæsarianam gravioribus damnis affecisset, M. Antonius Triumvir, victis postea Cassio ac Bruto, *Laodicensibus atque Tarsensibus libertatem ac immunitatem a tributis concessit*, uti scribit Appianus lib. 5 bell. civilium. Ita utraque urbs uti *Julium* nomen assumpserat, parique studio Cæsarianas partes fovens, hostium Cæsaris sibi odia contraxerat, ac proinde varias calamitates Laodicenses ac Tarsenses subierant, ita a victore Antonio Triumviro paria postea beneficia tulere.

Lucas Holstenius magnæ eruditionis scriptor, pag. 188 not.

in Stephanum, nummos, in quibus *Julienſes Laodicenſes* leguntur, *quorſum referendi*, ait, *videndum amplius*. Harduinus eos refert ad Laodiceam non maritimam, ſed ad alteram Laodiceam ad Libanum. Et quidem pag. 285 laudat nummum Septimii Severi apud Laodiceam percuſſum, quem cum in MEDICEIS Cimiſiis etiam viderim, illius typum exhibeo.



Scriptio anticæ partis Latine vertitur: *Imperator Caesar Septimius Severus*. In postica vero legitur: *ΙΟΥΛΙΑΕΩΝ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΣΕΩΘΗ ΔΕΩΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ: Julienſum Laodicenſum Severianorum Metropoleos*. Hunc nummum ideo vir eruditus refert ad Laodiceam ad Libanum, quod Ulpianus lib. 50 Digest. tit. XV de censibus L. 1 scribit: *Est & Laodicena colonia in Syria Cœle, cui Divus Severus jus Italicum ob belli civilis merita concessit. Quibus Harduinus addit: Et cognomen a se quoque dedit. Facit autem prius Juliae nomen, ut subsequentes quoque nummos, qui ΙΟΥΛΙΑΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ inscribuntur, huc quoque referri constet oportere, quod Tristano aliisque latuit*. Hinc nummos Latine inscriptos: COL. LAOD. METROPOLEOS, sive: SEP. COL. LAVD. METRO. in quibus Laodicea *Colonia Septimia* legitur, Laodiceæ ad Libanum adscribit; siquidem, ut ille ait, Ulpianus Laodiceam a Severo coloniam factam, ponit in Syria Cœle; cum Laodicea maritima non esset in Cœle Syria, sed ut idem Harduinus scribit pag. 287, esset urbs Syria proprie dicta. Denique eadem Laodicea ad Libanum videtur eidem scriptori donata altero eo nomine ab Julia Augusti conjugē; quod colligit ex nummo apud Tristatum tom. I pag. 126, in cujus parte anteriori legitur: ΘΕΙΟΤ

KAI.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ: ΘΕΙΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ:
Divi Caesaris Augusti: Diva Julia Augusta, cum junctis utriusque capitibus; in posteriori vero parte: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ: *Julienſium Laodiceuſium*, ſive *qui & Laodiceuſes*. Triſtanus de Laodicea ad Libanum ne quidem, eum nummum explicans, cogitavit; ſed pag. 128 dubitat, num ille pertineat ad Laodiceam in Phrygia, vel potius ad Laodiceam maritimam in Syria. Illum putat *viventibus Auguſto ac Julia ſculptum*, cum ante obitum ille Dei, iſta Deæ nomen ab Ovidio aliisque tulerint. Hæ tamen ſunt inſignes inſignium virorum hallucinationes. Nam certum eſt in laudatis nummis unam Laodiceam ad mare exprimi, non autem aliam in Phrygia, ſive tertiam ad Libanum.

Herodianus lib. 3. deſcribens bellum civile inter Septimium ac Peſcennium Nigrum, ait: *Laodicea quippe in Syria Antiochenorum odio; Tyrus vero in Phœnice Berytiis infeſta, nuntiata Nigri fuga, ſublatis illius honorificis titulis, Severo proſpere acclamant.* Addit Peſcennium Laodiceæ ac Tyti ad æmulum Severum defectione intellecta, equites Mauritanos ac ſagittarios contra utramque urbem miſiſſe, qui *Laodiceuſis*, inquit, *improviſo oppreſſis, populum ipſum omni genere crudelitatis urbemque vaſtarunt. Inde Tyrum pergentes, direptis omnium bonis, ac patrata ingenti cade, totam incenderunt.* At conſtat Herodianum ea ſcribere de Laodicea maritima, non autem de altera ad Libanum. Nam cum Antiocheni Peſcennii partibus ſtuderent, quod teſtatur etiam Spartianus cap. 9. de vita Severi, Laodiceuſes *Antiochenorum odio*, ut ait Herodianus, ad Severi partes tranſierunt. Porro odia ac contentiones inter finitimas urbes, non inter longius remotas contingunt. Laodicea ad Libanum diſtabat Antiochia M. P. CLI, ex Antonini Itinerario, eratque virium ac fortunarum mediocrium civitas, cui nullæ cum procul diſtantibus Antiochenis odiorum cauſæ ſuberant. At Laodicea ad mare civium frequentia, opumque affluentia, quamvis inferior, cum Antiochia tamen proxima urbe æmulationem exercebat. Cum Antiocheni Theodoſii Imperatoris, vel ut alii ſcribunt, Placillæ tantum Auguſtæ ſtatuas dejeciſſent, *Imperator, ut par erat, graviter commotus, omnia*

privilegia urbi illi ademit, & principatum Laodicea vicina civitati tribuit. Quippe illud Antiochenos agre laturos existimavit. Nam Laodicensēs ab antiquis jam temporibus adversus Antiochenos gravi invidia exarserant. Horum auctor Theodoretus eruditissimus Cyrri in Syria Commagene sive Euphratenſi Episcopus lib. 5 c. 19. Quare cum Laodicensēs ad mare bello civili flagrante, ad patriæ usque excidium, Severi partes foverint, eorundem urbs ab eodem postea victore Septimio Severo & metropolis & juris Italici colonia *ob belli civilis merita*, uti laudatus Ulpianus testatur, facta est, cui & *Severiana* etiam cognomen accessit. Ita & Tyrus ob æmulationem cum Berytiis, a quibus M. P. LI in Phœnice distabat, Severi partes secuta, ac propterea a Nigri militibus devastata, ab eodem Severo coloniæ jure donata est, uti ejusdem civis Ulpianus scribit eo lib. 50 Digesti simulque *Septimia* de nomine Imperatoris Septimii Severi nuncupata fuit, ut produnt nummi inscripti: SEPT. TYRUS MET. COLONIA; In aliis etiam legitur: SĒP. COL. LAUD. METRO. *Septimia Colonia Laodicea metropolis*: ut proinde Laodicea de nomine ac cognomine ejusdem Augusti & *Septimia*, & *Severiana* nuncupationes tulerit. Ex his patet error Harduini existimantis a Ulpiano coloniā designari Laodiceam ad Libanum, quod Juris consultus eam urbem in Cœle Syria sitam scribit. Verum V. C. non advertit posteriori ætate universam Syriam quatuor in partes distinctam, nempe Commagenem, Syriam Cœlen, Phœnicem, ac Palæstinam; qua in divisione *Syria Cœles* nomine ea Syriæ regio designatur, in qua erant Seleucia, Antiochia, & Laodicea maritima, ut plurium veterum Scriptorum testimoniis cap. 1 hujusce Dissertationis ostendi. Socrates enim, Eunapius, S. Hieronymus, hisque antiquiores Synodi Antiochiam in Cœle Syria urbem nominant. His addo Anonymum qui urbium Notitiam imperante Constantio descripsit: *Tota*, inquit, *Syria regio in tres Syrias dividitur, Phœnicem, Palæstinam, & Cœlen*. Auctor Itinerarii Hierosolymitani Syriæ urbes earumque intervalla describens, ait:

Civitas Laudica. M. P. XVI.

Civi-


*Civitas Gavalæ. M. R. XLIII.**Civitas Balaneas. M. P. XIII.**Finis Syria Cælis & Phœnicis.*

Ita Laodiceam, quam Laudicam vocat, uti & Gavalam ac Balaneam intra Cœlem Syriam collocat. Hæc Anonymus ille scribebat Delmatio & Xenophilo Coss. Anno Christi 333. In veteri Notitia Romani Imperii provinciarum, quam imperante Theodosio Magno scriptam postea ostendam Dissert. 4 cap. 1, decem Orientis provinciæ ita numerantur: *Syria Cilicia, in qua est Antiochia. Syria Palaestina. Syria Phœnice &c.* Ubi loco *Cilicia* legendum esse *Cæle* dudum eruditi prænotarunt. Inter opera S. Athanasii recensetur ejusdem Epistola Synodica, quæ etiam inserta est tomo II Concil. ult. edit. pag. 817, ibique inter Episcopos, ad quos eadem Synodica missa est, nominatur *Κοματίος Παλτῦ Κοίλης Συρίας*, *Cymatius Palti Cæles Syria*. Erat Paltus urbs maritima Syriæ, M. P. XX Laodicea distans, ex epistola Cassii, quæ est 13 in lib. 12 famil. Ciceronis. Sanctus Epiphanius ad hæresim LXXIII Semiarianorum nominat Episcopos Basilium Ancyra & Georgium *Λαοδικείας τῆς πρὸς Ἀντίχειαν Δάφνης*, ἢ *Κοίλης Συρίας*, *Laodicea prope Antiochiam Daphnes, sive Cæles Syria*. Mirum quantum se in notis ad hunc locum torqueat Petavius pag. 305 & 306, quod *Laodicea Syria* nihil ad *Daphnem* pertinet. Hinc putat vel corruptum esse eum verborum contextum, ac deficere nomen Episcopi Antiocheni, aut *Antiochiam vel Daphnem pro regione ipsa ac Cælesyria nonnumquam usurpari*. Denique probabilius dicendum censet *Laodiceam cognomento Daphnes* appellatam, quod Daphni propinqua foret, κατὰ διασολὴν aliarum ejusdem nominis urbium. Et concludit: *Inter hanc verocui Cabiose nomen inditum, & Antiochiam ad Orontem, interjecta fuit Daphne*. Inania omnia commenta. Nam cum in eadem Syria esset altera Laodicea ad Libanum, Epiphanius, quo Georgium non hujusce Laodiceæ, sed alterius ad mare Episcopum designaret, eundem vocavit Præfulem *Λαοδικείας τῆς πρὸς Ἀντίχειαν Δάφνης*, ut hæc postrema vox ad Antiochiam pertineat, quæ & ipsa κατὰ διασολὴν ad aliis Antiochiis, prope *Daphnem*

vul-


vulgo dicebatur; non autem ut nomen *Δαφνός* ad Laodiceam, uti imaginatur Petavius, referatur. Præterea fallitur, dum Laodiceam ab Epiphanio laudatam, *Cabiosam* nuncupat, in quo etiam errore fuit Ortelius in Lexico. Nam *Laodicea Cabiosa* ponitur a Ptolemæo sub gradu altitudinis poli 33, 43' quæ prope Libanum in nummis inscribitur; altera vero Laodicea ad nîre, cujus Episcopus erat Georgius, statuitur sub gradu 35, 20' apud eundem Geographum. Ex hoc autem Epiphanii testimonio patet posteriori ætate Laodiceam maritimam in Coele Syria locatam, in qua pariter ejusdem provinciæ finibus latius etiam Ulpiani ævo protensis censebatur, secus ac Harduinus sibi persuasit.

Idem vero V. C. rursus errat, dum ex laudato nummo apud Trifanum colligit Laodiceam a Julia Augusti conjugè *Julio* nomine donatam fuisse. Nam in Museo Mediceo, ex collectione Cardinalis Leopoldi, visitur hic nummus.



In antica parte cernitur sine literis caput Apollinis, cujus cultum Seleucus Laodiceæ conditor consilio apud Antiochiæ suburbana luco, per Syriam propagaverat. Imo quod Laodice mater Seleuci, de cujus nomine Laodicea dicta fuit, filio imposuerat, se eundem ex Apolline genuisse, uti scribit Justinus lib. 15, Laodicenses eximio cultu Apollinem prosequiebantur. Inscriptio alterius partis Latine redditur: *Juliensum Laodicensum*. Literæ numerales inferius obsignatæ ZM, annum Epochæ urbis Laodiceæ XLVII expriment. Cum illa Epochâ inierit ab autumno A.V. Romæ 706, annus abhinc ejusdem in nummo signatus XLVII cœpit per autumnum


tumnum A. V. 752. Hinc constat Laodicenses non fuisse a Julia Augusti uxore *Juliensium* cognomine donatos. Nam Livia Augusti uxor nondum eo anno Urbis 752 *Julia* nomen acceperat, quod tantum ferre coepit, ut testamento Augusti vita A. V. 767 defuncti, in Juliam familiam adoptata fuit. Tacitus sub initium lib. I Annal. de Tiberio ait: *Nihil primo Senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti, cujus testamentum inlatum per virgines Vestæ, Tiberium & Liviam heredes habuit. Livia in familiam Juliam, nomenque Augustæ adsumebatur; quæ etiam tradit Suetonius capite 101 in Augusto. Quare cum Laodicenses ex nummo laudato Julenses nuncuparentur, prius quam Livia nomen Julia ferret, illud nequitiam a Julia Augusti conjuge acceperunt. Inde etiam emendatur error alter Tristani, qui nummum, in quo cum Augusti nomine legitur: ΘΕΑΣ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ, Diva Julia Augusta, existimat a Laodicensibus Juliensibus, Augusto ac Livia adhuc viventibus, sculptum. Etenim Livia post obitum tantum Augusti, cognomen Augusta obtinuit, quod viro superstitè nunquam tulerat. Literæ quæ in eo Mediceo numismate dextrorsus apparent AK, non sunt numerales, sed notæ Monetarii, quales diversis literis expressæ, in pluribus Laodicensium nummis, præter Epocham in iisdem obsignatam, apparent, ut in nummis eorundem mox producendis videbimus. Et primo quidem ex iisdem Mediceis Cimeliis nummum Imperatoris Traiani exhibeo, quem vidi servatum in locupletissimis scriniis laudati Cardinalis Leopoldi. Extat alter huic similis in Gaza Serenissimi Principis Ludovici Borbonii Ducis Cenomanensis.*



Nn


In-

Inscriptio antica partis Latine datur: *Imperator Nerva Trajanus, Optimus Caesar Augustus, Germanicus, Dacicus*; In postica vero legitur: *ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΒΖΡ. Juliensium Laodicensium*. Epocha BZP, notat annum CLXII. Litera media numeralis Z pro Z in nummis saepe substitutam recte observat V. C. Spanhemius pag. 54, alique eruditi Nummorum interpretes. Trajanus mortuo Nervæ die 27 Januarii A. V. 851 a parilibus Imperator Augustus successit. Epocha Laodicea iniiit ab autumno A. V. Romæ 706. Quare annus abhinc 162 cœpit per autumnum A. V. 867 ac decimo septimo imperii Trajani, quum nondum Trajanus *Particus* inscriberetur. In Cimeliis Regis Christianissimi hic alter servatur ejusdem Principis nummus apud eandem Laodiceam sculptus, cujus descriptionem à V. C. Joanne Vaillantio accepi.



Inscriptio anterioris partis Latine vertitur: *Imperator Nerva Trajanus, Optimus Caesar Augustus, Germanicus, Dacicus, Particus*; averſa vero: *Juliensium Laodicensium. Anna CLXII*. Quianus cœpit ab autumno A. V. 868, imperii autem Trajani XVIII. Huncce nummum, uti & ſuperiorem recenset Harduinus, ut ipſe ait, in *curis secundis* pag. 604, ubi utriusque Epochæ annos exponens, ſcribit: *quibus anni Urbis Romæ reſpondent DCCCLII & DCCCLII, Trajani fere primus & ſecundus*. Verum ſcriptorem, alias accuratum, ſecundæ curæ parum ſecundarunt. Nam tituli *Dacici, Partici, & Optimi Caſaris*, qui in antica parte numisma- tum leguntur, Harduini in Epochæ Laodicensium inchoanda, prochroniſmum manifeſtant. Etenim conſtat Trajanum primis imperii annis neque *Dacici*, neque *Partici* titulos tuliffe. Quod vero

vero intelligo viros eruditos disputare de tempore, quo ea de victis hostibus cognomina idem Imperator obtinuerit, operæ precium me facturum arbitror, si ex nummis Mediceis hocce dubium resolvam; cum inde initium non modo Epochæ Laodicensium, verum etiam Chalcidensium & Aradiorum, de quibus postea differam, mirifice illustretur. Et licet meam ea de re opinionem a pag. 64 Epistola Consularis exposuerim; quod tamen aliqua mihi partim addenda, partim etiam clarius explicanda videantur, eadem hic iterum retractabo, ac certissimis nummorum testimoniis firmabo. Spartianus de Hadriano cap. 3 ait: *Quæsturam gessit Trajano IV & Articulo Coss. &c. Post quæsturam acta Senatus curavit, atque ad bellum Dacicum Trajanum familiaris profequutus est.* Illud Consulium collegium in Fastis est index à parilibus anni Urbis Romæ 854 ac quarti imperii Trajani, quo anno nondum Dacis priori bello contulis, Trajanus titulum *Dacici* neutiquam ferebat. Extant in Museo Mediceo bina numismata, quorum hic icones vides.



Prior nummus est primæ magnitudinis; alter vero argenteus cum antica parte inscripta: IMP. CAES. NERVA TRAIAN. AVG. GERM. In nummo majori æreo Trajanus dicitur *Tribunicia Potestatis VI, Imperator IIII, Consul IIII, Designatus V.* Trajanus A. V. 850 sub initium Novembris Tribuniciam potestatem accepit. Quare A. V. 856 usque ad autumnum decurrebat eidem annus VI Tribunicia potestatis. Quod vero nuncupatur *Imp. IIII*, patet eundem ob Dacos eodem A. V. 856 superatos, a victore exercitu *Imp. III & IIII* acclamatum fuisse. Extat Puteolis Inscriptio:
 N n 2 IMP.

DE EPOCHIS STROMACEDONUM

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F. NERVA

TRAIANVS. GERMANICVS. PONT

MAX. TRIB. POT. VI. IMP. II. COS

III. P. P. INCHOATAM. A. DIVO. NERVA

PATRE. SVO. RELICTIS. ANTIQVI. ITINERIS

Reliqua temporum injuria periere. Eandem recitat Gruterus pag. 190, 4, ubi legit in postremo versu SVAM PERFICIENDAM CVRAVIT. Verum exemplar, ut ipse recitavi, Puteolis ab amico exscriptum, Neapoli ad me transmisit P. Fridericus Nicolaus Gavardus celebris Augustiniani instituti Theologus, quem amicitiæ & honoris causa nomino. Aliud epigramma fere simile videsis apud Gruterum pag. 177, 2. Ex horum lapidum Inscriptionibus constat Trajanum ante annum Tribunicie potestatis VI dictum fuisse IMP. II, cum nondum Dacos vicisset; quibus tamen eodem vertente anno Tribunicie potestatis VI superatis, *Imperator III & IIII* salutatus fuit, ut ex laudato nummo aliisque intelligimus. Dico in epitome Xiphilini cum narrasset Trajanum post victos priori bello Dacos, in Italiam reversum fuisse, ac Deceballi regis Dacorum legatos in Senatum admissos, junctis manibus ac depositis armis, more servorum, patem supplices rogasse, ait: *Dein confirmata pace, arma recipiunt. Eoque facto, Trajanus de Dacis triumphavit, & Dacicus appellatus est.* Itaque decreto Senatus *Dacici* titulum tulit. Cum vero in nummo Mediceo Imp. IIII sine titulo *Dacici* legatur, patet eum nummum sculptum fuisse, priusquam de victis Dacis triumphum ageret. Ex argenteo vero nummo, in quo *Dacicus Consul IV* inscribitur, colligimus eundem Trajanum, antequam iniret Consulatum V, cum jam esset COS. DES. V, ex priori nummo, de Dacis triumphum primum duxisse. Extat in iisdem Cimeliis Mediceis pulcherri- mus nummus Trajani primæ magnitudinis, in quo idem in anteriore parte dicitur: IMP. CAESAR NERVA TRAIAN. AVG. GERM. DACICVS P. M. In posteriori vero idem currum triumphalem insidet, ut in subjecto typo, cui alterius numismatis iconem jungo.

Num-



Nummum quem integrum exhibui, mihi Bononiæ ostendit humanissimus Antiquarius Josephus Magnavacca, estque magnitudinis mediocris ac legitimus, si quis alius. Ex eodem vero communes Fastos emendandos esse jam prænotavi pag. 66. Epistolæ Consularis, quod reapse mecum censuerunt Comes Mediobarbus in locupletissimo Auctario Occonis pag. 121, ac dein Raphael Fabréttus cap. 9 eruditi Syntagmatis de Columna Trajana pag. 274. In superiori nummo Mediceo Trajanus dicitur *Tribunicia potestatis VI, Consul designatus V*; in hoc vero altero nummo appellatur *Tribunicia potestatis VII, Consul designatus V*. Trajanus labente autumno A. V. 856, Christianæ Epochæ 103, annum VII Tribunicia potestatis inivit. Quare cum in memorato nummo dicatur Tribunicia potestatis VII. COS. DES. V, anno tantum insequenti Æræ Christi 104 Consul V in Fastis scribendus est. At Antonius Pagy, scriptor nostræ ætatis celeberrimus, in clypeata quadam Præfatione contendit, plus fidei præstandum esse omnibus veterum Fastis, quam uni aut alteri nummo; idemque dubii solutionem augurat ex tabulis Consularibus omnium plane optimis, quæ in Bibliotheca Cæsarea Vindebonensi servantur. Cum hæc communis amici vota Antonio Magliabechio aperuissem, idem præ singulari facilitate, qua non modo literas pluteis semper affixus, verum etiam earundem cultores impense fovet, recepit se laudatorum Fastorum exemplar procuraturum. Dictum, factum. Nam commodum contigerat, ut Conradus Janninghius e Societate Jesu, qui vasto Bollandi de gestis Sanctorum operi continuando eruditam manum admovit, Viennam Au-

striz se conferret, vetustos Casareæ Bibliothecæ codices lustraturus. Itaque Magliabechius eundem per literas rogavit, ut sibi memoratos Fastos exscriberet. Neque ille operam gravatus est Magliabechio, qui indefesso de re literaria benemerendi studio, suam ipsius operam ubique gentium literatis, & hos inter Daniell Papebrochio, ipsique etiam Janninghio tam prompte commodat. Ita laudati viri cura ac industria tabulas illas Consulares mihi obtinuit, quas proxime etiam commentariis illustratas evulgabo. In illis autem prioribus imperii Trajani annis hæc collegia Consulum describuntur.

Anni Christi.

98		<i>Nerva III & Trajano II,</i>	<i>Lun. VII.</i>
99		<i>Palma & Senecione,</i>	<i>Mar. XVIII.</i>
100	B	TRAIANO III ET FRONTINO,	<i>Mer. XXIX.</i>
101		<i>Traiano IV & Peto,</i>	<i>Ven. X.</i>
102		<i>Servillo II & Sura II,</i>	<i>Sat. XXI.</i>
103		<i>Traiano V & Maximo II,</i>	<i>Sol. II.</i>
104	B	SVRANO II ET MARCELLO,	<i>Lun. XII.</i>

Anonymus horum Fastorum digestor ceteris similiter quintum consulatum Trajani recitat A. V. Romæ 856, Æræ Christianæ 103, quo Kalendæ Januariæ inciderunt die Solis, ut ille ait, sive Dominico, ut Christiani loquimur, Cyclo Solis XXVIII, lit. A, anno proxime sequenti Bissextili, quem uti quosque ceteros intercalares, Consulibus majori Romana litera descriptis, ac pone eosdem litera B idem Auctor designat. Porro numeri qui diebus Kalendarum Januarii apponuntur, indicant ætatem Lunæ singulis quibusque ineuntium annorum Kalendis, juxta methodum Cycli annorum LXXXIV, ut alias demonstrabo. Quod vero Lunationes post annos octoginta quatuor, uno die, horis 6 51' 4" 2" tardius contingunt, ætas Lunæ in memoratis Fastis falsis numeris designatur. Et sane anno Christi 103, quo Imperator Trajanus Kal. Januariis, die Solis, Consul V describitur, Luna II ibidem subnotatur. At anno 102 exeunte, ex tabulis Astronomicis Novilunium juxta medium motum contigit Decembris die 26 hor. 20 21' 24" post meridiem; ac proinde Luna V Kalendis Januariis annum

num Christi 103 aperuit, quæ tamen *secunda* in illis Fastis obtruditur. Ita vero laudati Anonymi Fasti incipiunt: *Bruto & Collatino Lun. XXIX*, qui fuit annus XXXVI Ogdoecontateffaraeteridos, id est, Cycli annorum LXXXIV, iidemque Fasti per annos 862 digesti, desinunt Consulibus *Constantio VII & Constantio III Sat. XXI*, qui fuit annus ab urbe Roma condita 1107, Christi 354, ac LVII memorati Cycli; quo sane anno Kalendæ Januariæ fuerunt die Saturni, Cyclo Solis XXVII, lit. B. Cum vero Novilunium proxime juxta urbis Romæ meridianum, contigisset Decembris die, 12 hor. 5 39' 5" ante meridiem, Luna XXI cœpit ipsis Kalendis Januariis anni Christi 354, uti recte ibidem indicatur. In universo illo opere, novem integri Cycli octoginta-quatuor annorum hisce Consulibus iniri, disponuntur.

Anni Urbis Romæ.

295	<i>Publicola II & Irreligense,</i>	<i>Sat. I.</i>
379	<i>Lanato III & Prætextato,</i>	<i>Sat. I.</i>
463	<i>Megello III & Bruto,</i>	<i>Sat. I.</i>
547	<i>Nerone & Salmatore,</i>	<i>Sat. I.</i>
631	<i>Merello & Appellato,</i>	<i>Sat. I.</i>
715	<i>Censorino & Sabino,</i>	<i>Sat. I.</i>
799	<i>Astiatro II & Silano,</i>	<i>Sat. I.</i>
883	<i>Catutino & Apro,</i>	<i>Sat. I.</i>
967	<i>Messala & Sabino,</i>	<i>Sat. I.</i>
1051	<i>Fausfo II & Sabino,</i>	<i>Sat. I.</i>

Itaque Auctor ejus indicis Consularis annos Solares in forma Juliana proleptica, ad primos usque Consules sibi fingens, cum videret post tres Cyclos Solares, qui dant annos LXXXIV, easdem ferias in orbem recurrere, easdem etiam Lunationes redire putavit. Hinc anno primo cujusque Ogdoecontateffaraeteridos adposuit diem Saturni ac Neomeniam; in quorum altero erravit; siquidem uti notabam, Novilunia post annos 84 in inferiora descendunt uno die, horis sex, ac minutis 51. Hoc parergon libuit inserere, ut hanc quantulamcunque gratiam rependerem tum doctissimo meique amicissimo Antonio Pagy, qui sæpius laudatorum Fastorum descriptionem mihi inculcavit: tum etiam doctissi-

cliffimo Magliabechio nostro, qui tot in me plena manu collata beneficia, novo eo munere e Bibliotheca Cæsarea impetrato, cum-
mulavit. Ceterum quamvis Anonymus quintum Trajani con-
sulatum anno Æræ Christi 103 suis in tabulis recitet, neutiquam
fidem detrahit nummis, qui eundem consulatum in proximum
annum protrahunt. Nam & Victorius Aquitanus in suo canone
Paschali annos singulos chronologicis notis Consulum, feriarum
ac ætatis Lunæ Kalendis Januariis, & die insuper Paschali designat,
qui tamen cum depravatos Prosperi Fastos secutus fuerit, colle-
gia Consulum alienis annis per tria sæcula adscribit. Hinc su-
spicari possumus etiam Anonymum Consulum catalogum adhi-
buisse, in quo Trajanus Consul V collega Maximo II anno Christi
103 recensebatur; cum tamen ex nummis anno proximo bissex-
tili 104 ille consulatus recitandus colligatur. Idem vero Ano-
nymus A. V. Capitolino 460, sive Varroniano 461, ante Christum
293 scribit: B. MEGELLO II ET REGVLO. *Mer. X* & statim:
Gurgis & Scavola. Ven. XX. Vbi omittit consulatum L. Papirii
Cursoris & Sp. Carvili Maximi, quem præter Scriptores diserte
produit tabulæ Capitolinæ tum Consulares, tum etiam Trium-
phales eodem anno Urbis Capitolinæ CDLX, qui fuit in metho-
do Juliana proleptica bissextilis, Cyclo Solis XXV, Lunæ XIII, litt.
ED. Hinc fit, ut ascendendo per annos superiores ad primos
usque Consules, quamvis feriarum in Kalendis Januariis, ac an-
norum bissextilium ordo in eisdem Anonymi Fastis optime ser-
vetur, collegia tamen Consulum unius anni metachronismo
præcipitentur. Sed hæc postea alio volumine, si vita viresque
suppetant, fufius edifferam.

Redeo jam ad alios Trajani titulos, qui in utroque nummo
apud Laodiceam percusso leguntur. Et quidem in Mediceo nu-
mismate dicitur ΤΡΑΙΑΝΟC ΑΡΙCΤ. ΚΑΙ. CEB. *Trajanus O-*
ptimus Cæsar Augustus, qui in regio nummo insuper *Parthicus*
nuncupatur. Raphael Fabrettus laudato cap. 9 a pag. 294 pluri-
mis nummorum ac lapidum Inscriptionibus demonstrat Traja-
num anno tantum Tribuniæ Potestatis XVIII, V. C. 868, Christi
115, in nummis cognomen *Optimi* ante titulos *Germanici* ac *Dacici*
tulisse.

tulisse. Plinius in panegyrico quem Consul designatus A. V. 853 recitavit: *Iustisme*, inquit, *de causis S. P. Q. R.* Optimi tibi cognomen adjecit? ubi pluribus ejusdem cognominis Trajano delati dignitatem describit. In Trajani etiam nummis ante sextum ejusdem consulatum retrorsus legimus: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Verum illud cognomen in anteriori nummorum parte ante titulos *Augusti*, *Germanici*, *Dacici* in nummorum ac lapidum Inscriptionibus ante ejusdem Tribuniciam Potestatem, XVIII neutiquam reperitur. Vnum hoc tantum epigramma laudabo, quod in Columna Trajani publico decreto sculptum, etiamnum Romæ visitur.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE
TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF
MAXIMO. TRIB. POT. XVII. COS. VI. P. P
AD. DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS
MONS. ET. LOCVS. TANTIS. OPERIBVS. SIT. EGESTVS

Anno Urbis 867 Trajanus usque ad exitum Octobris, annum egit Tribuniciae potestatis XVII, quo nondum Romæ inscribatur OPTIMVS AVGVSTVS. Plures alias Inscriptiones congerit laudatus antea Fabrettus. Latini nummi, quod post TR. POT. VII nulli fere sequentes ejusdem potestatis annos præferunt, Græcis supplendi sunt. In Museo Mediceo hic nummus argenteus majoris moduli servatur.



Oo

Inscri-


Inscriptio anterior Latine datur: *Imperator Caesar Nerva Trajanus Augustus, Germanicus, Dacicus*; Posterior vero: *Tribunicia potestatis XVII. Consul VI.* Aquila & clava urbis Tyri symbola, ut Dissert. IV cap. 3 ostendam, nummum ibidem sculptum designant. Rursus in eadem gaza Medicea visitur nummus æreus primæ magnitudinis inscriptus: ΑΥΤΟ. ΤΡΑΙΑΝ. ΚΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚ. *Imperator Trajanus Augustus, Germanicus, Dacicus*, & retrorsus: Λ. ΙΖ. Anno XVII cum curru a duobus serpentibus alatis, tortuosis, barbatis, ac coronatis tracto, cum canistris spicis plenis in eodem curru. In neutro autem numismate anno XVII imperii Trajani percusso, idem ΑΠΙCΤΟC ΚΕΒ. *Optimus Augustus* inscribitur. Et sane Dio, cum narrasset captam a Trajano Armeniam, ait: *Tunc ei multa a Senatu decreta sunt, & Optimum sive ἀρίστον cognominarunt*; & statim memorat terræ motum Antiochienum, qui contigit A. V. 868. In quinque lapidum Inscriptionibus apud laudatum Fabretum pag. 293 cum TRIB. POT. XVIII legitur Trajanus OPTIMVS AVG. GERM. &c. Quod vero V. C. scribit numismatum defectum tot lapidum inscriptorum numero compensari, nummum, ejusdem Amici nostri gratia, e Mediceo thesauro profero, in quo cognomen *Optimi* in antica parte legitur, addito retrorsus anno imperii Trajani XVIII.



Est numisma argenteum majoris moduli ab iisdem Tyriis sculptum, cujus antica epigraphe Latine redditur: *Imperator Caesar Nerva Trajanus, Optimus Augustus, Germanicus, Dacicus*; postica vero: *Tribunicia Potestatis XVIII. Consul VI.* Quod vero in epigrammate, quod recitant Alexander Donatus lib. 3 de urbe Roma

ma

ma cap. 13, Reinesius Class. I num. CV ac Fabrettus pag. 293, Trajanus *Optimus Augustus, Germanicus, Dacicus*, appellatur, eaque Inscriptio signatur dicata Idibus Januariis, Messalla & Pedone Coss. satis probabiliter conijcere possumus, anno Juliano superiori, Æræ Christi 114, V. C. 867, inter solemnia Natalis genuini Trajani, XIV Kal. Octobris, a Senatu decretum fuisse, ut cognomen *Optimi* ante titulum Augusti eidem Principi deferretur. Ceterum Trajanum A. V. 868, Christi 115, L. Vipsiano Messalla, M. Vergiliano Pedone Coss. ut hoc collegium pag. 75 Epistolæ Consularis restitui, titulum *Parthici* jam tulisse ex insigni Laodicensium nummo demonstro. Et quidem Dio cum descripsisset terræ motum qui magnam Antiochiæ partem dejecit, ac ipsum pene Trajanum ibidem hiemantem oppressit, eos inter qui elisi interiëre, *Pedonem Consulem* memorat. Tum subdit: *Incunite vere Trajanus in hostilem terram ingreditur*; ac cum narrasset Trajanum Tigre superato, Adiabene, aliisque regionibus in potestatem redactis, Babylonem occupasse, ac exercitum ab Euphrate iterum ad Tigrim deduxisse, ait: *Ctesiphontem ingreditur. Quæ urbe capta, Imperator appellatus est, confirmato Parthici cognomine*. Nam antea scripserat Trajanum Parthorum præsiidiis Nisibi ac Batnis in Mesopotamia pulsus, *Parthicum* a legionibus appellatum fuisse. Id vero contigerat A. V. 867, Christi 114, ante memoratum terræ motum. Trajanus delatum sibi *Parthici* cognomen tum primum admisit, cum Ctesiphontem regiæ Parthorum sedem occupavit, quod contigit laudato anno Urbis 868, ut ex hoc nummo Laodicensium intelligimus.




Hocce numisma vidi hic Florentiæ in scrinio Apollonii Bassetti Serenissimo Magno Duci Etruriæ COSMO III a secretis. Antica pars Latine vertitur: *Imperator Nerva Trajanus, Optimus Cæsar Augustus, Germanicus, Dracena, Parthicus*. Et posterior: *Julienſium Laodiceuſium*. Anno CLXII. Cum horum Epochæ inierit ab A. V. Romæ 706, annus abhinc 162, eo in nummo signatus, exiit per autumnum A. V. 868, Christi 115, cum Trajanus usque ad initium Novembrem esset Tribuniciæ Potestatis XVIII. Hunc nummum cognomen *Parthici* cum anno Laodiceuſium 162 copulatum insignit. Nam cum in aliis Laodiceuſium nummis, quorum icones superius adposui, Trajanus Anno Laodiceuſium E Z P, CLXII, passim sine titulo *Parthici* obſignetur; in hoc rariori nummisate diserte inſcribitur IIAP: *Parthicus* eodem anno Laodiceuſium CLXII. Unde palam fit eundem Principem capta anno imperii XVIII, V. C. 868, Ctesiphonte, *Parthici* cognomen a victore exercitu sibi iterum, teste Dione, delatum, tum primum admiſſiſſe, ac eodem deinceps in lapidibus ac nummis decoratum fuisse. Sed de his hætenus. Alioſ hic appendo Laodiceuſium nummos, eadem Epochæ obſignatos.



Sunt bina numismata Antonini Pii, quæ ſervantur in regia Gallorum Gaza, ac Medicea; eorundem etiam typos accepi e ſcriniis viri eruditissimi Franciſci Dron, quos etiam vidi hic Florentiæ apud Apollonium Baſſettum. Varias tamen in iisdem monetariorum notas obſervavi. Inſcriptio anterior Latine redditur: *Imperator Cæſar Titus Aelius Hadrianus Antoninus Auguſtus Pius*. A verſa autem: *Julienſium Laodiceuſium*. In nummo dextrorſus poſito ſignatur Epochæ Z P P: Anno CLXXXVII, qui iniiit ab autumno

tumno A. V. Romæ 892 ac secundo imperii Antonini Pii, eodem Augusto Pio II & C. Bruttio Præsente II Coss. In altero vero sinistro delineato legitur Epochæ ΗΠΡ, id est, *anno CLXXXVIII*, qui cœpit per autumnum A. V. Romæ 893, Antonini Pii imperantis tertio, quo idemmet Pius Augustus III ac M. Aurelius Cæsar in Fastis Consules signantur. In hoc nummo apud regiam Gazam nota Monetarii visitur KO; in Mediceo vero ΦO, ac in alio nuper ad Serenissimum Magnum Etruriæ Ducem Aleppo, ex Syria delato, cum eadem Epochæ Laodicensium ΗΠΡ, sub mento mulieris apparent literæ MO. Hunc pariter nummum possident Cimelia Ducis Cenomanensis, cum altero haud ita vulgari ejusdem Antonini Pii inscripto: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΕΠΡ. *Juliensum Laodicensium. Anno CLXXXV*, qui cœpit ab Autumno A. V. Romæ 890. Præterea in locupletissima veterum numismatum Gaza, ex Hispania ad Serenissimum Magnum Etruriæ Ducem COSMVM III transmissa, huncce nummum observavi.



Anticæ partis epigraphæ Latine redditur: *Imperatorem Cæsarem Titum Aelium Hadrianum Antoninum Augustum Pium*. Et posticæ: *Juliensum Laodicensium. Anno centesimo nonagesimo*; qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 895 eodemque quinto imperii Antonini Pii. Huius geminum nummum servat Gaza Regis Christianissimi; hac tantum inter utrumque diversitate, quod in Mediceo sub mento turriti capitis muliebris signatur MO TK; in regio autem KPA, quæ diversæ sunt Monetariorum notæ in nummis eodem anno apud Laodiceam sculptis. Similes etiam nummos cum utraque nota monetariorum possidet laudatus D. Franciscus

Dron. Notanda vero est nota numeralis, qua numerus XC in nummo exprimitur. Nam regnantibus Seleucidis, uti minor Latinorum litera q, idem numerus formabatur, ex pluribus eorundem regum nummis apud V. C. Vaillantium; quod etiam superius ostensum est in nummis Petronii ac Cassii præsidum Syriae apud Antiochiam percussis. At postea idem numerus XC, uti hæc Græca litera υ, vel inverso modo, in nummis sculptus est, ut in nummis Neapolis, Gazæ, & Ascalonis suo inferius loco mihi demonstrabitur. Ex tribus hisce Antonini Pii nummis iterum confutatur opinio Harduini, qui Epocham Laodicensium ab A. V. Romæ Capitolino 690 auspicabatur. Nam anni 187, 188 & 190 in illis Antonini Pii nummis ob signati, juxta illius sententiam ab A. V. 690 deducti, concurrerent cum annis Urbis 877 & sequentibus Hadriano imperante. At V. C. pag. 285 appellat e regia Gaza nummum Domitiani retrorsus inscriptum: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. BNP. nempe *Juliensum qui & Laodicensis*. Anno CLII. Ex hoc nummo putat Æram laudatam ab A. V. 690 deducendam esse; siquidem annus exinde 152 cum A. V. Romæ 841 ac nono imperii Domitiani componitur. Extat hic quoque nummus in Cimeliarchio Mediceo, sed Epochæ ac pars epigraphes ibidem detrита est; quam pariter Epocham clare non perspicere in nummo regio memorato eximie vir eruditionis Andreas Morellius testatur. Vidi in scrinio Apollonii Bassetti hunc eundem Domitiani nummum, in cujus postica clare apparente, nulla epocha sculpta fuit. Verum amicus noster Joannes Vaillantius in alio nummo Domitiani legit BAP, Anno CXXXII, atque hæc alterius nummi descriptiones mihi indicavit: ΔΟΜΙΤΙΑΝΩ ΣΕΒΑΣΤΩ ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ, *Domitiano Augusto Germanico*; & retrorsus: ΙΟΥΛΙΕΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ BAP. *Juliensum Laodicensium*. Anno CXXXII, qui cœpit A. V. Romæ 837 ac cum quarto imperii Domitiani concurrat. Sed tot nummi Trajani ac Antonini Pii mihi observati, ac expositi, caput Æræ Laodicensium extra dubium affigunt A. V. Romæ 706, C. Julio Cæsare II, P. Servilio Isaurico Coll. Ejusdem Laodiceæ colonie postea jure donatæ, numismata proferet idem Vaillantius, cujus probatæ diligentie integram hanc messem relinquo.

§. III.

EPOCHA VRBIS GABALORVM.

Gabala urbs prope Laodiceam maritimam in Syria. Quidam Gabalensium Episcopi. Altera Gabala in Lydia ex Notitiis Ecclesiarum. Tertia in Phœnice. Insignis Gabalensium Nummus e Gaza Medicea exhibetur. Ex altero Regio Epochæ Gabalorum initium figitur in anno Urbis Roma 707. Gabalenses autonomiam a Julio Dictatore impetrarunt.

LAodicea ad proximam eidem urbem Gabala stylum deflecto. In Itinerario Antonini a Laodicea Gabala M. P. XII, in Hierosolymitano XIV numerantur. Guillelmus Tyri Antistes lib. 7 de sacra expedit. cap. 17 ait: *Oram legentes maritimam, ad urbem Gabalensem, quam vulgari appellatione Gibelum dicunt, quæ a prædicta Laodicea duodecim distat milliariis, pervenerunt.* Hæc urbs feminino, vel neutro etiam plurali genere, ut pleræque aliæ in Syria urbes, effertur. Socrati lib. 6 Hist. Eccles. cap. II nominatur Severianus Episcopus Γαβάλων πόλις δὲ αὐτῆς τῆς Συρίας, *Gabalorum quæ est urbs Syriæ*, qui iniquam contra S. Joannem Chrysostomum conspiracyem conflagavit. Theodoreto in vitis Patrum laudatur Thalelæus in tumultu viginti stadiis procul a Gabalis, *ea est autem, inquit, urbs parva & elegans, monasticam vitam degens.* In Act. I Synodi Calchedonenfis legitur Petrus Episcopus Γαβάλων, *Gabalorum*; ex quo textu alii inferius corrigendi sunt, ubi Γαββάλων perperam scribitur. In Act. I Synodi C. P. sub Menna Patriarcha anno Christi 536, in subscriptionibus legitur Joannes Episcopus Γαβάλων ὑπέγραψα Συριεῖ: *Gabalorum Syriacæ subscripsi.* Imaginis miraculis celebratæ apud Gabala Syriæ, mentio fit Act. 4 Synodi VII, & Act. V recitantur scripta Joannis Episcopi Γαβάλων *Gabalorum* contra Severum Acephalum. Ejusdem urbis meminere Strabo lib. 16, Plinius lib. 5 cap. 20, qui in Syriæ eandem recensent. Aliam ejusdem nominis in Lydia urbem V. C. Harduinus pag. 172 laudat ex Notitiis Ecclesiasticis. Sed ante aliquot sæcula quam Notitiæ illæ Ecclesiarum scriberentur, in Synodo Iatrocinali Ephesina Polycarpus Episcopus Gabalorum nominatur, qui interfuit magnæ Synodo Cal-

Calchedonenſi, ubi Act. 2 dicitur Antifteſ *Gabalorum Lydia*. Et Act. 3 legitur: *Polycarpus Epifcopus Gabalena civitatis provincia Lydia dixit, &c.* Denique idem ſubſcripſit Synodicam provinciae Lydiae ad Leonem Auguſtum, quae habetur in 3 part. Synodi Calchedonenſis cap. 42. In Concilio Oecumenico VII inter Lydiae Epifcopos recitatur Joannes ταβάλων, ubi ταβάλων *Gabalorum* legendum eſt. Verum tertiam Gabalam Ptolemæus recenſet in Phœnice mediterranea, qui & in Caſſiotide alteram collocat. Illa autem in mediterraneis Phœnices erat plane diverſa a Gabalis in majori Syria, quia hæc erat maritimum oppidum. Stephanus utraque Gabala in unam urbem confundit. Joſephus lib. 13 cap. 23 inter urbes a Judæis regno Seleucidarum ereptas nominat *Scythopolim, Gadera, Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala*. At conſtat nunquam Judæos cepiſſe Gabala Laodiceæ proxima, cum Ptolemaidenſium agro aucti ipſorum ſub Alexandro Jannæo regni fines clauderentur, nempe M. P. CCLVI infra Gabala Syriae. Ego tamen cenſeo apud Joſephum non *Gabala*, ſed *Gamala* legendum eſſe. Nam cum ibi paucos ante verſus narraſſet, regem Judæorum Alexandrum regi Syriae Demetrio abſtuliffe urbes Gaulanem, Seleuciam, & Gamala; ſtatim recensens urbes a Judæis occupatas, ac ſub Alexandri mortem poſſeſſas, nominat Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala. At *Gamala*, quæ proxime appellaverat, reponenda ſunt. Cur enim Gamala urbem ſitu munitiſſimam, quam Alexander eodem bello cum Gaulanitide ac Seleucia cepit, & in cujus obſidione poſtea Titus Cæſar vulnus accepit, omiſiſſet? Idem tamen Joſephus lib. 15 cap. 11 ſcribit Herodem condidiſſe in Galilæa Gabalam, in Peræa Eſthmonitim. In lib. 3 belli cap. 2 Gabaa appellatur. Sed de his alii viderint.

Extant in Cimeliis nummi in poſtica inſcripti ΓΑΒΑΛΕΩΝ, quos Antiquarii paſſim recensent. Nuper ex Syria aliquot numiſmata ad Sereniſſimum Magnum Etruriæ Ducem COSMVM III delata ſunt, quæ inter unum apud Gabala percuſſum, cujus iconem hic appendo.



Est

Est nummus plane rarus Antonini Caracallæ ejusque uxoris Plautillæ, in cujus antica præter morem, nomen urbis Gabalorum nomini Imperatoris supponitur. Epigraphe Latine redditur: *Antoninus Pius. Gabalensium*. In postica videntur caput Plautillæ cum inscriptione initio ac in fine detritis quibusdam literis: *Augustam Floriam Plautillam*. In nomine sive familia Plautillæ scalpenda, monetario constat, binis literis omisissis, neque enim $\Phi\Lambda\Theta\Upsilon\Lambda$ *Flavia*, sed $\Phi\Theta\Upsilon\Lambda\Theta\Upsilon\Lambda$ *Fulvia* dicta est Plautilla, ut ex regio nummo aliisque inferius Dissert. § cap. 3 mihi demonstratur. Itaque eo in nummo $\Phi\Theta\Upsilon\Lambda\Theta\Upsilon\Lambda\text{N}$ scalpendum fuerat. In regia Galliarum Gaza in nummo Hermionensium cum figura succincta taurum capistro ducente, in antica legitur: $\Phi\Theta\Upsilon\Lambda\text{BIA ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ CEB}$. *Fulvia Plautilla Augusta*, litera B pro $\Theta\Upsilon$ posita, quod ita illi pronuntiabant. Num pariter et Syriaca pronuntiatione $\Phi\Lambda\Theta\Upsilon\Lambda\text{N}$ obsignatum in nummo fuerit, alii judicent. Equidem vix puto quidpiam certi de veterum pronuntiatione statui posse. Vir Cl. Harduinus pag. 172 Gabalensium Epocham colligit ex nummo, qui priori epigrapha penitus detrita, a Patino & in indice regis Gazæ M. Aurelio adscribitur, retrorsus inscriptus: $\Gamma\Lambda\text{B}\Lambda\Lambda\text{E}\Omega\text{N}\ \Gamma\Lambda\text{C}$. *Gabalensium. Anno CCXXXIII*, quam ille Epocham ait esse Pompejanam, initam. A. V. Capitolino 690, quæ mihi quoque opinio adhærebat. At eum nummum esse Commodi evincit alter nummus ejusdem Cæsaris ex Museo Droniano a V. Cl. Morellio delineatus, cui alium Diadumeniani a Vaillantio acceptum adjicio.



In nummo, cujus posticam tantum cum Junõne pronuba ac busto
 . P p Palla-

Palladis delineavi, anterior epigraphæ legitur: Μ. ΟΠ. ΑΝΤ. ΔΙΑΔΟΤΜΕΝ. ΚΑΙC. *Marcus Opelius Antoninus Diadumenianus Cæsar*; retrorsus vero: ΓΑΒΑΛΕΩΝ. ΓΓC. *Gabalensium. Anno CCLXIII.* Est Epocha Juliana inita A.V. Romæ 707, quo Cæsar ex Ægypto per Syriam contra Pharnacem profectus, Gabalenses autonomia aliisque privilegiis ornavit. Inde enim fit, ut annus Gabalensium 263 exierit sub autumpnum A. V. Romæ 970, quo, die 6 Aprilis Antonino Caracalla occiso, Macrinus Augustus cum filio Diadumeniano Cæsare Romanum imperium usurpavit. Alter nummus integre delineatus, anteriorem epigraphem præfert: ΑΤΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ... ΚΟΜΟΔΟΝ: *Imperatorem Cæsarem M. Aurelium Commodum*; ac retrorsus: ΓΑΒΑΛΕΩΝ. ΓΑC. *Gabalensium. Anno CCXXXIII,* qui defuit sub autumpnum A. V. Romæ 940, qui erat octavus imperii Commodii ab obitu patris M. Aurelii. Dea a capite ad plantas velata, videtur Juno pronuba; sed bini Leones eandem potius Cybelem representant, cui Juno pronuba grandius velum commodavit. Eques Patinus typum nummi Trajani misit cum aversa epigrapha: ΓΑΒΑΛΕΩΝ. ΒΝΡ. *Gabalensium. Anno CLII,* cum Cybele sedente inter binos Leones, sinistra sceptrum oblongum, dextera spicas tenente. Qui quidem annus 152 cœpit ab autumno A. V. Romæ 858 ac octavo principatus Trajani.



CAPVT

CAPVT IX.

DE

EPOCHIS VRBIVM SYRIÆ
COELES.

HActenus Epochas explicui, quæ in nummis urbium Syriæ majoris obsignantur. Hinc gradum faciam ad eas quoque exponendas, quæ in nummis urbium Syriæ Coeles occurrunt. Hæc autem altera pars Syriæ cum diversis apud veteres terminis definiatur, hoc in opere Ptolemæum insignem Geographum sequar, qui libro V oppida Syriæ Coeles diligenter enumerat.

§. I.

DE EPOCHA VRBIS GADARORVM.

Decapolis regio Coeles Syria. Gadarorum situs ac balnea. Eadem urbs Judaïs a Pompejo Magno erepta, libertate donatur. Deme- trius Gadarensis ditissimus ejusdem Pompeji libertus. Epocha Gadarensium cœpit A. V. Roma 690 Varroniano. Plures Gadaren- sium nummi Aera eorundem obsignati producuntur. Hercules in nummis Gadarorum laureato capite, passim sculptus. Litera Latinorum major S apud Græcos in vetustis lapidum ac nummo- rum Inscriptionibus numerum VI designat. De anno quo primum Pompejus in Syriam cum exercitu venit. Num Gadarenses an- num a vere vel ab autumno inierint. Nulla urbs Gadara fuit in Asia proconsulari. Veteris Notitia Ecclesiarum Asia textus emen- datur.

SYRIA Coele juxta Ptolemæum longiori terrarum tractu Phœnicem a tergo claudens, ad Arabiam usque extendeba- tur. Decapolis Plinio lib. 5 cap. 18 descripta, intra eandem erat, cui a decem urbibus nomen datum, quas inter eidem Plinio recensentur *Gadara Hieromiace præsidente*. S. Hieronymus in To- picis ait: *Est autem regio decem urbium trans Jordanem circa Hip- pum, & Pellam, & Gadaram*. Ibidem vero describitur *Gadara urbs trans Jordanem contra Scythopolim & Tiberiadem ad Orientalem*.

Pp 2

pla.


plagam, sita in monte, ad cuius radices aqua calida erumpunt, balneis desuper edificatis. Eunapius in Jamblichō scribit, philosophum perrexisse *Gadara, qui locus est thermarum in Syria secundas a Bais in Romano imperio obtinens &c.* Epiphanius ad Hæresim XXX, quæ est Ebionitarum, ait: *Prosciscuntur itaque Gadara ad aquas calidas, quo loco singulis annis conventus celebrantur; ubi & insigne in ipsis balneis miraculum patratum recitat.* Polybius lib. 5 cum narrasset Antiochum bello pro obtinenda Cœle Syria, contra Ptolemæum Philopatorem suscepto, Abilam, Pellam, aliaque oppida cepisse, addit: *Restabant adhuc Gadara, locus opinione hominum præ ceteris omnibus ejus tractus eximie munitus.* Quam tamen urbem deditione occupavit. Verum Seleucidarum postea regno mutuis regum fratrum discordiis convulso, Alexander Judæorum rex, uti narrat Josephus lib. 13 cap. 21, *expeditionem suscepit in Cœlem Syriam, ubi Gadara post decem mensium obsidionem cepit.* Scythopolim quoque, Seleuciam, Pellam, aliaque Cœles Syriæ oppida eodem bello subegit. Idem Josephus cap. 20 de Pella a Judæis capta scribit: *Hanc ultimam diruerunt, quod incolæ recusarent ritus Judaicos recipere.* Itaque quidam Gadarensium ne patrios lares desererent, coacti fuerunt ab avita religione discedere; aliis longe pluribus Deorum cultoribus in exilium abeuntibus, ut Gadara fere deserta, speciem urbis amitterent. Verum cum paucos post annos Pompejus victrices Aquilas Syriæ intulisset, eamque Romanis provinciis contribuisset, Gadara pristinos cives receperunt, opera Demetrii Gadarensis liberti, qui patroni sui Pompeji gratiam supra ceteros occupaverat, uti scribit Plutarchus in Pompejo, & in Catone Vticensi. Seneca unus audiatur cap. 8 de animi tranquillitate: *Feliciorem, inquit, tu Demetrium Pompejanum vocas, quem non puduit locupletiores esse Pompejo? Numerus illi quotidie servorum velut Imperatori referebatur; cui jamdudum divitiæ esse debuerant duo vicarii, & cella laxior.* Josephus lib. 14 cap. 8 gesta Pompejo in Syria describens, ait: *Gadara deinde paulo ante diruta, instauravit in gratiam liberti sui Gadarensis Demetrii.* Idem scriptor lib. 5 cap. 3 vocat Gadara *transamnanæ regionis Metropolim munitissimam.* Hinc Gadarenses, quo

quo Pompejo, qui urbem ipsorum a Judæorum servitute libera-
 verat, grati animi obsequium præstarent, semet *Pompejanos* nuncu-
 cuparunt, ut ex nummis Gadarensium intelligimus. Extat in
 Museo Regis Christianissimi nummus Gordiani tertii inscriptus:
 ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC ΓΟΡΔΙΑΝΟC, cum capite ejus-
 dem laureato, *Imperator Caesar Marcus Antonius Gordianus*. Et in
 altera parte epigraphæ: ΠΟΜΠ. ΓΑΔΑΡΕΩΝ. ΕΤ. Priorem
 vocem reddo integram: Πομπηϊανῶν *Pompejanorum Gadarensi-
 um. Anno CCCIII*. Ibi visitur triremis cum remigibus, ut in al-
 tero Gadarensium nummo Elagabali, ejus typum ad me trans-
 misit vir comitate ac veterum numismatum peritæ laudandus
 Joseph Magnavacca Bononiensis. In antica parte caput visitur
 Elagabali cum corona radiata, ac epigraphæ.. ΑΝΤΩΝΙΝΟC,
Antoninus. In aversa parte supra triremem cum remigibus, ut in
 regio nummo, legitur: ΠΟΜΠ. ΓΑΔΑΡΕΩΝ. ΑΗC. ita tamen
 ut superiores partes prioris vocis ΠΟΜΠ, obtusæ sint. Est itaque
 epigraphæ: *Pompejanorum Gadarensium. Anno CCLXXXI*. Tri-
 reme aut communi symbolo Gadarorum Felicitas: aut specialit,
 maritimæ Pompeji Gadarorum restauratoris contra piratas vi-
 ctoriæ designantur, uti V. C. Harduinus prænotavit, qui pag. 175
 tradit anno Gadarensium CCLXXXI signari primum Elagabali,
 Urbis Romæ 970, vel ut alii numerant 971, cum Pompejus autono-
 miam Gadarensibus concesserit A. V. Capitolino 690, sive Varro-
 niano 691, M. Tullio Citerone Consule, ut idem supputat pag. 176.
 Verum hæc chronologia nummis ejusdem Urbis non congruit.
 Nam laudatus Magnavacca non quidem typum delineatum, sed,
 uti est officiosissimus, ipsummet numisma ad me transmisit, ejus
 hic imaginem appendo.



In antea a Latinis legitur *Nero*; & in posteriori: *Gadarensum*. Anno CXXXI. Hanc alterius nummi exscriptam epigraphen [accepi ab eruditissimo Nicolao Toinardo] ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ. *Nero Caesar*. Et retrorsus: ΓΑΔΑΡΑ. Λ. ΑΑΡ. *Gadara*. Anno CXXXI. cum muliere turrita, dextera coronam, sinistra copiae cornu gestante. Jam demonstratum est Syros annum ab autumno auspiciatos fuisse, quod tum veterum Scriptorum testimoniis, tum etiam nummo Hadriani a Tripolitis scalpto, evicimus. Quare Epochæ Gadarensum colligeretur ab A. V. 691, quo Cicerō consulatum gessit, annus ejusdem CXXXI cœpisset ab autumno A. V. 821, Nerone ante quatuor menses occiso, ac Galba imperante; cum tamen anno Gadarensum 131 decurrente, ex laudatis nummis Nero Imperator esset superstes. Hinc dicenda est Gadarorum Epochæ cœpta ab autumno A. V. Capitolino 689, vel Varro-niano 690, L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo Coss. Periodi Julianæ 4650, ante Æram Christi 64, Cyclo Solis II, Lunæ XIV. Ita annus Gadarorum in nummo signatus CXXXI cœpit ab autumno A. V. 820, ac die 21 Aprilis inito A. V. 821 die 10 Junii Nero semet interfecit, labente adhuc anno Gadarensis Epochæ 131. Extant in regia Gaza alii nummi Gadaris percussi, quos produco. In priori legitur: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝ.. cum laurea-to ejusdem capite: *Imperator Caesar Marcus Aurelius Antoninus*; & in alia parte: ΓΑΔΑΡΕΩΝ. ΔΚC. *Gadarensum*. Anno CCXXIV. Hic annus cœpit ab autumno A. V. 913, cum adhuc Imperator Antoninus Pius esset superstes; quo tamen mense Martio sequenti, vita defuncto, M. Aurelius cum L. Vero collega imperium inivit anno Christi 161, eodem M. Aurelio III & L. Vero Augustis Coss. durante adhuc usque ad autumnum anno Gadarensum 224. Alter nummus in eadem regia Gaza est Commodi, in cujus anteriori parte cum laureato ejusdem capite legitur ΑΥΡ. *Aurelius*, ceteris literis epigraphes detritis. Eadem tamen Inscriptio e gemino numismate Musei S. Genovesæ integra exhibetur ab Harduino pag. 572. ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤ. ΚΟΜΟΔΟC: *Imp. Caesar M. Aurelius Antoninus Commodus*; sine duplici ~~ms.~~. In postica utriusque nummi legitur cum capite Herculis laureato: ΓΑΔΑΡΕΩΝ.

PMC. *Gadarensum*. Anno CCXLIII, qui exiit per autumnum A. V. Romæ 933, qui fuit primus imperii Commodi ab obitu patris, cum prænomen *Lucii* in *Marcum* commutasset. Holstenius pag. 77 not. in Stephianum binos Gadarensum nummos laudat, primum M. Antonini in Cæneliis Mediceis; alterum Commodi Romæ in Museo Puteano, cum eadem utriusque Inscriptione: ΓΑΔΑΡΕΩΝ. SKC. Recte quidem hæc posticæ partis Inscriptio ab Holstenio recitatur. At falso scribit Mediceum nummum esse M. Aurelii Antonini, ac Puteanum Commodi; siquidem in utroque Museo est nummus L. Veri. In Puteano Inscriptio antica legitur: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Α. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC: *Imperator Caesar Lucius Aurelius Verus*. Postica est eadem omnino cum hac alterius in Medicea Gaza, ubi idem nummus est pulcherrimus.



Epigraphe Latine redditur: *Imperator Caesar Aurelius Verus*. Et in postica: *Gadarensum*. Anno CCXXVI. Coepit hic annus ab autumno A. V. 915. Harduinus in addendis pag. 571 e Museo S. Genovesæ recitans nummum Commodi proxime descriptum, putat ipsum Commodum sub imberbis Herculis effigie sculptum. Errat; tum quia nummus ille percussus fuit anno primo imperii Commodi, quo nondum insanus Imperator semet Herculem Romanum fingeat; tum quia idem caput Herculis laureatum in nummis etiam M. Aurelii, & in Mediceo L. Veri sculptum visitur. Josephus lib. 13 cap. 13 gesta Herodis describens, ait: *Decimo septimo demum ejus regni anno, Caesar venit in Syriam: moxque Gadarensum plurimi ceperunt clamare in Herodem; eorumque accusationes erant de vi ac rapinis ejus, violatisque ac dirutis*

ritus templis. Hæc inter erat templum Herculis, quod visitur in nummo Gadarensum apud Trifanum tom. 2 pag. 49, quamvis ille nummum Gaditanis in Hispania adscribat. Idem enim Hercules a Gadarensibus præcipue cultus, ex eorundem nummis intelligitur. Ut Antiocheni caput Jovis: Tyrii caput Herculis: ita Gadarenses caput ejusdem Herculis laurea redimitum in nummis scalpebant. Spanhemius sæpe mihi laudatus Dissert. 9 pag. 870 eundem nummum Gadarensum L. Veri e Museo Mediceo appellans, in eodem legit SKE, *scu verius*, inquit, CKE. Hanc V. C. Epocham ex indice exscripsit, in quo reapse scriptum est SKE. Sed in nummo optime servato sculptum est SKC. Veteres enim pro minori litera s, qua a Græcis numerus VI indicatur, frequenter posuisse majorem Romanam litteram S, ex nummorum ac lapidum Inscriptionibus demonstratur. Extat in Museo Mediceo Titi nummus in postica inscriptus: ETO. KS. BA. AΓΡΗΠΠΑ; *Anno XXVI. Rex Agrippa.* Hujus nummi typum profert idem vir illustrissimus pag. 864. In regia Gaza servatur nummus Antiochensium Vari præsidis Syriæ cum annis Epochæ imperii Augusti in Syria sk. *Anno XXVI.* In nummo Tyriorum Mediceo, quem Dissert. IV cap. 3 produco, legitur: SNC, *Anno CCLVI.* In Canone Paschali S. Hippolyti inter Inscriptiones Gruteri pag. 140 literæ laterales SS annum bissexilem indicant; & pag. 141 legitur: IS. KA. MAI. KT. & S. EL. AΠP. KT. nempe XVI *Kalendas Maji, Dominica, & VI Eidus Aprilis, Dominica.* In Inscriptione Athletica Romæ in atrio palatii Farnesiorum numerus VI designatur majori litera T inferius sinuata, cujus figuram expressi pag. 88 Epistolæ Consularis ad virum doctissimum, ac amicissimum Antonium Pagy.

Quæ superius dixi de instituta A. V. 690, L. Julio Cæsare, C. Marcio Figulo Consulibus, Gadarensum Epocham, paucis mihi illustranda sunt; quod intelligo viros eruditos Æras, quas urbes Syriæ ab accepta a Pompejo autonomia invexerunt, ab anno tantum Varronianum Urbis 691 deducere. Equidem Harduinus tum in nummis Gadarorum, tum in aliis, in quibus Epocham Pompejana legitur, eandem semper a Consulatu Ciceronis auspica-

tur;

tur ; cum tamen ex nummis aliisque vetustis monumentis dissent. 5 cap. 3 ostensurus sim Epocham Gazensium ab A. V. 693 colligendam esse. In præsentia de *Æra* tantum Gadarorum sermonem faciam. Cum ejectis Seleucidis, regnum Syriæ partim a Tigra- ne Armeniorum, partim ab Areta Arabum regibus, partimque etiam a Judæis, occupatum fuisset, Pompejus victo Tigra- ne, ac in amicitiam recepto cum eo, ut Syriæ regno cederet, in eandem Syriam Romanorum primus cum legionibus descendit A. V. 690, L. Casare, C. Figulo Coss. Hoc ex Dione ac Josepho facile demon- strabo. Nam Dio lib. 37 narrat Phraatem regem Parthorum cum Pompejo per legatos de acceptis injuriis conquestum fuisse, simulque interdixisse, ne Euphratem transiret. *Ubi, inquit, ni- bil moderati responsum est, verno tempore [Consules cum Roma erant L. Caesar & C. Figulus] contra Tigranem adhibito ejus filio, suo gene- ro, expeditionem Phraates fecit ; ibi prælio victus, postea hosti præ- valuit. Cumque Tigranes Pompejum in Syria agentem accerferet, denuo ad eum legatos Phraates misit &c.* Ex his patet Pompejum fuisse in Syria L. Julio Casare & C. Marcio Figulo Coss. A. V. 690. Præterea Josephus lib. 14 cap. 4 narrat Scaurum a Pompejo in Sy- riam missum, Damascus venisse recens a Metello & Lollio ca- ptam. Tum cap. 5 ait: *Non multo autem post cum Pompejus Da- mascum venisset, & obiret Cœlem Syriam, præsto ei fuerunt legati ex universa Syria, & Ægypto, atque Judea.* Nullus dubito quin in- ter Syriæ legatos fuerint etiam legati Gadarensium, qui pro liber- tate impetranda, Pompejum adierint, certam eisdem spem faci- ente ipsorum cive Pompeji liberto Demetrio. Itaque Pompe- jus A. V. 690 fuit in Cœle Syria ; etenim ibidem Josephus post paucos statim versus hæc scribit: *incunte vere, copius ex hibernis revocatis, in Damascenorum agrum profectus est ;* narratque eum in Apamena regione arcem diruisse, ac per Heliopolim ac Chal- cidem superato monte, in Cœlem Syriam venisse, ac a Pella urbe Damascus iterum reversum fuisse, ac paulo post ad Hierosoly- ma ducto exercitu, urbem expugnasse, *M. Tullio ac Antonio Coss.* nempe A. V. 691. Inter primum Pompeji adventum in Cœlem Syriam ac Damascus, ac capta postea ab eodem Hierosolyma,

habetus apud Josephum exercitum in hiberna dimissum, ac de-
in *incunte vere*, ex *hibernis* revocatum; ac proinde certum est
Pompejum A. V. 696, L. Casare ac C. Figulo Coss. fuisse in Coele
Syria. Cum vero Demetrius Gadarenlis supra ceteros homi-
num Pompeji gratia potiretur, suis conterraneis autonomiam a
Pompejo obtinuit, cum primum hic in Syriam venisset. Quam-
vis vero Josephus ibidem cap. 8 narrata expugnatione Hierosoly-
morum, de Pompejo scribat: *Gadara deinde paulo ante diruta,*
instauravit in gratiam liberti sui Demetrii Gadarenlis, addatque Ga-
dara una cum aliis oppidis erepta Judæis donata fuisse libertate,
ac Syriæ provinciæ contributa; hoc tantum iisdem significat, vi-
delicet Pompejum publico edicto Gadara restauranda indixisse,
ac postea captis Hierosolymis, Judæos quolibet prætenso in ean-
dem ac ceteras urbes jure privasse; cum tamen anno superiori
Gadarenlibus autonomiam concessisset, quod ex eorundem
nummo Neronis ostensum fuit.

His tamen quispiam reponet Gadarenses qui ab aliquot an-
nis sub Judæorum imperio erant, annum novum non ab autu-
mno cum aliis Syromacedonibus, sed a verno tempore cum Ju-
dæis, quibus parebant, inchoasse. Itaque si eorundem Epochæ
ponatur inita anno novo, qui fuit urbis Romæ 691, annus illius
CCXXXI, in laudatis Neronis nummis obsignatus, cœpisset ver-
no tempore A. V. Romæ 821 a parilibus, Nerone ad tres fere men-
ses superflite. Josephus, ut superius notabam, cum lib. 13, cap. 20
scripisset, Judæos in mediterraneis e regno Syriæ sibi subdidisse,
Scythopolim, Seleuciam, Gadara &c. & Pellam, ait: *Hanc ulti-*
mam diruerunt, quod incolæ recusarent Judaicos ritus recipere.
Quare Gadara, quæ diruta non fuerant, Judaicam religionem ac
ritus admiserunt; ac proinde Gadarenses annum etiam novum a
Nisan sive Xanthico Syromacedonum Lunari una cum Judæis id
temporis auspicabantur. Hæc tamen facile refelluntur. Nam
licet Judæi annum sacrum a neomenia Nisan inchoarent; in con-
tractibus tamen aliisque publicis actis Æra Contractuum cum ce-
teris Syris communi utebantur, cujus anni ab autumno initium
sumebant. Quamvis vero Gadara, cum primum ab Alexandro
Jan-

Jannæo rege capta sunt, diruta non fuerint, quod cives qui patrios lares libertati præponebant, Judaicos ritus se admittere simularunt, aliis civibus avitæ religionis cultoribus in voluntarium exilium dilapsis; mortuo tamen rege Alexandro, Gadarenfes a Judæis acerbe vexatos fuisse, urbemque ipsorum devastatam aperte colligitur ex Josepho superius laudato, qui lib. 14 cap. 8 de Pompejo scribit: *Gadara deinde paulo ante diruta in gratiam libertati sui Gadarenfis Demetrii restituit.* Quam urbem uti & ceteras a Judææ regno avulſas, *ſuis habitatoribus reſtitutas* a Pompejo idem Joſephus teſtatur. Quare Gadarenſes cum avito Deorum cultu annum quoque Syromacedonum retinentes, juffu Pompeji patriis laribus reſtituti, ac autonómia donati, annos tum primums Epochæ inſtitutæ, ab autumno cum ceteris provincialibus Syris inibant. Cum vero Auguſtus Ægypto capta, Herodi in Decapolis regionem Gadara & Hippon donaffet, Judæi qui Gadara, Syris permixti incolebant, templum Deorum ibidem juffu Herodis, qui Judaicam religionem ſectabatur, diruenda curarunt, ut ex Joſepho retulimus; & quamvis mortuo Herode, Gadara Syriæ provinciæ iterum contributa fuerint; Judæorum tamen civium numerus Syros incolas ſuperabât. Hinc Veſpaſianus bello Judaico in Palæſtinam cum imperio a Nerone miſſus, anno primo ſuſceptæ expeditionis, qui fuit Romæ 820 idemque ab Octobri decimus tertius imperii Neronis, in Galilæam movens, Gadara pugnacioribus dilapſis, capta incendit, ex Joſepho lib. 3 belli cap. 6. Illo vero inde digreſſo, cives incenſam urbem repetiſſe ex eodem Scriptore colligimus, qui lib. 5 cap. 3 de Veſpaſiano ait: *Cum igitur veniſſet Gadara tranſammana regionis metropolim validiſſimam die quarta menſis Dyſtri &c.* Et poſt paucos verſus: *Gadarenſium populus Veſpaſiano cum acclamationibus in civitatem recepto, ſidei dexteram ab eo accepit.* Hæc contingere A. V. 821 a parilibus, C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo Coſſ. quo anno Nero periit. Hinc intelligimus nummum Neronis Gadaris ſculptum cum Epocha A A P, id eſt, Anno CXXXI percuſſum fuiſſe, poſtquam cives in incenſam paulo ante patriam redierunt, qui ut omnem cum ceteris Judæis rebellibus conſpirationis ſuſpicionem

ase amoverent, eos nummos Neronis Augusti imagine obsignatos publicarunt. Cum vero id temporis Judæi Syris permixti urbes Decapolitanae Syriae incoherent, ac utraque gens jure civium pari frueretur, utriusque pariter decreto nummi scalpi sunt. Hinc quispiam fortassis existimabit Judæis, id temporis apud Gadara prevalentibus, annum a Neomenia Nisan ibidem inchoatum fuisse, ac proinde annum CXXXI, in memorato Gadarensium nummo signatum, initium habuisse die 22 Martii, qua novilunium Nisan contigit juxta meridianum Palæstinæ, hora tertia, post mediam noctem A. V. Romæ a palilibus 821, Christi 68. Exstant plures argentei Vespasiani nummi in Cimeliis Mediceis inscripti: ΕΤΟΥΤ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. *Anno novo sacro*, quorum aliquot forte scalpserunt Judæi, qui in urbibus regni Agrippæ degabant, ac eos præsertim, qui duplici cornu copiae obsignati sunt, cum alii, qui Deorum imagines præferunt, a Syris easdem cum Judæis urbes incolentibus percussi videantur. Nam certum est regem Agrippam, utpote Judæicæ religionis cultorem, neomeniam anni novi sacri celebrasse; erant enim neomeniæ Judæis solennes 2 Paralip. II, 4, Judith. cap. VIII, 6, ac peculiaribus sacrificiis celebratæ, Numer. XXVIII, II. At eas inter insignis erat neomenia Nisan, quæ annum sacrum aperiebat, qua etiam, jubente Deo cap. ult. Exodi, Moyses sacrum tabernaculum primitus erexit. Verum laudatam nummorum epigraphen aliter exposui superius capite 6, ubi etiam binos nummos Imperatoris Nervæ inscriptos protuli, in quorum uno legitur: ΕΤΟΥΤ ΝΕΟΥ ΙΕΡΟΥ. A. & in alio loco A. ponitur B, nempe *Anno novo sacro primo*, & *Anno novo sacro secundo*. Nerva imperium accepit, uti colligitur ex Plinio in panegyrico, die 18 Septembris A. V. 849, Christi 96, quod mense postea XVII una cum vita amisit, videlicet die 28 Januarii, anno Christi 98. Quare imperante Nerva, semel tantum anno Christi 97 neomenia Nisan sive anni sacri contigit; ac proinde in nummo Nervæ annus sacer secundus neutiquam annum sacrum apud Judæos cum Nisan ineuntem designat. Hinc fit ut anni CXXXI in exposito Gadarensium nummo sint civiles, atque per autumnum inchoati.

Antequam Gadaris discedo, nummos juvat considerare, quos V. C. Harduinus pag. 176 recitat, quorum unus inscribitur: ΓΑΔΑΡΑ. *Gadara*; alter vero ΓΑΔΑΡΕΩΝ ΙΕΡΑ ΣΤΥΚΑΡΤΟΣ: *Gadarorum sacer Senatus*; de quibus hæc ibidem Harduinus ait: *Utrumque hunc nummum ad Gadara potius Asiæ proconsularis oppidum, cujus mentio in Notitia Eccles. antiqua pag. 27 referre juvat, quam ad Syriacum.* In secundis tamen curis inferius pag. 602 priori loco dicta expungens, tradit eos quoque nummos ad Gadara Cœles Syriæ pertinere. Sed & alter sibi admissus ibidem, error emendandus erat, nempe quæ de Gadaris Asiæ proconsularis oppido scripserat; nulla enim urbs ejus nominis in ea parte, Asiæ ab Historicis aut Geographis uspiam memoratur. Notitia quam ille appellat, non est Ecclesiastica, sed Imperii Orientalis, in qua sub Asiæ Proconsule numerantur Urbes XLII, pagina illa 27 apud Carolum a S. Paulo, quarum urbium pleræque Amanuensium sive librariorum negligentia perperam describuntur; earumque nomina ex Notitia Ecclesiastica pag. 43 reformanda sunt. Nam ibidem legitur *Hypæta* pro *Hypæpa*; *Prinlla* pro *Brimla*; *Enea* pro *Anæa*; *Myce* pro *Cyme*; *Antadrus* pro *Antadrus*, & ut cetera errata vocabula omittam, ibidem num. 41 Γάδαρα *Gadara* scribitur, quod oppidum in altera Notitia pag. 43 recte dicitur Γαργάρων *Gargarorum*; uti etiam legitur in altera Notitia apud Leunclavium tom. I Juris Græco-Lat. pag. 91. *Gargara* urbs Troadis laudatur Stephano, & antea Straboni lib. 13 ac Plinio libro 5 cap. 30. In Synodo C-P. sub Menna Patriarcha legitur subscriptus *Joannes Episcopus τῆς Γαργαρέων ἐπαρχίας Ἀσίας: Gargarorum urbis provincia Asiæ*, & in Synodo V Theodorus Episcopus *Gargarorum*; ac in Synodo VII subscribit Nicephorus servator *Γαργαρέων Gargarorum*. Itaque ex depravato characterē Notitiæ, quam vir eruditus appellat, nova Gadatorum urbs in Asiæ Proconsulari eidem fingitur; cum reapse omnes illi nummi ad Gadara in Cœle Syria pertineant. Stephano in libro de Urbibus laudantur *Gadara urbs Cœles Syria, quæ Antiochia & Seleucia vocata fuit*; ac præterea altera *Gadara urbs Palæstinæ*. At Holstenius in notis pag. 78 ait in MSS. legi Γάδρα πόλις Παλαιστίνης, *Gadra*

urbs Palæstina; cuius tamen Gadra nusquam mentio apud Josephum occurrit. Hinc arbitror Stephanum cum sua ætate Gadara intra secundam Palæstinam censerentur, eadem a Gadaris, quæ in Syria Coele a vetustis scriptoribus locabantur, distinxisse. In iisdem tamen Notitiis Ecclesiasticis pag. 5 & 73 apud Carolum a S. Paulo in prima Palæstina ponitur *Regium Gadarorum*, ac præterea in Palæstina secunda *Gadira* sub metropoli Scythopolitano, quæ est ipsa, de qua loquimur, Gadarensum urbs: & in Concilio Hierosolymitano a Petro Patriarcha celebrato anno Christi 536 leguntur subscripti Araxius Episcopus Γαδάρων, *Gadarorum*, & Theodorus Episcopus Γαδάρων, *Gadarorum*. Hinc duo ejusdem nominis oppida, uti scribit Stephanus, in Syria Palæstina fuisse videntur; de quibus haud vacat prolixius hic disputare.

§. II.

EPOCHA PHILADELPHIÆ.

Philadelpbia antea Rabbath, novum à Ptolemao Philadelpho nomen accepit. Cur in sacris literis Civitas aquarum nuncupata. Prius Arabia, dein Syria, denique iterum Arabia deputata. Seleucidis paruit ab Antiocho Magno usque ad Antiochum Dionysum. Mox ab Arabia regibus possessa. Romano imperio a Pompejo adjicitur A.V. Roma 691. Inde nova Epochæ a Philadelphensibus inducta. Quot urbes Pompejus in Cilicia ac Syria restauraverit. Aera Philadelpbia in duobus rarioribus nummis exhibetur.

Coele Syria ad Ortum Phœnicem latius cingens, Philadelphiam usque Arabiæ conterminam extendebatur. Extat in Cimeliis Mediceis Hadriani nummus: ΑΤΤΟΚΡ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ. & retrorsus cum capite muliebri legitur: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΚΟΙΑΗC CΥΡΙΑC: *Philadelphensium Coeles Syria*. Vetustum ejusdem urbis nomen prodit S. Hieronymus in cap. 25 Ezechielis, ubi ait: *Contra filios Ammon, qui habebant metropolim nomine Rabbath, quæ bodie a rege Aegypti Ptolemao cognomento Philadelpho, qui Arabiam tenuit cum Judæa, Philadelpbia nuncupata est.* In sacris literis Deuter. III, 11 *Rabbath filiorum Ammon*

mon oppidum nominatur. Judæi regnante David ex lib. 2 Regum XI, 1 vastaverunt *filios Ammon*, & *obsederunt Rabbā*; quæ in obsidione Vrias pulcherrimæ uxoris conjunx infelix, erumpentibus hostibus jussu Regis proditus, occubuit. Et cap. XII, 28 cum obsidium propugnatorum viribus protraheretur, dicitur Joab ipsum Davidem regem cum validioribus copiis in castra accersivisse, scribens: *Dimicavi adversum Rabbath, & capienda est urbs aquarum.* Polybius lib. 5 describens expeditionem Antiochi Magni adversus Ptolemæum Philopatorem, narrat eundem captis pluribus in Cœle Syria oppidis, cum certior factus esset *magnum hostium numerum in urbem Arabia Rabathamana convenisse*, illuc ducto exercitu, urbem in colle sitam obsedisse, variisque machinis non uno loco mœnibus dejectis, a quodam captivo sibi indicato subterraneo meatu, *per quem obsessi aquatum descendebant*, eundem saxis ceterisque id genus rebus obstruxisse; atque oppidanos *aqua inopia* ad deditionem coegisse. Casaubonus interpres nomen urbis apud Polybium Rabathamana, vertit Rabbath ben-Ammon, quæ Hebraicæ voces Latine sonant ac *magna urbs filiorum Ammon.* Cum autem cives aquarum inopia adacti deditionem fecerint, cur in sacris literis *civitas aquarum* nuncupatur? Hieronymus de locis Hebr. lit. I, de Jaboch flumine sive torrente, ait: *Fluit autem inter Ammon, id est, Philadelphiam & Gerasam in quarto milliario ejus.* Hinc civitas aquarum dicta videtur, quod circa collem, in quo sita erat, aquæ largioris perenni quodam fonte erumpebant, ad quas hauriendas, obsidione premente, cives per subterraneum meatum clam hostibus descendebant. Stephano Rabbatammana *urbs Arabia montana* appellatur; & postea in lit. 4 laudatur eidem Philadelp̄ia *Syria illustris urbs*, prius *Ammana*, deinde *Astarte*, postea *Philadelp̄ia a Ptolemao Philadelpho nuncupata.* Utraque una eademque erat urbs, quæ a Plinio lib. 5 cap. 18 in Decapoli Syriæ ponitur, a Ptolemæo vero in Cœle Syria, cujus pars erat Decapolis. At postea in altera provinciarum Orientis divisione sub Christianis Imperatoribus, Philadelp̄ia Arabiæ attributa fuit. Ammianus lib. 14 Arabiam describens ait: *Hæc quoque civitates habet inter*

ter oppida quadam ingentes, *Bostram*, & *Gerasam*, atque *Philadelphiam* murorum firmitate cautissimas. Et Hieronymus in illa cap. 2 *Sophoniz*: Et blasphemias filiorum *Ammon*, ait: quæ & ipsa urbs *Arabia* secunda post *Bostram*, *Philadelpbia*. Ubi *Bostram* reponas; uti & in lib. de locis Hebr. ubi legitur: *Adara* insignis civitas *Arabia* in vicesimo quarto lapide ab *Ostra*; & V. *Edrai*, dicitur ab *Osara*; ubi utrobique a *Bostra* legendum est, quæ posteriori ætate Romanorum Principum, erat metropolis *Arabiz*, a qua secundo loco in eadem provincia censebatur, teste Hieronymo, *Philadelpbia*. Eadem urbs ab *Antiocho* Magno *Seleucidarum* regno adjecta, eisdem paruit usque ad *Antiochum* *Sidetem* Magni pronepotem. Nam cum *Ptolemæus* focerum *Simonem* *Judæorum* Pontificem ac principem, inter sacra mensæ insidiis circumventum, occidisset anno *Seleucidarum* centesimo septuagesimo septimo, mense undecimo, ex cap. ult. libri I. *Maccab.* nempe anno secundo *Olympiadis* CLXI, urbis *Romæ* 619 a parilibus, *Joannes Hyrcanus* necem *Simonis* parentis ulturus, *Ptolemæum* intra oppidum obsedit. Verum soluto postea ob religionem anni *Sabbatici* obsidio, *Ptolemæus*, inquit *Josephus* lib. 13 *Antiq.* cap. 15, fugit ad *Zenonem* cognomine *Cotylam*, qui tunc apud *Philadelphiam* invaserat tyrannidem. Cum in prælio contra *Aretam* regem *Arabum* *Dionysus* rex, *Antiochi Grypi* filius, occubisset; post hunc, inquit *Josephus* cap. 23, *Syria* *Cæles* regnam *Aretas* adipiscitur, vocatus ad imperium a *Damascenis*. Et quidem etiam *Philadelphiam* in *Arabum* potestatem venisse constat ex eodem *Josepho*, qui lib. 1 belli cap. 5, cum narrasset *Emiliū* *Scaurum* cum parte exercitus à *Pompejo* in *Syriam* missum, *Aretam* qui junctis cum *Aristobulo* copiis *Hierosolyma* obsidebat, bello tantum ostentato, ab obsidione demovisse, ait: Itaque & *Aretas* ex *Judea* *Philadelphiam* recedit, metu perculsus, & *Scaurus* redit *Damascum*, quam urbem *Lollius* ac *Metellus* legati *Pompeji* nuper *Aretæ* eripuerant, ut ibidem *Josephus* testatur. *Hierosolyma* obsessa erant ab *Arabibus*, cum *Judæi* *Pascha* celebrarent, ex eodem *Historico* lib. 14 cap. 3. Hæc vero contingere A. V. *Romæ* 690, L. *Julio* *Cæsare*, C. *Marcio* *Figulo* *Cons.* quo anno per

per ætatem acta est Olympias CLXXX, cum Pompejus postea *Damascum* venisset, & obiret *Cœlem Syriam*. Ibidem cap. 5, ubi statim addit Josephus de Pompejo: *Invenio vere, copiis ex hibernis revocatis, in Damascenum agrum profectus est &c. transiens deinde per Heliopolim & Chalcedem, superatoque medio monte, in Cœlem Syriam veniens, a Pelæa Damascum se contulit.* Eo anno idem Pompejus exercitum contra Aretam Arabum regem duxit, cumque propius Petram regiam Arabum Nabateorum sedem adnovisset, intellecta morte Mithridatis, ac Judæorum tumultibus, retro signa Hierosolyma versus movit, urbemque ac Templum, quod arcis instar erat, expugnavit. Quæ Cicerone & Antonio Coss. contigisse tradunt Josephus ibidem ac Dio lib. 37.

Auctor Chronici vulgo Alexandrini, ad annum secundum Olympiadis CLXXIX Pisone & Gabinio Coss. scribit: *Philadelphenses hinc sua tempora numerant.* Illud collegium Consulatum ut & alia passim eo in Chronico perperam disposita sunt, cum Piso ac Gabinius consulatum gesserint A. V. Romæ 696, ac ab ætate tertio Olympiadis CLXXX. At annus secundus Olympiadis superioris concurret cum A. V. 691, quem Cicero suo consulatu ac deprehensa Catilina conjuratione nobilitavit. Itaque Philadelphenses, qui hæcenus subditi fuerant Aretæ Nabateorum Arabum regi, a Pompejo eodem anno per Cœlem Syriam legiones contra eundem regem ducente, Romanorum imperio additi, novam ab eo quoque anno urbis suæ Epocham instituerunt. Appianus circa finem lib. de bellis Mithridaticis scribit in triumpho Pompeji circumlatam tabulam inscriptam: *Naves rostrata DCCC capte sunt. Urbes condita VIII in Cappadocia. in Cilicia ac Cœle Syria XX in Palestina Seleucis.* Addebantur reges ab eodem victi, & eos inter *Areta Nabataus* legebatur. At ne utiquam tot oppida illis in regionibus Pompejus condidit, sed quod urbes in Cappadocia a Mithridate devastatas, ac plures in Cilicia oppida insigniora a piratis diruta, novis in eadem colonis missis, restauravit, illamet condidisse dictus est. Cum enim viginti millia prædonum cepisset, eosdem procul a mari loca Ciliciæ habitare iussit, eisdem urbes inquilinis indigentes, una cum agris concedens.

Rr

Ita

Ita Mallum, Adana, Epiphaniam, ac Solosa Tigrane antea ever-
sam urbem, novis colonis Pompeji iussu frequentari coepisse te-
statur Appianus in libro laudato. Regno Seleucidarum nutius
Antiochi Grypi ejusque fratris Cyziceni, ac filiorum postea dis-
cordiis debilitato, Arabes ac Judæi Coele Syria occupata, ejus-
dem provinciæ urbes Gadara, Pellam, Hippum, aliasque truci-
datis, aut ejectis civibus, devastaverant, ut hoc in opere non se-
mel ex Josepho mihi demonstratur. Arabes etiam Damasco,
Philadelphia, aliisque oppidis occupatis, barbarum in iisdem
imperium exercentes, cives variis calamitatibus afflixerant. Qua-
re cum easdem Coele Syriae urbes Judæis atque Arabibus ereptas
Pompejus sub imperio Romanæ Reipublicæ suis uti legibus per-
misisset, veluti iterum ab eodem conditæ videbantur. Cum
Cicero, ut alias prænotavi, Ciliciæ Proconsul urbes autonomia
donasset, de iisdem in prioribus lib. VI ad Atticum epistola scribit:
Omnes suis legibus & judiciis usæ, autonomiam adeptæ, revixerunt.
Ita cum maxima civium pars Pompeji beneficio urbes patrias,
quæ sango antea tempore deserta dicuntur Josepho lib. 14 cap. 10,
repetens ab eodem autonomiam obtinuisset, iisdem sese revixis-
se, suasque urbes iterum a Pompejo conditas contestabantur;
unde ac si tum primum esse coepissent, earundem tempora ab
anno factæ per Pompejum restorationis numeranda censue-
runt; quod quidem Gadara, Dora, Gazam, Raphiam fecisse
ex eorundem nummis intelligimus. Usserius tom. 2 Ann. ad
annum ante Aetam Christi 63 pag. 264 scribit: *Seleucis in Palesti-
na a Pompejo condita est*; ac testem Appianum appellat, qui in lau-
data tabula triumphali ita scriptum memorat. Verum neque
hanc Seleuciam Pompejus condidit, sed tantum revocatis ac exi-
lio civibus, eisque permessa autonomia, restauravit. Sira erat
ultra Jordanem in Gaulanitide regione ad lacum Semachonitem,
ex Josepho initio l. 4 de bello, quam olim Alexander Jannæus cum
Sogane & Gamala Syris eripuerat, ex eodem lib. 13. Antiq. cap. 25.
Porro inter eas Syriae Coele civitates, quæ in triumphali pompa
a Pompejo conditæ legebantur, Philadelphiam fuisse ejusdem
Epocha manifestat; illam enim cives ab eo anno Urbis Romæ 691
de-

deducendam decrevere, quo a victore Pompejo ab Arabum servitute liberati, autonomiam acceperunt. Duos hic nummos eosque rarissimos produco, quorum ad me ectypa elegantissime delineata insignis doctrinæ parisque humanitatis vir, Andreas Morellius, transmisit.



Prior nummus servatur in Museo Illustrissimi ac Excellentissimi D. Colberti Marchionis de Seignelay, potentissimo Galliarum Regi a consiliis ac secretioribus mandatis. Antica ejusdem nummi epigraphe est: *αὐτοκράτωρ ΤΙΤΟΣ*: *Imperator Titus*, & in postica cum capite Herculis laureato, ut in Gadarensium nummo Mediceo superius exposito: *ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. Λ. ΓΜΡ. Philadelphensium. Anno CXLIII.* Cum ex Josepho Aretas Arabum Nabatarum rex A. V. Romæ 690 Philadelphiam secesserit, M. Æmilio Scauro Damascus se conferente, nondum eo anno Philadelphenses autonomiam acceperant, sed Arabum dominio premebantur. Quare anno proximo 691 eodemque altero Olympiadis CLXXIX Romanorum imperio adjecti, libertatē a Pompejo donati sunt, ut suis legibus uterentur; ac proinde recte in laudato Chronico Alexandrino Philadelphensium in Cœle Syria Epochæ initium eodem anno recitatur. At annus ab eodem 143

Rr 2

cœpit

coepit per autumnum A.V. 833, Christi 80, qui erat secundus principatus Imperatoris Titi Augusti. Cujusnam vero caput intra effigiem Titi scalptum sit, haud ita facile possum divinare. Puto tamen vel patris Vespasiani esse jam in superos a Tito relati; vel cujusdam alterius Numinis, quod Philadelphiz prae ceteris colebatur.

Alter nummus visitur in Cimeliis regiis, in cujus anteriori parte ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC *Domitianus* legitur, deleto ejusdem titulo. In posteriori ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ: *Philadelphensium* nomen apparet. At duæ priores literæ numerales detritæ sunt, sola p apparente, ut qui nummum videre, mihi per literas significarunt. Illas tamen L. ΓMP. ut in typo suppletas accepi, excudendas curavi, quas pariter in eodem nummo ex indice notavit V. C. Harduinus pag. 526, ubi recte initium Æræ Philadelphensium accersit ab anno, quo Cicero, inquit, *gessit consulatum*, quem vocat *Vrbis Rome* DCLXXX, additque eo in nummo *signari annum Domitiani primum, Vrbis Rome* DCCCXXXIII. Hinc annum 143 in Domitiani nummo obsignatum vocat Vrbis Capitolinum 833. At hoc anno, ineunte Octobri, definebat annus Philadelphensium 143. Titus vero immaturo fato decesserat die 13 Septembris, ut parum probabile videatur, Philadelphenses, qui propius Arabiam tam procul Roma distabant, intra septendecim dies nuntium mortis Titi, ac initia Domitiano imperii accepisse, & altera statim die, qua ipsorum annus 143 claudebatur, nuntius novi Imperatoris imagine obsignatos scalpsisse. Eadem difficultas apparet in Epocha etiam Varroniana, siquidem si Epocha Philadelphensium incepit initio Octobris, seu Macedonum Hyperboreæ, A. V. 691, annus ejusdem Æræ 143 exiit A. V. 834 pridie Kal. Octobris, sive postrema die Macedonici Gorpizi, quæ erat decima nona primum initia Domitiano imperii. Cum in nummo Titi laudato palam notetur Epocha Philadelphensium ΓMP, videlicet annus CXLIII, & in altero Domitiani detritis duabus literis, P nota centesimi tantum appareat, prior fortasse litera numeralis ne utiquam est Γ, sed Δ aut alia sequens numeralis, qua quispiam annus post centesimum quadragimum tertium indicatur.

catur. Si tamen ea prior nota numeralis literæ r vestigium ut-
cunque præferre videatur, idem nummus Domitianum Cæsarem
tantum; nondum vero Imperatorem Augustum designat, ita ut
titulus erasus suppleatur: DOMITIANOC KAICAP: *Domitia-
nus Cæsar.* Quamvis vero qui Cæsares tantum erant, sine laurea
in nummis ut plurimum inspiciantur, quod numismata M. Aure-
lii, ac ejusdem filii Commodi, cum Cæsarea tantum dignitate ac
titulo ornabantur, ostendunt; Domitianus tamen adhuc Cæsar
in nummis laureatâ capite sculptus passim visitur, quod initio
statim imperii Vespasiani patris, cum hic nondum ex Syria novus
Imperator in Urbem venisset, expeditionem in Germaniam ac
Galliam suscepit, uti scribunt Tacitus lib. 4 Hist. Suetonius cap. 2
de vita ejusdem, ac Josephus lib. 7 de bell. Judaicâ capite 23, ubi
narrata Civilis ac Classici rebellionem, quam in Germania ac prô-
ximiori Gallia conflaverant, ait: *Nam ut primum defectionis ve-*
rum nuntius allatus est Romam, Domitianus Cæsar hoc audito, non
fuit alter in illa ætate fecisset; nam admodum adolescens (unde vi-
cesimum ætatis annum agebat) tantam rei magnitudinem suscipere
non deerebat, sed a patre habens ingentem fortitudinem, & su-
pra ætatem exercitatus, illico tendebat in barbaros: Illi autem exp-
ditionis fama perculsi, ei se submiserunt. Quamvis, ut tradit Ta-
citus in fine libri 4 laudati, Domitianus, moriente Muciano, ne-
adversus rebelles confecto jam prope a Petilio Cereali bello, a-
lienæ gloriæ intervenire, Lugdunum subliteret. Et sane Germa-
ni permixtique eisdem Galli, advenientis enim majoribus copiis
Domitiani Cæsaris fama perculsi, facilius ad obsequium abjectis
armis, rediere. Hinc Domitianus licet tantum Cæsar cum lau-
rea in nummis sculptus est. Imo quod illam de Germanis victo-
riam suis auspiciis reportatam factabat, in eo statim imperio, ti-
tulum *Germanici* assumpsit. Extant nummi inscripti: IMP.
CAES. DOMITIANVS AVG. GERM. P. M. & in postica:
TR. P. COS. VII. qui percussi sunt intra primum quadrime-
stre initi ab eodem post Tiri mortem imperii; siquidem Kalendis
proximis Januariis Consul VIII. processit. Postea vero ob bella
Germanica, quæ Imperator Augustus gessit, per antonomasiam.

adulatione Senatus, *Germanicus* dictus est. Hæc omnia egregie prodit Martialis lib. 2 epigr. 2:

Creda dedit magnum, majus dedit Africa nomen,

Scipio quod victor, quodve Metellus habet.

Nobilis domo tribuit Germania Rhenos;

Et PVER hoc dignus NOMINE, Caesar, erat.

§. III.

EPOCHA CHALCIDIS.

Chalcis a Seleuco condita, Seleucidis, dein Arabum Philarchis paruit. Postea Regum sedes evasit, quorum nonnulli laudantur. Ab Imperatore Domitiano Romano imperio adjecta, Flavium cognomen accepit. Ejusdem Epochæ capit. A. V. Rome DCCCXLV.

Inter urbes a Seleuco Nicator in Syria conditas, ac nominibus civitatum Macedoniæ aut Græciæ ab eodem insignitas, Chalcis Appiano in Syriacis numeratur. Chalcis erat antiqua, urbs in Eubœa, ex qua hæc altera in Syria nomen tulit. Stephanus tamen, nescio quo Auctore, tradit conditam Chalcidem Syriæ a Monico Arabe. Plinius lib. 5 cap. 23 scribit Syriam continere *Chalcidem cognominatam ad Belum, unde regio Chalcidene, fertilissima Syria.* Eunapius in vita Jamblichi ait: *Patria illi Chalcis Syria, quam Cælen nominant, civitas.* Macedonibus in Syria regnantibus, Chalcis Seleucidis paruit usque ad fatales eorundem regno discordias, quas Antiochi Grypus ac Cyzicenus, uterini fratres, eorumque filii secum invicem exercuerunt. Tunc enim, ut sæpius mihi narratum est, invalidis regum viribus, partem Syriaci regni Arabes & Judæi occuparunt, partem plures tyranni in diversas Dynastias distraxerunt. Nam Zoilus Stratonis Turrem, quæ postea Cæsareæ nomen habuit, ac Dora invasit. Dionysius quidam Tripolim sibi subdidit, Strato Beroëzam occupavit; ab hac vero M. P. XVIII distantem Chalcidem, Ptolemæus Mennæi filius suam in potestatem redegit; cum interim Tigranes rex Armeniæ ab ipsis Syris accitus, superiorem Syriam Seleucidis eripuisset. Horum auctores veniunt Strabo lib. 16 ac Josephus lib. 13 ac 14. Hic autem lib. 13 cap. 23, narrata cæde Antiochi

chi

chi Dionysi filii Antiochi Grypi, ait: *Cæles Syria regnum Aretas, rex Arabum, adipiscitur, vocatus ad imperium a Damascenis propter odium, quo persequerantur Ptolemaum Mennæum.* Usserius hæc recitat anno ante Æram Christi 85, qui fuit urbis Romæ 669. Hic Mennæus a Seleucidis rebellans, primus apud Chalcidem sibi dynastiam usurpavit, quæ postea in regnum evasit. Mortuo Alexandro Jannæo A. V. Romæ 677, Alexandra ejusdem uxor Judæorum regnum administrandum suscepit. Hæc *filium Aristobulum*, inquit laudatus Josephus cap. 24, *cum exercitu missus versus Damascum contra Ptolemaum Mennæum, qui gravis erat urbi vicinus.* Incompertum est, quonam anno Mennæus Dynasta Chalcidis e vita decesserit. Ejusdem filium Ptolemæum paterni principatus successorem Strabo Geographus, & Josephus nominant. Et quidem Strabo lib. 16 pag. 519 ait: *Prope erat Heliopolis & Chalcis sub Ptolemao Mennæi filio posita, qui Marisyam & Ituraeorum montes obtinebat.* Polybio lib. 5 Marisyas dicitur convallis, quæ inter Libani & Antilibani radices sita, in angustum spatium ab eisdem montibus cogitur. Strabo vero eodem lib. 16 ait: *Post Macram est Marisyas habens montana quedam, in quibus est Chalcis, tanquam Marisyæ arx.* Itaque hæc erat ditio regulorum Chalcidis. Cum A. V. 691 Pompejus iterum in Syriam venisset, ac provinciam cum exercitu perlustraret, Ptolemæi Mennæi filii ditionem ingressus, mille ab eodem talentis acceptis, quæ in militum stipendia erogavit, paternum eidem principatum ratum habuit, auctore Josepho lib. 14, cap. 5. Cum initio belli civilis Scipio a genere Pompejo cum imperio A. V. 705 in Syriam missus, Alexandrum Aristobuli Judæorum Ethnarchæ filium securi percussisset, hujus fratres apud se, inquit Josephus cap. 13, *recipit Ptolemaus Mennæi filius Dynasta Chalcidis quæ in monte Libano sita est*, nempe Græce: *Χαλκίδος τῆς ἐπὶ τῷ Λιβάνῳ ὄρει.* At minus recte Chalcis intra Libani iuga collocatur, a quo procul illa aberat. Plinius lib. 5 cap. 20 de Libano scribit: *a tergo Sidonis ortus, mille quingentis stadiis Symiramusque porrigitur.* Chalcis autem supra Symiram uno gradu Ptolemæo describitur. Idem vero Plinius cap. 23 laudat *Chalcidem cognominatam ad Balum*, ubi & Se-

Seleuciam *ad Belum* itidem nominat, quæ posteriori ævo Seleucobelus in Notitiis Ecclesiasticis appellata fuit, in quibus utraque urbs in Syria superiori sive prima reponitur. Sanctus Epiphanius ad Hærelim LXX Audianorum, scribit ejus hæreseos sectam immixturam fuisse in parvibus *Χαλκίδος τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν*: *Chalcidis prope Antiochiam*. Verum Chalcidem duorum dierum itinere Antiochia distasse, colligo ex Procopio, qui lib. 2 de bello Persico ait Berœzam unius diei iter homini expedito Antiochia distasse; Chalcis vero ex Itinerario Antonini erat infra Berœzam versus Cœlen Syriam M. P. XVIII. Evagrius lib. 6 cap. 7 narrat Philippicum jussu Mauricii Imperatoris ad militarem seditionem componendam missum, circa Berœzam ac Chalcidem subfuisse. Hinc Josephus Chalcidem Antiochia remotiorem, Epiphanius vero propinquiorem facere videntur; neque enim duas ejus nominis urbes, unam ad Libanum, alteram prope Antiochiam, sine ullis veterum Scriptorum testimoniis possumus comminisci. Itaque Chalcis urbs superioris Syriæ fuisse videtur. Verum re postea diligentius considerata, duas in Syria Chalcides deprehendi. Priorem Plinius *cognominatam ad Belum* scribit; posteriorem Chalcidem *prope Libanum* Josephus appellat. Et sane cum Strabo pag. antecedente 271 a me laudatus scribat: *Ποστὴν Μακράν ἐστὶ Μαρσύας ἔχουσαν ὄρειαν ἑκάστην, ἐν αὐτῇ ἐστὶν ἡ Χαλκίς, ὡς ἀρὰ Μαρσύας*; ac Marsyas Polybio ibidem appellato describatur vallis Libanum inter & Antilibanum, Chalcis, quæ ejusdem vallis arx appellatur, diversa plane fuit a Chalcide, quæ in superiori Syria procul a Libano, in Antonini Itinerario M. P. XVIII. Berœza distans describitur. Hoc ipsum locupletissimo Josephi testimonio comprobatur. Nam lib. 14 Antiq. cap. 5 describens iter Pompeji ex superiori Syria Damascus, ait: *Ἐκ τῆς Δαμασκού διὰ τῆς Ἡλιούπολιν, καὶ τῆς Χαλκίδος, ὑπερβαίνουσα τὸν ὄρειον ὄρειον, ἐν τῇ Κόλῃ τῆς Συρίας ἐρχομένη, ἐπὶ τῇ Πέλλῃ τῆς Δαμασκού ἐπαύσατο*. Antonino, uti dixi, Berœza Chalcidem numerantur M. P. XVIII, Chalcide vero Emesam M. P. XCI. Rursus Emesa Heliopolim computantur M. P. LXXXII, ita ut Chalcis, quæ erat prope Berœzam, distaret ab Heliopoli M. P. CLXXIII. Quare cum, teste Josepho, Pompejus

petus per urbes Heliopolim, proximamque Chalcidem, Damas-
cum adveniret, palam est hanc alteram Chalcidem longius dista-
re ab alia, quæ in superiori Syria erat prope Beroëam. Equi-
dem Strabo, quem eadem pag. 171 laudavi, scribit: *Prope erat
Heliopolis & Chalcis sub Ptolemæo Metuæ filia posita, qui Marfyam
& Ituræorum montes obrinebat;* ubi neutiquam Chalcidem indi-
cat, quæ Heliopoli M. P. CLXXIII distabat, quo medio regionis
spacio erant insignes civitates Syriæ Larissa, Epiphania, Emesa,
aliæque, quæ plane erant extra fines dynastiæ Ptolemæi angustio-
ris ditionis Phylarchi. Cum Cæcilius Bassus A. V. Romæ 710 a
legatis Cæsaris jussu, antequam occideretur, in Syriam profectis,
intra Apamiam obsideretur, a Ptolemæo Dynasta Chalcidis sup-
petiæ subinde illi adveniebant, teste Strabone lib. 16. Hic vero
Ptolemæus obiit anno, quo Pacorus regis Parthorum filius Syriam
occupavit, nempe urbis Romæ 714, cui filius Lyfanius successit, ex
Josepho lib. 14 Antiq. cap. 23, qui lib. 15 cap. 4 narrat Lyfaniæ po-
stea jussu M. Antonii Triumviri interemptum fuisse, insidias ei-
dem falsis delationibus fruente Cleopatra, ut ditionem Chalci-
dicam donatis sibi ab Antonio Cœles Syriæ ac Phœnices provin-
ciis adjungeret. Dio lib. 49 scribit traditas Cleopatram Nabatæam,
& Iturææ partes; Lyfaniæ enim, inquit, *quem regem eorum fecer-
at, insinulatum, quod studeret Pacoro, necaverat.* Verum Pacorus
dudum a Ventidio victus, & occisus fuerat. Josephus recte scri-
bit Lyfaniæ insinulatum, quod rebus Parthicis studeret. Ille
verò A. V. 718 necatus fuit, cum Antonius per Armeniam in Parthos
expeditionem adornaret, ut ex laudato Josepho colligitur. Inde
Chalcidentis ditio Cleopatraz, ac ejus postea pars regi Herodi,
ejusque filio Philippo, ac partim alteri Lyfaniæ circa Abilam pa-
ruit. Rursus Josephus lib. 19 cap. 4 scribit Agrippam a novo Im-
peratore Claudio a vi Herodis regno recepto, filiam Berenicem
Herodi fratri suo desponsasse, *imperator illi regno Chalcidis a Clau-
dio.* Obit verò rex Chalcidis anno octavo Claudii V. C. 801, ei-
que ab Imperatore in regnum successus fuit junior Agrippa, A-
grippæ regis Judæorum filius, ex eodem Josepho lib. 20 cap. 3 &
lib. 2 belli cap. XI, ubi ait: *Post obitum autem Herodis, qui regnavit*

in Chalcide, Claudius Agrippam filium Agrippæ in patri sui regno constituit; a quo postea anno quarto in majus regnum translatus fuit, ex eodem ibidem. Postremum regem Chalcidis nobis indicat idem Josephus lib. 7 belli cap. 27 scribens Cæsennio Peto Syriæ præfidi anno IV imperii Vespasiani, exercitum contra Antiochum regem Commagenorum ducenti, cum auxiliariis copiis adfuisse *reges Chalcidicæ Aristobulum, Emesæque Sobemum*. Hactenus de Dynastis ac regibus Chalcidis; quæ præmittenda duxi, ut Epocha Chalcidensium nulli hucusque notata, sed mihi in nummis observata, facilius exponeretur. En nummos.



Uterque nummus est in Cimeliis Regis Christianissimi; quorum alter Hadriani in Gaza pariter Medicæa visitur. In primo Trajani Latine redditur epigraphie: *Imperator Nerva Trajanus Optimus Cæsar Augustus, Germanicus, Dacicus, Parthicus*. In altero autem Hadriani: *Imperator Cæsar Trajanus Hadrianus*. Eadem in aversa utriusque nummi parte Inscriptio est: ΦΛΑΔ ΚΙΔΕΩΝ Κ Ε. *Flavorum Chalcidensium. Anno XXV*. Cum neuter Imperator annos XXV imperaverit, illo annorum numero Epocha urbis Chalcidis indicatur, quæ iniit anno Urbis Romæ 845, Imperatore Domitiano Aug. XVI & Q. Volusio Saturnino Coss. *Æræ Christianæ 92*. Prænomen collegæ Domitiani in Fastis erratum, ex vetusta Inscriptioe Gruteri pag. 300 corrigitur. Ibi autem eo collegio Consulum signatur annus Urbis 844, quia ante diem 21 Aprilis cooptatio illic memorata contigit. Enim vero si ab eodem anno Urbis 845, numeres annos insuper XXV, devenies ad A. V. 870, quo labente, Trajanus mense Augusto obiit, eidem suc-

succedente die XI ejusdem mensis Hadriano. Quare prior num-
 mus sculptus est anno ultimo imperii Trajani; alter sub initium
 imperii Hadriani. Hæc autem Epochæ Chalcidensium prodit
 annum, quo Regum dominio apud eandem desinente, Romano
 imperio Chalcis addita fuit. Nam cum ex superius narratis, sub
 variis Dynastis ac Regibus ditio Chalcidensis fuerit a Ptolemæo
 Mennæiusque ad Aristobulum, qui anno quarto imperii Vespä-
 siani apud Chalcidem, teste laudato Josepho, regnabat, nec re-
 gnum Chalcidense idem Vespasianus in provinciæ formam rede-
 gerit; siquidem Suetonius cap. 8 scribit ab illo *Thraciam, Cilici-
 am, & Commagenem*, sive ut ait Eutropius, *Thraciam, Ciliciam,
 Tracheam, Commagenem* in provincias redactas, consequens fit, ut
 regnum Chalcidense, Domitiano Vespasiani filio imperante, Ro-
 mano imperio accesserit; quod plane ostendit *Flavium* cogno-
 men a Chalcidensibus urbi ipsorum superadditum; eo enim sub
 gentis Flavix Augusto Chalcis a regum dominio ad Romanorum
 Caesarum imperium translata monstratur. Quidam vir insi-
 gnis putabat illas literas KE in delineatis Chalcidensium nummis
 exponendas esse: *Κοινὸν ἐπαρχίας*: *Commune provincia*, ut in
 nummis legitur: *Κοινὸν Συρίας, Κυπρίων, Κρήνων*: *Commune Syriae,
 Cypriorum, Cretensium &c.* Verum illas literas KE esse ibidem
 notas numerales, produnt transversarix lineolæ supra easdem
 positæ, quæ, ut omnes norunt, indicant subjectas literas esse nu-
 merales, quod innumeris tum lapidum tum etiam nummorum
 inscriptionibus probatur. Itaque in memoratis nummis literæ
 ΚΒ cum lineolis suprapositis annum XXV Chalcidensium de-
 signant. Vidi in scrinio viri spectatissimi Apollonii Bassetti Ma-
 gno Etruriæ Duci a secretis, Hadriani nummum, in cujus postica
 intra lauream legitur: ΦΑΧΑΛΚΙΔΕΩΝ, & subteus Δ. *Flaviorum
 Chalcidensium. Anno IV*, videlicet imperii Hadriani. Quare in
 laudato superius ejusdem Principis nummo literæ KE epocham
 Chalcidis indicant, cum ille exeunte anno XXI imperii, fatis con-
 cesserit. Extat in Gaza Medicea L. Veri nummus, cui geminum,
 nuper Aleppo allatum, mihi ostendit Serenissimus Magnus Dux
 Etruriæ, in quorum priorî parte legitur: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΑΥΡΗ-

ΑΙΟΝ ΟΥΡΩΝ: *Imperatorem Caesarem Aurelium Verum.* In aversa parte visitur vir capite radiato, dextram palmæ telluri infixum, sinistra clypeum & hastam tenens, cum epigrapha dextro-
sus: ΦΑΧΑΑΚΙΔΕΩΝ, *Flavio- rum Chalcidensium.* At sinistro-
sus inscriptio in utroque nummo detrita est, quæ fortassis Epo-
cham indicabat. In Cimeliis insignis viri Francisci Dron Parisiis
servatur nummus satis detritus, in cuius tamē anteriori parte si-
ne literis caput Commodi apparet, & in aversa intra lauream le-
gitur: ΦΑΧΑΑΚΙΔΕΩΝ; & subtus litera q, *Flavio- rum Chalcidensium.* Anno XC. Cum Epochā Chalcidis in Coele Syria inie-
rit A. V. Romæ 845, annus abhinc ejusdem XC concurret cum A.
V. 935, qui fuit tertius imperii Commodi a morte patris M. Aurē-
lii. Quod vero Nicolaus Tomardus mihi per literas significavit,
notam numeralem q̄ eo in nummo obrosam esse, ac fortassis ali-
am ibidem detritam fuisse, hoc facile intelligetur ex situ literæ q;
quæ si non in media area nummī scalpta appareat, aliam additam
habuit, qua ibidem Epochā Chalcidis ultra A. V. Romæ 935 pro-
trahebatur. Stephano gentile Chalcidis in Syria dicitur *Χαλκιδεύς*;
Chalcidis vero in Eubœa *Χαλκιδεύς*. Verum nummi se-
cus docent; ac Theodoretus insignis scriptor ac apud Cyrrhum
in Syria urbem, M. P. LX a Chalcide distantem, Episcopus lib. 4
Hist. Eccles. cap. 26 Græcæ edit. laudat Monachos Syriæ degentes
ἐν τῇ Χαλκιδέῳ ἐρημῳ, in Chalcidensium eremo. Et sane cum
Chalcis in Syria, ut initio præfatur, ab altera Eubœæ nomen acce-
perit, utriusque idem gentile fuisse dicendum est. Idem Step-
hanus in Urbibus Gangra ac Philadelphia advertit gentilia nomina
aliter juxta Grammaticorum regulas, aliter vero juxta locorum
consuetudinem præformari. Sed in nummis legitur ΕΑΒΣΣΕ-
ΩΝ & ΕΑΒΣΣΗΝΩΝ, ut etiā juxta loci consuetudinem pro li-
bito ea nomina scripta ac scalpta appareant. Ita etiam in Latinis
prioris ætatis scriptoribus legimus *Antiochenſes*, qui posteriori æ-
tate in Imperatorum præsertim constitutionibus *Antiocheni* nun-
cupati sunt. Plura de his eruditè colligit Spanhemius Dissert. IX
a pag. 910.

S. IV.

EPOCHA CAPITOLIADOS.


Urbes Judæorum sub Caesaribus nova passim nomina receperunt. Situs Capitoliados, & quidam ejusdem Episcopi. Nummus ejusdem Urbis exponitur. Capitolias & Aelia Capitolina diversa in Syria civitates. Colonia Romanis: Municipia vero suismet legibus vivebant. Ex laudato Nummo insignium Scriptorum errores emendati. Initium Epocha Capitoliados in medio relinquitur.

Hujus Urbis omnium primus meminisse videtur Ptolemæus, cui lib. 5 Geograph. cap. 15 inter oppida Syriæ Cœles recensetur *καπιωλίαις*, *Capitolias*, quam nec Plinius nec Josephus uspiam nominarunt. Cum Vespasianus, ac dein Trajanus, ejusque successor Hadrianus Judæorum gentem subinde rebellantem maximis cladibus contudissent, ac Syros una cum Deorum cultu in illorum urbes induxissent, nova passim nomina iisdem urbibus imposita fuere, ut nulla deinceps rebellium memoria esset reliqua. Ita in proximo Hierosolymis solo urbs nova condita, de nomine Ælii Hadriani ac Romani Capitolii *Aelia Capitolina* nomen retulit. Emaus in Nicopolim, Lidda in Diospolim, Hebron in Eleutheropolim, Sepphoris in Diocæsaream, transferunt. Vetustum Capitoliados in Decapolitana Syriæ Cœles regione nomen hætenus mihi incompertum est. Ejusdem tamen situm prodit Antoninus in Itinerario, ubi a Seriane Scythopolim iter describit.

<i>Abilam</i>	M. P. XXXVI.
<i>Damascum</i>	M. P. XVIII.
<i>Aere</i>	M. P. XXXII.
<i>Neve</i>	M. P. XXX.
<i>Capitoliada</i>	M. P. XXXVI.
<i>Gadara</i>	M. P. XVI.
<i>Scythopolim</i>	M. P. XVI.

Iraque Capitolias erat proxima Gadaris in itinere versus Scythopolim in ea parte Syriæ Cœles, quæ postea sub Christianis Imperatoribus Palaestina secunda dicta fuit. In Act. IV Synodi Cal-

chedonenſis inter quindecim Epiſcopos Palæſtinos recitatur Anianus Epiſcopus καπετωλιαδῶν Παλαιστίνης ἐπίσκοπος: *Capitoliodos Palaestina ſecunda*. In Synodo Hieroſolymitana anno Chriſti 518 ſub Joanne Patriarcha nominatur Baſſus Epiſcopus καπετωλιαδῶν, *Capitoliodos*; & legitur in Synodo C-P. ſub Menna Aſt. V, & in altero Concilio Hieroſolymitano ſub Petro Patriarcha anno Chriſti 536 nominatur Theodoſius Epiſcopus καπετωλιῶν, *Capitolii*, ubi καπετωλιαδῶν *Capitoliodos* legendum eſt. Theodoſius etiam Abbas, qui fuit Epiſcopus *Capitoliadis*, laudatur a Joanne Moſcho in Prato ſpirit. cap. 109. Extat in locupletiffimis Cimeliis Reginarum Maximæ CHRISTINAE, Imperatoris Septimii Severi nummus, cujus iconem hic appendo, quam tamen ipſo nummo grandioſorem ſculptor formavit.



In antica parte nomine ac titulis detritis, *Severus* penes cognomen legitur. Poſticæ vero partis epigraphen eruditiffimus Holſtenius pag. 159 Notar. in Stephanum legens: ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡΑ C. ΑΤ. interpretatur: *Capitoliadis ſacra & libera*. Addit cives *Capitolienſes* appellari *L. ult. D. de cenſibus*; eandemque urbem designari in nummis Latine inſcriptis: COL. AEL. KAPI. ſive: COL. AEL. CAP. COMM. nempe: *Colonia Aelia Capitolina*, & in aliis etiam COMMODIANA. At vir Clariffimus Harduinus pag. 562 appellati paſſim mihi voluminis, ejuſdem nummi inſcriptionem integram legit; καπετωλιας ιερᾶς, ἀσύλῃς, αὐτονόμου: nempe inquit, *Capitolia ſacra, inviolata, ſuis utentis legibus*. Porro
ait

ait se mirari huncce nummum ac alios Latinos inscriptos: COL. AEL. CAP. ab Holsternio *adignobile Syria Cœles oppidulum* Capitoliadem revocari, *cum ad Hierosolyma spectare palam sit*, quam urbem ab Imperatore Tito Casare dirutam, Hadrianus denuo excitans, de suo Romanique Capitoli nomine *Aeliam Capitolinam* nuncupavit; quo etiam referendos tradit Capitolienses *sic. 15 de Censibus* memoratos. Equidem recte Harduinus eos nummos Latine inscriptos, non ad Capitoliadem in Syria Cœle, sed ad novam prope ruinas Hierosolymorum ab Hadriano extructam urbem revocat. Dio enim apud Xiphilinum de eodem Principe scribit: *Cum autem in urbem Hierosolyma, qua eversa fuerat, quamque AELIAM CAPITOLINAM appellavit, coloniam deduxisset &c.* Ptolemæo quoque l. 5. cap. 15. in Cœle Syria *Capitolias*; in Palæstina vero *Hierosolyma, qua dicuntur Aelia Capitolia*, recitantur. At fallitur idem Harduinus, dum Græcum etiam numisma mihi delineatum, ad Aeliam Capitolinam refert, cum dubio procul spectet ad Capitoliadem in Syria Cœle. Illius epigraphæ est: ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡ. ΑC. ΑΥ. *Capitolienſium urbis sacra, Aſyli, ſuis legibus viventiſ.* Is poſtremus titulus αὐτονομία, quem ſuæ patriæ deferunt Capitolienses, eandem a colonia Aelia Capitolina diſtinguit. Nam coloniæ a Romanis deductæ non vivebant ſuis legibus, ſed Romanis; ac proinde nulla colonia erat αὐτονομος. Id & antiquitus in uſu fuiſſe, cumque morem Hadriani etiam ætate ſervatum prodiſſet idemmet Imperator in oratione, quam laudat Gellius lib. 16. cap. 13, in qua ait ſe mirari, *quod & ipſi Italiciſes* erat Italica municipium Hiſpaniæ Beticæ, unde Hadrianus oriundus) *& quadam item alia municipia antiqua, in quibus Utiſenſes nominat, cum ſUIS moribus, LEGIBUSQUE uti poſſent, in juſ coloniærum mutare geſſiſſent.* Hinc leges, quibus urbes peculiariter reguntur, vulgo *municipales* appellantur. Cum ergo in laudato nummo Capitolias ΑΤΤΟΝΟΜΟC inſcribatur, nequit dici eadem cum colonia Aelia Capitolina, quæ non ſuis, ſed Romanis legibus vivebat. Hinc patet alter error ejusdem Harduini pag. 13, ubi laudat nummum inſcriptum; AEL. MUN. COMM. *Aelium Municipium Commodianum*, quem eidem Aeliæ Capitolinæ adſcri-

adscribit. Scio quasdam colonias in municipia postea mutatas. Cicero in Philippica XIII commendat *lautissimum oppidum hunc municipium honestissimorum quondam colonorum Sueffam*; quam urbem Romani L. Papirio Cursore & C. Junio Bubulco Coss. A. V. Romæ CDXLI coloniam fecerant; quæ tamen ætate Ciceronis erat municipium. At Ælia Capitolina post imperiū Commodi colonia in nummis Elagabalii inscribitur; & in Synodo Hierosolymitana anno Christi 536 celebrata, initio statim legitur: *ἐν κολωνίᾳ Ἀλίας μετρώπολει τῇ καὶ Ἱεροσολύμοις*: *In colonia Ælia metropoli sive Hierosolymis*. Quare Ælia Capitolina ex colonia neutiquam in municipium mutata est. Adde falsam esse, laudati ab Harduino nummi epigraphem. Nam V. C. Vaillantius aliter productum Imperatoris Commodi nummum inscribi mihi indicavit; videlicet: AEL. MVN. COEL. cujusmodi Inscriptionem in aliis etiam nummis Caracallæ, Macrini, ac Trebbiani sculptam, idem Harduinus pag. 120 interpretatur: *Ælium Municipium Cælium*; addens a Plinio prope Brundisium *Cælium* oppidum nominari; quædere alii viderint.

Panyinius, quem, inquit Scaliger lib. 5 de emend. Temp. pag. 467, recte nostra ætas parentem historia vocare potuit, in lib. de Imperio Romano pag. 867 inter colonias Syriæ numerat Æliam Capitolinam ab Hadriano deductam, & hac priorem coloniam *Capitulum*, cujus auctorem Titum existimat, testem appellans Paulum I. C. qui in libro 50 Digest. L. 7 de censibus scribit, Vespasianum jus Coloniarum Cæsariensibus in Palæstina dedisse, non adjecto, *ut & juris Italici essent*. Et statim: *Similes eis Capitulienses esse videntur*. Vir eruditus idemque amicus meus putabat legendum apud Paulum *Capitolienses*, nempe cives Capitoliados in Syria Cœle. Ut tamen recte reponit Capitolienses, ita falso putantur designari cives Capitoliados; cum Æliæ Capitolinæ, quæ antea Hierusalem, incolæ exprimantur. Nam Ulpianus scriptor Paulo synchronus L. 1 tit. eodem de censibus ait: *In Palæstina duæ fuerunt colonia, Cæsariensis, & Ælia Capitolina*. Itaque Paulus una cum Cæsarea eandem coloniam Æliam Hadriani voce illa *Capitolienses* intelligit; alias colonias Palæstinæ recensens, Æliam omisisset.

fisset. Præterea idem Vlpianus apud Tyrum in Syria Phoenice natus, ibidem colonias Syriarum enumerans, nusquam Capitolienses in Syria Cœle recenset; sed tantum Cæsaream, Æliam Capitolinam, ac Sebastem in Syria Palæstina. Itaque erratum est Holstenio, dum nummos cum epigraphe: COL. AEL. CAP. ad Capitoliadem retulit, qui ad Æliam Capitolinam in Palæstina revocandi sunt. Illa enim urbs Cœles Syriæ in regio nummo appellatur *ἀντίοχη τῶν Σεβαστῶν*; quæ titulus, ut ostendi, coloniis non competebat, quippe quæ non propriis, sed Romanis legibus regebantur. In vetustis Inscriptionibus Gruteri pag. XLV, 13 legitur M. Aurelio Antonino Aug. III & Geta Cæsare II Coss. honesta missione missus

L. DOMITIVS. VALERIANVS

DOMO. KAPITOLIAD. STIP. XVIII.

In Grutero perperam legitur: CAPITOLIA. DE. STIP. ut recte observavit Holstenius. Erat ille miles natus in urbe Syriæ Cœles Capitoliadæ, ac post stipendia XVIII honestam missionem, id est, a militia vacationem obtinuerat. Ita passim in militaribus Inscriptionibus apud eundem Gruterum legimus: *Domo Arretio* pag. 520, 3, *Domo Brixia* pag. 534, 1, *Domo Philippis* pag. 546, 2, *Domo Antiochia Syriæ* pag. 567, 10 & alibi. Itaque *Domo Capitoliadæ* laudato loco reponendum est.

Ceterum in delineato regio numismate hinc inde supra Templum visuntur scalptæ literæ HP, quas Holstenius omisit, qui in aliis quoque aliarum Syriæ urbium nummis similes numerales notas, quibus Epochæ earundem designantur, neutiquam intellexit. Illæ autem literæ HP annum CVIII Capitoliados indicant, nempe ex quo ea urbs novum Capitoliados nomen, aut autonomiam consecuta est; quod imperante Domitiano contigit. Nam cum eo in nummo Severi obsignetur annus Epochæ Capitoliados CVIII, ac Severus imperium occupaverit A. V. Romæ 946, Christi 193, si retro annos 108 numeremus, erimus ad A. V. 838, Christi 85, ac quartum imperii Domitiani. Censorinus cap. 18 de die Natali scribit: *Rursus tamen annus idem magnus per Capitolinos agonas ceptus est diligentius servari: quorum agonum pri-*

T t

mus

*mus a Domitiano institutus fuit, duodecimo ejus & Ser. Cornelii Dolabella consulu: quo in Fastis signatur A. V. 839, Æræ Christianæ 86. Cum vero instituti eo anno agonis Capitolini, qui Græcorum Olympiadem præferebat, latius per Romanum Orbem fama publicaretur, suspicor urbis ignoti mihi antea nominis, cives tum primum alterum Capitoliadis nomen suæ ipsorum patriæ imposuisse, ut ea adulatione suum erga Domitianum obsequium demonstrarent, simulque cum novo patriæ nomine novam quoque Epocham induxisse. Fateor esse lubricam conjecturam; qua tamen admissa, Epochæ Capitoliadis iniiit ab autumno A. V. Romæ 839; illius vero annus CVIII exiit sub autumnum A. V. 947 eodemque secundo imperii Severi. Hæc tamen omnia turbare videtur nummus L. Veri Augusti, quem Eques Patinus pag. 126 indicis Thesauri Mauroceni recitat retrorsus inscriptum: ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ. ΣΚΥ. Ubi vir insignis ait: *Aperite fateor inscriptionem istam me latere: forte erit error in characteribus.* At nullus dubito, quin ille nummus spectet ad Capitolienſes in Cœle Syria, ita ut nullus character in ea voce Græca erroneus dici possit. In errore vero cubant notæ numerales ΣΚΥ, de quibus cum per literas consuluissem Nicolaum Bon, qui summa diligentia Maurocenæ Gazæ nummos in ordinem ac indicem digessit, respondit in antica parte ejus nummi legi: ΑΤΤ. ΚΑΙC.Α. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC: & in postica: ΚΑΠΙΤΩΛΙΕΩΝ. ΖΚΥ. *Capitolienſium. Anno CCCCXXVII*, cum Ifide in templo tetraſtylo; cum in delineato ex Cimeliis Auguſtæ Suecorum Regina, Juppiter ſedens dextra malum Punicum, ſiniſtra haſtam tenens intra templum appareat. At Epochæ annorum 427 non convenit cum altera proxime expoſita. Cum enim L. Verus imperium acceperit A. V. 914 idemque obierit anno principatus nono, Capitolienſium Epochæ initium cepiſſet intra A. V. Romæ 487 ac annum 495, cum Ptolemæus Philadelphus regnaret in Syria Cœle, quam Antiochus Magnus A. V. 556 Seleucidarum regno adjecit, ex Livio lib. 33, Joſepho lib. 12 cap. 3 ac Polybio lib. 5. Cum ob ſeveriorem Mauroceni Cimeliarchii cuſtodiam, exactiorem ejus nummi notitiam in præſentia non poſſim habere, & aliunde Epochæ Capitolienſium in*

in Inclytæ Reginæ nummo longe recentior appareat, suspicio mihi est, eas literas apud Equitem Patinum ΣΚΥ variato ordine exaratas, cum in nummo forte ΚΣΥ, nempe *Κοίτης Συρίας Cæles Syria* sculptum sit. Cum hanc meam de inducta apud Capitoliadem Epochæ conjecturam edidissem, Nicolaus Toinardus datis ad me literis monuit, extare Parisiis in Museo Droniano nummum Antonini Caracallæ antèrius inscriptum.. Τ. ΑΤΡ. ΑΝΤΩΝ... *Imperator Aurelius Antoninus*, cum juvenili capite ejusdem laureato. Retrorsus vero intra templum tétrastylum visitur Astarte, dextera hastam oblongam stringens, cum cornu copiæ in sinistra, uti passim sculpta apparet in nummis coloniarum Syriae apud Cl. Vaillantium. Epigraphe eadem omnino legitur ut in proxime producto pag. 277 Severi nummo : ΚΑΠΙΤΩ. ΙΕΡ. ΑC. ΑΤ. cum iisdem etiam supra templum notis numeralibus ΗΡ, *Capitolienſium urbis sacra, Aſyli, ſuis legibus utentis. Anno CVIII.* Cum in hoc nummo Antoninus Caracalla laureato capite appareat, constat eundem nummum non fuisse sculptum ante A. V. Romæ 951, Christi 198. Nam hoc primum anno Antoninus a patre Severo Tribuniciam potestatem cum Augusti titulo accepit, ut ex variis Inscriptionibus ostendo inferius. Jam vero si a memorato anno urbis Romæ 951 per annos retro 108 retrocedamus, erimus ad annum V. C. 843, Christi 90, Imp. Domitiano XV & Nerva Consulibus, ante quem Epochæ Capitoliadis nequit retrahi. Hinc fit, ut indicata de nuncupata Capitoliade ab institutis a Domitiano A. V. 839 Capitolinis ludis conjectura non modo lubrica sit, uti dixi, verum etiam falsa. Aliam institutæ apud Capitoliadem Epochæ rationem, eamque altius deductam, propono. Rex Agrippa junior ob egregiam bello Judaico navatam Romanis operam, insignes in Decapoli Syriae urbes a Vespasiano Augusto obtinuit. Nam Josephus lib. 3 belli cap. 2 scribit Galilæam ab Oriente claudi Hippo, Gadaris, & Gaulanitide, *qui, inquit, etiam regni Agrippæ fines sunt.* Idem in libro de vita sua ait Tiberiadem distare ab Hippo *triginta stadiis, sexaginta a Gadaris, a Scythopoli stadiis centum ac viginti, oppidis ditionis regiae;* non quidem cum hæc scribebat; tunc enim in provincia Syriae censebantur. Hinc puto eundem

dem regem a Romanis Capitoliadem quoque M. P. XVI Gadaris distantem dono accepisse. Extat in Cimeliis Regis Christianissimi rarissimus Agrippæ regis nummus, hinc signatus: IM. CA. D. VES. F. DOM. AV. GER. COS. XII. *Imperator Caesar Divi Vespasiani filius Domitianus Augustus, Germanicus, Consul XII*; illinc vero inscriptus: ΕΠΙ ΒΑ. ΑΡΠΙ. ΕΤ. ΚΣ. Σ. C. *Subrege Agrippa. Anno XXVI. Senatus Consulto*, cum duplici cornu copiæ. Hic nummus sculptus est A. V. Romæ 839, Christi 86, quo Domitianus Consul. XII agonem Capitolinum quinto ineunte anno instaurandum instituit. Hæc certamina in veteri Inscriptione Gruteri p. 314 ΚΑΠΕΤΩΔΙΑ ΕΝ ΡΩΜΗ appellantur. Erat tunc Agrippa sexagenarius; paucis tamen annis supervixit. Nam Josephus in opere de Antiq. Judaicis, quod in fine testatur, se absolvisse anno XIII imperii Domitiani, qui cœpit Idibus Septembris A. V. Romæ 846, lib. 17 cap. 2 narrat sexcentos viros Babylone in Syriam profectos, ab Herode rege colonos in Batanzam deductos, omnium tributorum immunitate concessa, additque: *Post magnus Agrippa, & eodem nomine filius, licet multis gravatos ex actionibus, libertate tamen frui permiserunt, quibus succedentes Romani & ipsi gravibus eos tributis opprimunt, sed salva libertate.* Agrippa junior anno duodecimo imperii Claudii, urbis Romæ 805, ab eodem Imperatore, uti scribit Josephus l. 20 c. 5, Batanzam cum proxima Trachonitide acceperat, quam cum anno XIII imperii Domitiani Romani Magistratus administrarent, palam colligimus, eundem Agrippam jam antea regnandi ac vivendi finem fecisse. Præterea idem Josephus in libro de vita sua, quem una cum laudato opere de Antiquitatibus edidit, Vespasianum, Titum, ac juniorem Agrippam, uti jam fato sublatos, laudat. Ibi enim Justus Tiberiensis historici mendacia coarguens, ait: *Cur virvo Vespasiano ac Tito, quorum auspiciis id bellum gestum est, & Agrippa superstitute &c. non edidisti tuam historiam? Ante viginti enim annos eam scripseras, & poteras a consociis habere testimonium. Nunc postquam illi non sunt internos amplius &c.* Itaque Agrippa jam vita defuncto, ea Josephus in literas misit, ut plane vacillet fides Photii Cod. XXIII, ex Justo Tiberiensis historia vitam junioris Agrippæ ad annum

num principatus Trajani tertium producentis. Hæc tamen summa eruditionis viro Nicolao Toinardo in historia Herodiadum, quam ultra nonum annum premit, diligentius discutienda, dimitto. Ipse interim ex prænarratis, ad Capitolienſium Epochæ initium propius accedo. Cum ex laudato Caracallæ nummo conſtet eam Epocham non cœpiſſe ante A. V. Romæ 843, ac præterea ex Joſephō oſtenſum ſit, regem Agrippam ante A. V. 846 deceſſiſſe, Capitolienſes alterutro medio anno poſt mortem memorati regis, una cum Hippo, Gadaris, aliisque urbibus Syriæ provinciæ contributi, ac autonomia, quam ſuis in nummis jaçant, tum primum donati, novam cum eadem Epocham inſtituiſſe videntur; Capitoliadōs nomine a Romano Capitolio ſive Iudis Capitolinis urbi tunc indito, vel eodem ab Agrippa rege jam antea impoſito. Hac ratione eadem Epochæ deducta, annus ejusdem CVIII, in Caracallæ nummo ſignatus, cum annis Urbis Romæ 952 vel 953 concurreret, cum jam idem Cæſar Auguſteam a Severo patre dignitatem accepiſſet.

§. V.

EPOCHÆ ANTIOCHIÆ AD HIPPIUM.

Antiochia ad Hippum eadem forte urbs qua Hippus in Cæle Syria a Geographis laudatur. Ejusdem Epochæ ab anno urbis Romæ 691 ex nummis deducta.

Hujus urbis nummum olim publicaverat Triſtanus tom. 7 p. 692, ſed Antiochenorum nomen parumper in nummo detritum, in ΑΝΑΘΩΝ demutavit, ac urbem Nathon ab Herodoto in infula Ægypti Proſopite laudatam, ibidem expreſſam putavit. Eques Carolus Patinus in M. Aurelio pag. 246 & pag. 16 indicis in Faſtina, binos ejusdem urbis nummos proferit, quorum alterius typum exhibeo.



Holstenius pagina 37 not. in Stephanum eandem nummum cum symbolo mulieris, frons equum tenentis, vocat ex Museo Puteano, in quo legit: KOL. ANTIOX. ΠΡ. Π. quem nummum Marco Aurelio Antonino Caracallæ attribuit; eumque refert ad Antiochiam ad Orontem totius Syriæ metropolim. Ceterum errat vir insignis; siquidem in Museo Puteano Romæ laudatum numisma hanc plane epigraphem præfert: ANTIOX. ΠΡ. Π. reliquis literis sinistrorsus detritis. Subtus vero, ut in Patiniano, visuntur numerales literæ ΘΚΚ. Harduinus pag. 46 in nummis Regiis M. Aurelii ait perspicue legi: ANTIOX. ΤΩ. ΠΡ. Π. itemque: ANTIOX. ΠΡ. Π. ΤΗΣ. ΙΕΡ. Κ. ΑΓΓΑΟΥ, nempe Latine: *Antiochensum ad Hippum, sacra & inviolata civitatis*, addita Epocha ΘΚΚ, *Anno CCXXIX*. Quæ sane Epocha ostendit eos nummos non pertinere ad Antiochiam ad Orontem; annus enim Antiochenorum 229 cœpit ab autumno A.V. 935, mortuo trigésimo antea mense M. Aurelio, ac ante sexennium Faustina, in cujus Augustæ nummo annus idemmet 229 Antiochiæ ad Hippum obsignatus est. Idem vero Harduinus putat nummos apud Hippum urbem Cœles Syriæ scalptos. Josephus lib. de vita sua scribit Hippum triginta stadiis Tiberiade distare, nempe quattuor fere milliariis. Addit idem Harduinus Hippum montem a Ptolemæo lib. 5 cap. 5 in Syria Cœle laudari, a quo ea urbs Hippus sive Hippon dicta fuit; illam vero nomen alterum *Antiochia* obtinuisse jam olim: eamque demum esse, quam in consinio Cœles Syriæ Arabiæque conditam a Semiramide auctor est Stephanus. Græci

ci vero equum *ἵππος* vocant; unde & illius imago in Antiochen-
sum Hippenorum nummis scalpata visitur. Hæc vir eruditus, cujus
opinio aliis etiam mihi conjecturis probatur. Nam Ptolemæus
loco laudato tum montem Hippum, tum etiam ipsam urbem
Hippum statuit sub gradu longit. 68 ac latitud. 72. Stephanus de
Gadara urbe ait: *Gadara urbs Cœles Syria, quæ Antiochia & Se-
leucia vocata fuit.* At constat Gadara ea nomina non tulisse a Se-
leuco Nicatore, quia eo regnante, ea pars Syriæ inferioris una
cum Phœnice ad Ægypti reges spectabat, ut alias hoc in opere o-
stendo. Quare nec Hippus alterum Antiochiæ nomen ab eo-
dem Seleuco accepit, cum ille, teste Appiano, sexdecim de nomi-
ne patris urbes Antiochias nominavit; quod Hippus quoque erat
in Cœle Syria. Hinc ab Antiocho Magno vel ab aliquo successorum
ipsa quoque, ut & proxima Gadara, Antiochiæ nomen accepit;
sive cuiuspiam Antiocho regi adulata, novum sibi nomen im-
posuit, uti postea plures tum in Syria, tum in proxima Cilicia ur-
bes de nominibus Romanorum Principum novas sibi appella-
tiones adsciverunt.

Epocha in ejusdem Urbis nummis ob signata, nempe anno-
rum 229, eandem in Syria Cœle sitam ostendit, cujus Urbes cum
Pompejus a Judæorum præsertim tyrannide liberasset, novas ob
acceptam autonomiam, Epochas induxerunt; quod de Gadaris,
Gaza, Raphia, ac Philadelphia earundem nummi manifestant. Ita-
que annus *ΘΚC*, id est CCXXIX, in laudatis Antiochiæ ad Hip-
pum nummis M. Aurelii ac Faustinae uxoris ob signatus, cœpit ab
Autumno A. V. 919, Christi 166 eodemque sexto imperii M. Aure-
lii. Errorem Holstenii laudatum Antiochiæ ad Hippum num-
mum in Museo Puteano, M. Aurelio Antonino Caracallæ adscri-
bentis, Epochæ ibidem scalpata confutat, cum annus ejus Urbis 229
exierit anno septimo imperii M. Aurelii Philosophi, cujus uti & u-
xoris effigies in iisdem nummis cum eodem anno scalpæ sunt:
Josephus lib. 14 cap. 8 de Pompejo scribit: *Et Hierosolyma quidem
Populo Romano fecit stipendiaria; urbes vero, quas eorum cives sibi
subjugaverant in Cœle Syria, illis ademptas jussit proprio parere
præfidi.* Addit ab eodem Gadara in gratiam Demetrii Gadaren-
sis

lis sui liberti restantata; reliquas vero, inquit, *Hippon, Scythopolim, Pellam, Dion &c.* suis restituit habitatoribus. Ita Hippeni A. V. Romæ 697 a victore Pompejo a Judæorum servitute vindicati, novam ab eodem anno urbis suæ Aëram instituerunt; quamvis probabilis Gadara anno Romæ 690 autonomia donata fuisse videantur.

§. VI.

EPOCHÆ EPIPHANIÆ.

Epiphania in Syria ab Hemath pronepote Noë condita. Ab Antiocho Epiphane rege Syria novum nomen accepit. Ejusdem situs, Altera Epiphania erat in Cilicia prope Amanum. Utriusque Urbis Episcopi in Synodis memorati. Nummus Epiphanensium ad utrampertineat. Ejusdem Epochæ satis obscura indicatur.

E Epiphania urbs Syriæ antiquissima conditorem habuit Hemathæum undecimum filiorum Chanaam, Geneseos cap. X, 18, de cujus nomine *Hemath* initio vocabatur, a Philis *Hemath*; ab Hebræis vero *Cbamath* nuncupata. Horum auctor venit Josephus lib. I Antiq. c. 7 scribens: *Hamathbus vero Hamathen habitavit, quæ adhuc extat, & ab accolis Hamathe nuncupatur; tamen si hanc Macedones Epiphaniam ab uno e regum successoribus denominaverint.* Idem tradit S. Hieronymus in cap. 6 Amos, & in epist. 129 ad Bardanum; & in cap. 9 Zachariæ, ubi ait: *Hemath quæ interpretatur cholos, id est, indignatio. Ipsa est quæ ab Antiocho Επὶ Φανὶ nomen accepit, & nunc Syria Cæles est civitas.* Et rursus in cap. 47 Ezechielis: *A quo, inquit, venies Hemathi, quæ nunc Epiphania vocatur ab Antiocho crudelissimo tyrannorum nomine commutato. Nam cognomentum habuit Epiphaniæ.* Itaque Antiochus Epiphanes rex Syriæ, cujus sacrilegia ac sævitiem libri Maccabæorum describunt, de suo cognomine memoratam urbem Epiphaniam appellavit. Inde vero in sacris literis non semel memoratur, quod ad ejusdem agrum termini Terræ sanctæ versus Aquilonem protendebantur, Numer. cap. XIII, 22, Judicum cap. III, 3, Ezechielis cap. XLVII, 17, ubi legitur: *Terminus Hemath plaga Septemtrionalis.* Epiphaniæ situm designat ejusdem

deni urbis civis idemque Ecclesiasticæ historiæ scriptor insignis Evagrius l. 3 c. 34, cui laudatur Cosmus *Epiphania nostra*, inquit, *ad Orontem sita* Episcopus. In Itinerario Antonini ab Antiochia Emesam, numerantur Apamea

Larissam M. P. XVI.

Epiphaniam M. P. XVI.

Aretbusam M. P. XVI.

Emesam M. P. XVI.


Postquam Arcadius Syriam in binas provincias dissecuit, Epiphania Syriæ Secundæ sive Salutari adscripta fuit, cujus etiam Episcopi in Synodis non semel occurrunt.

Altera Epiphania erat urbs Ciliciæ, quæ antea Eniandos dicebatur, teste Plinio lib. 5 c. 27, quam ab eodem Antiocho Epiphane nomen accepisse puto, quod eidem præter Syriam, Cilicia quoque parebat; siquidem ejusdem pater Antiochus a Romanis victus, citra Taurum in Asia regnare jussus fuit. Epiphania erat citra Amanum in Cilicia, uti scribit Cicero id temporis Proconsul Ciliciæ, & ex Oratore novus Imperator, lib. 15 fam. epist. 4 ad Catonem; ubi eidem laudatur cohors prætoriana, *quæ erat Epiphaneæ præsidii causa*. Et statim: *abessetque ab Amanum iter unius diei, & castra apud Epiphaneam fecissem, A. D. IV. Id. Octob. cum ad vesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut A. D. III. Id. Octobris, cum luce sceret, in Amanum ascenderem*. Itaque Epiphania sive Epiphaneæ in Cilicia erat citra Amanum. Hæc vero urbs, cum memoratus Arcadius Ciliciam quoque in duas provincias civiles divisisset, Ciliciæ Secundæ attributa fuit sub Anazarbo metropoli. Hinc initio Act. 2 Synodi Calchedonensis legimus: *Eutychiano Episcopo Epiphania Syriæ secunda*; & post septem Episcopos, *Polychronio Epiphania Ciliciæ Secunda*. In lib. 7 Cod. Theod. l. 25. de erog. milit. annonæ, Arcadius Imperator ait: *Quoniam Clementia nostra poscenti Epiphaniæ Ordini consensit, &c. Novembri mense novellum vinum militi præberetur, &c.* Gothofredus ibidem in notis putat designari Ordinem Epiphaniæ in Syria, non autem in Cilicia. Neutrius Epiphaniæ nummi hætenus visi sunt, nisi quod Goltzius pag. 214 nummum recitat inscriptum ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ,

Uu

Epi-

Epiphanensium. At nuper V. C. Joannes Vaillantius typum nummi apud virum nobilem in Anglia servati, ad se delatum, mihi transmisit, ut signatam in eodem Epocham exponerem.



Hocce numisma, si circuli magnitudinem spectes, inter modicis quæ dicunt moduli, recensendum est; quamvis sculptor ad exemplar delineati ac transmissi ætypi, illud grandius excuderit. Inscriptio prioris partis Latine datur: *Imperator Marcus Antoninus Gordianus*. Alterius vero partis cum Serapide ac Cerbero: *Epiphanensium*. Anno CCVI. In Synodo Mopsuestena inserta Collat. V Synodi V, cum aliis Episcopis Ciliciæ Secundæ nominatur *Nicetas Epiphanensium*, ut in textu Græco, qui interiit, scriptum fuerit laudato nummo similiter, *Επιφανίων*, quod gentile, urbis exprimit etiam Stephanus in Lexico poligraphico. Idem. de gentili Epiphaniæ ad Orontem dicendum est. Gordianus junior, occisus A. V. 991, Christi 238, Pupieno & Balbino collegis Augustis, imperium ex Casare Augustus accepit, quod post sexennium, A. V. 997, Christi 244, Philippi præfecti Prætorio fraude intererentus, amisit. Hinc fit ut Epochæ annorum CCVI, in laudato nummo obsignatæ, initium figendum sit inter A. V. Romæ 785 & 791. Incertum tamen est, ad utram Epiphaniam idem nummus referendus sit. Equidem Cajus Caligula, uti scribunt Dio lib. 60 ac Suetonius cap. 16 de vita ejusdem, Antiocho regis Commagenorum filio paternum regnum *adjectis Ciliciæ maritimis* restituit. Unde Epiphania anno Urbis 791 quopiam beneficio a Cajo ornata videri possit, quod propior erat Commageni. Sed hæc urbs, ut constat ex Cicerone, diu antea in provincia Romanorum Cilicia

licia censebatur, ac citra Amanum, extra fines regni Commagene-
nes. An quod Gordianus Persas ex Syria expulit A. V. 996, Epi-
phanienſes in Syria Cœle eum nummum scalperunt? Sed aliæ
quoque urbes Asiæ proconsularis ac Ciliciæ nummos id temporis
procuderunt, quas tamen Perfici belli turbo neutiquam concus-
serat. Itaque satius est omnia hæc in medio relinquere, quam
de incertis divinare. Verum illustrissimus Comes Mediobarbus
mihi postea indicavit, se ejusdem omnino nummi Gordiani ty-
puma Jacobo Sponio celebri Antiquario accepisse, in quo aliter
Epocha ejus urbis notabatur, nempe: ET. ST. *Anno CCCVI.*
Prioris quidem Epochæ originem in medio ibidem reliqui, quod
nullum tum primum institutæ vestigium nisi divinando consequi
poteram. At hæc altera Epocha Sponio prænotata, est plane Pom-
pejana, quam Epiphaniensēs Syriæ ob acceptam ab eodem auto-
nomiam A. V. Romæ 690 induxerunt. Unde annus ejusdem
CCCVI exiit sub autumnum A. V. Romæ 996, quo Gordianus bel-
lum in Syria contra Persas feliciter inchoavit. Quæ quidem Epo-
cha indicat etiam laudatum nummum spectare ad Epiphaniam
in Syria, non vero ad alteram Epiphaniam in Cilicia. Nummi
Epiphaniæ urbis sive Cilicum, sive Syrorum, rarissimi sunt; ac
proinde hunc evulgasse, qui unicus in eruditis Cimetis visitur, sa-
tis erit, quamvis expressam in eodem Epocham ejusque originem
incompertam habeamus. Scio Plinium lib. 5 cap. 24 scribere:
*Oppida alluuntur Epiphania & Antiochia quæ ad Euphratem vocan-
tur.* Uti vero hæc tertia Epiphania ad Euphratem nusquam a Ro-
manis scriptoribus recensetur, nec in Ecclesiasticis monumentis
occurrit, ideo ne suspicari quidem potui laudatum nummum ad
eamdem posse revocari. Auguror tamen eandem ab Antiocho
Epiphane Syriæ rege, ut & utramque superius memoratam ur-
bem, nomen accepisse.

§. VII.

EPOCHÆ ARETHUSÆ:

*Arethusa a Seleuco Nicatore condita. Ejusdem situs. Nummus
Arethuseorum Epochæ obſignatus, cujus initium ab A. V. Romæ 685*

Uu 2

CUM

*cum nova ibidem Sampficerami Arabis Dynastia deducitur. Hujus
successores regio titulo decorati.*

Inter urbes a Seleuco Nicator Seleucidarum in Syria regni auctore conditas, ac de nominibus oppidorum Græciæ ac Macedoniae nuncupatas, Arethusa ab Appiano in Syriacis recensetur. Nam antiquior altera Arethusa erat in Macedonia, cujus mentionem faciunt Plinius lib. 4. cap. 10 ac Ptolomæus lib. 3, eratque non procul ab ostiis Strymonis, a qua postea Macedones alteram in Syria urbem appellarunt. Hujus urbis numismata sunt rarissima, ita ut singularis præstantiæ censendum sit, quod in regia Gallicarum Gaza servatur, cujus hic typum propono.



In antica parte nummi visitur caput Diadumeniani Caesaris, Marcerini Augusti filii, cum epigrapha: M. O. ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝ. *Marcus Opeius Diadumenianus.* In averfa parte cum Cancro legitur: ΑΡΕΘΟΥΣΑΤΩΝ. *Arethufatorum;* & subtus: ΕΤΟ. ΕΠΙ. *Anno CCLXXXV.* Prior quidem numeralis nota E est parumper obtusa, sed certa sui vestigia retinet, uti eruditissimi viri, qui nummum contrectarunt, unanimi consensu testati sunt. Hic nummus sculptus est Arethusa A. V. Romæ 970, C. Bruttio Præsente & T. Messio Extricato Consulibus, cum Diadumenianus sine laurea appareat, quacum anno sequenti, addito Augusti titulo, in nummis visitur. Hinc si annos 285 in nummo obfignatos retro computemus, deveniemus ad A. V. Romæ 685, quo Arethusii novam Epocham induxerunt. Syri fraterna Antiochi Grypi, & Antiochi Cyziceni bella perpeffi, cum illorum filii eadem longe etiam faviori rabie instaurantes, vetustum Seleucidarum regnum everterent, diversorum Principum tutelæ sese commiserunt. Antiochen-

chenſes Tigranem Armeniæ regem in ſuperiorem Syriam acciverunt; Damafcenî vero ex Arabia Aretam regem in Syriam Cœlem vocarunt. Alii etiam Arabum Phylarchi diverſas ad Euphratem ditiones tenebant, qui ruente Seleucidarum regno, proximas ejusdem partes occuparunt. Horum unus Sampſiceramus Emefam, adque hinc diſtantem M. P. XVI Arethuſam, ac proxima alia loca invaſit, novique apud Emefam regni conditor fuit. Strabo lib. 16 pag. 518 ſcribit Arabes, quo Syris propinquioreſ ſunt, eo eſſe mitioreſ, *ac melius*, inquit, *conſtitutas habent dominationes, ut eſt Sampſicerami Aretuſa*. Auctoreſt Dio lib. 36, P. Clodius rei navali a Q. Marcio proconſule præfectum, ad Antiochenſes Syriæ A. V. Romæ 687 proſectum fuiſſe, *ut eos cum Arabibus contendentes auxilio judicaret*. Phylarchi enim Arabum urbium Syriæ ditiones paſſim infeſtabant. Cum vero Pompejus A. V. 690 regnum Syriæ in provinciam redegiſſet, Sampſiceramo occupatam circa Emefam, ac Arethuſam regionem certa tributî impoſitione reliquit, ac poſtea in triumpho Romæ peracto, inter reges Populo Romano tributarios factos, Sampſicerami nomen in titulo inſcripſit; unde poſtea Cicero Pompejo ſubiratus, eundem non alio quam *Sampſicerami* nomine, iriſionis gratiâ, appellavit in l. 2. ad Atticum epiſt. 13, 15, 16 & 22, ut alias prænotavi. Porro novæ ab Arethuſiſ Epochæ A. V. Romæ 685 inſtitutz, ex initio principatus ibidem a Sampſiceramo initi, origo defluxit, quo novi Domini gratiam ſibi maxime conciliarent. Plures Emefæ ac Arethuſæ reges Sampſicerami ſucceſſores pag. 80 recensui, quibus alterum addo, imperante Claudio, Sampſiceramum, cujus meminit Joſephus lib. 19 Antiq. cap. 5, qui antea lib. 18 cap. 2 ſcripſerat: *Tertio fratri Agrippæ Ariſtobulo nupſit Jotape Sampſicerami Emefenorum regis filia*. Nolo hic tamen diſſimulare quæ non uno loco de Arethuſa idem Joſephus ſcribit. Nam tum lib. 14 Antiq. cap. 8, tum lib. 1 de bello cap. 5 narrat, Pompejum plures Syriæ urbes, Judæorum dominio ſubtractas, eidem Syriæ provinciæ adjeciſſe; & utrobique eas internominat *Axotum, Jamniam, & Arethuſam*; ex quo colligi videtur, Arethuſam ad annum, uſque urbis Romæ 691 Judæis paruiſſe, cum eo primum anno iia-

dem erepta, autonomiam, uti cetera ibidem memorata, a Pompejo acceperit. Verumtamen mihi plane certum est, neutro loco a Josepho designari Arethusam, quæ proxima erat Emesæ. Nam licet Judæi Alexandro Jannæo regnante regionem Decapoleos in Syria Coele, in qua erant Gadara, Hippius, Dion, Pella, aliæque urbes, occupaverint, Damascenorum tamen ditionem, neutiquam subegerunt; & cum Pompejus in Syriam advenit, Damascus regi Arabum Aretæ parebat. Jam vero Arethusa recto itinere ab Antonino descripto, erat ultra Damascus versus superiorem Syriam M. P. CLXIII, quo numquam Judæorum arma penetrarunt. Hinc Arethusa a Josepho inter urbes, quas Pompejus a Judæorum servitute liberavit, recensita, diversa fuit ab Arethusa, quæ Sampliceramo parebat; illius tamen nusquam alia apud Scriptores memoria est reliqua. Imo idemmet Josephus lib. 13 cap. 23 recitans urbes, quas Judæi sub Alexandro rege in Syria Coele subegerunt, eas omnes enumerat, quas postea a Pompejo Judæis ereptas scribit, una excepta Arethusa.

Gentile urbis in nummo signatur *Ἀρεθούρων*; apud Scriptores passim legitur *Ἀρεθούρων*, *Arethusiorum*. In literis Constantini Magni apud Eusebium lib. 3 de vita ejusdem cap. 62 laudatur Georgius Episcopus *Ἀρεθούρων*; Theodoretus lib. 3 cap. 7 ac Socrates lib. 2 cap. 30 Marcum itidem Episcopum *Ἀρεθούρων* nominant. Ita etiam Stephanus, alique scribunt.


§. VIII.

EPOCHA LEVCADIORUM.

Leucadii in Syria a Plinio recensiti. Eorundem nummi Epocha Augustana a victoria Aëtiana deducta obsignati. Leucas novum Claudia cognomen assumpsit.

Plinius lib. 5. cap. 23 describens urbes ac populos in Coele Syria, post Arethusios nominat ad Orientem Laodiceos, qui ad Libanum cognominantur, Leucadios, Larissos, præter Tetrarchias in regna distributas barbaris nominibus, XVII. Joannes Vailantius binos mihi nummos a Leucadiis sculptos, delineandos curavit, quorum hic ectypa exhibeo.

Num-



Nummis minor dextrorsus positus, est Gordiani junioris cum anteriori epigrapha: ΑΥΤΟΚ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. *Imperator Caesar Marcus Antonius Gordianus Augustus*. In postica cum busto Deæ intra Templum tetrastylum legitur: ΑΕΥΚΑΔΙΩΝ: ΔΟC. *Leucadiorum. Anno CCLXXIV*. Est Epochæ Augustana in Syria ab Antiochenis ac Seleuciensibus inducta, ut Dissertat. III prænotavi, cujus initium ducitur ab autumno A. V. Romæ 723, quo M. Antonio navali prælio apud Actium devicto, Syria in victoris Augusti potestatem venit. Hinc annus 274 ejus Epochæ cœpit ab autumno A. V. Romæ 996, quo Gordianus, bello contra Persas feliciter gesto, in Syria degebat. Alter nummus est Trajani, cujus anterior epigraphie legitur: ΑΤΤ. ΚΑΙ ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΓΕΡ. ΔΑΚ. *Imperator Caesar Nerva Trajanus Germanicus, Dacicus*. Aversa vero: ΚΑΤΑΔΙΩΝ ΤΩΝ ΚΑΙ ΑΕΥΚΑΔΙΩΝ, *Claudiorum qui & Leucadii*, cum Imperatore in quadrigis. Literæ EN in superiori area nummi lineola superstante, annum I. V. novæ alterius Epochæ designant, quam Leucadii tum induxerunt, cum urbem suam *Claudiam* appellarunt. Cum Trajanus in nummo *Dacicus* appelletur, idemque hunc titulum A. V. 856 acceperit, ut ex variis nummis Mediceis pag. 240 mihi demonstratur, si ab hinc per annos LV, in nummo signatos, regrediamur, erimus ad A. V. 801 eundemque octavum imperii Claudii, citra quem recentior illa Leucadiorum Epochæ retrahi nequit; cujus tamen primus annus ex unico illo nummo mihi nequit indicari. Utrumque Leucadiorum numisma Syriacam scalpturam præferre testatur V. C. Vaillantius, cum quo hac in re mihi aut sapere, aut errare decretum est. Hic enim summus num-

mo-

morum Interpres in iisdem ultra triginta annos vixit; imo & semel nummi in eodem vixerunt, cum a piratis Algeriensibus captus, aliquot nummos aureos veluti aurum potabile sorbuit, ac pene se perdidit, quo aureos servaret.

CAPUT X.

RHESÆNÆ VRBIS EPOCHA.

Rhesana urbs Mesopotamia ad Aboram fluvium. Eadem postea Theodosiopolis videtur appellata. Ejusdem plura numismata. Initium imperii Decii recte a Panninio descriptum. Hadrianus Mesopotamiam liberam & immunem provinciam constituit. Hinc Rhesanensium Epochā, imperante Hadriano, instituta.

HÆc urbs extra Syriam in Mesopotamia sita erat. Quod vero Mesopotamia antiquitus intra provincias Syriæ censebatur ex Plinio lib. 5. cap. 12, unde & Genesios XXVIII *Mesopotamia Syria* legitur, quādam de Rhesænæ urbis Epochā hic inferenda duxi. Ptolemæus lib. V Geograph. cap. 18 in eadem Mesopotamia duo ejusdem fere nominis oppida recenset, quorum unum *Ρέσινα Rhesina*, alterum *Ραισένα*, vel ut e MSS. emendat Holstenius pag. 271, *Ρεσάινα Rhesana* nuncupantur. Stephanus una tantum memoratur *Ρέσινα πόλις πρὸς τὸν Ἀβόρον ποταμὸν, Rhesina urbs prope Aborum fluvium*. In Concilio Arianorum Antiocheno anno Christi 341 inter Mesopotamiæ Episcopos legitur *Antiochus Rhesinatis*. Ammianus Marcellinus lib. 23 Juliani Apostata orationem militarem referens, hæc cetera inter ejusdem verba recitat: *Redissetque pari splendore junior Gordianus, cujus monumentum nunc vidimus honorate, apud Resainam superato, fugataque rege Persarum &c.* Addit his doctissimus Spanhemius Abulpharagium, qui in Dynastia VIII pag. 96 scribit: *Persis Rasainum oppugnandis, contra ipsos misit Tiberius patriciorum suorum principum, nomine Mauricius*, qui postea eidem Tiberio in principatu successit. Et antea Dynastia VII pag. 94 ait: *Hoc tempore claruit Sergius Rasainensis Philosophus, qui libros, e lingua Graeca in* Sy-

Syrinam transfudit, quem ait Severi hæretici sectam secutum. Denique in tabulis Peutingerianis in itinere a Zeugmate Nisibin *Resaina* collocatur Carrhis M. P. LXV distans in superiori parte Mesopotamiz. Hæc Resaina non est eadem cum Rhescina Stephani prope Aborum. Zosimus lib. 3 nominat Circesium castrum, quod Abora fluvius & Euphrates ipse circumdat. Procopius lib. 1 de ædificiis Justiniani ait, Circesium in extremis Mesopotamiz finibus ab Imperatore Diocletiano exstructum fuisse. Idem vero l. 2 de bello Persico scribit: *Est in altera fluminis ripa Romanorum oppidum munitum, quod Circesium vocatur, præruptum ex magna parte, quod Aborras fluvius ingens hic ostia emittens, Euphrati miscetur, & angulum circa oppidum facit.* Eadem tradit Evagrius lib. 5 c. 9. Ammianus loco laudato, tum miles in exercitu Juliani, scribit se cum ceteris Circesio discessisse ac per navalem pontem Aboram superasse; soluto postea ponte, ne cui redeundi potestas esset, *profecti*, inquit, *Zaitam venimus, locum qui olea arbor interpretatur.* Hic Gordiani Imperatoris longe conspicuum vidimus tumulum. Hoc Gordiani sepulcrum vicesimo milliario a Circesio distasse testatur Eutropius, qui libro 10 ait se eidem Juliani contra Persas expeditioni interfuisse; idem tradit Sextus Rufus in Breviario. Hinc errant Samuel Bochartus lib. 4 Phaleg cap. 23, Tristatus tom. 1 pag. 590 ac Harduinus pag. 420, dum scribunt Rhescinam, Ammiano teste, Gordiani sepulcro nobilitatam. Nam Ammianus uti etiam Zosimus scribunt Gordianum tumulatum apud Zaitam, sive Zautham, cum paullo antea idem regem Persarum apud Resainam superasset. Quare apud Ammianum legendum est, *cujus*, nempe Gordiani, *monumentum nunc*, videlicet apud Zaitam, *vidimus honorate; apud Resainam superato, fugatoque rege Persarum; ut Resaina juxta Ammianum locus victoriæ, non vero sepulcri Gordiani fuerit.* Julianus Abora ponte superato, ad Euphratem venit, ac Zaitam cum exercitu navibus secundo flumine descendit, uti tradit Zosimus. Itaque Zaita ab Abora distabat; cum tamen teste Stephano Rhescina seu Rhescina prope Aboram sita esset. Cum in melioribus Ptolæmæi codicibus legatur *Ρεσάινα*, Ammianus easdem omnino literas servans, vel

eiusdem oppidi incolarum pronuntiationem exhibens, Latine *Rhesinam* scripsit, quæ Græca diphthongo AI in AE mutata, *Rhesæna* dicenda est. Procopius lib. 2 de ædificiis Justiniani ait: *Eodem modo Theodosiopolis, quæ ad Aborram fluvium sita est, quam diuturnitas temporis labefactaverat &c.* Et in Notitiis vetustis Ecclesiarum pag. 36 & 58 apud Carolum a S. Paulo inter urbes provinciae Osrhoenæ *Theodosiopolis* recensetur. Cum vero in Concilio Arianorum Antiocheno, anno Christi 341, Episcopus, uti dicebam, *Rhesinas* legatur; nec uspiam postea in conscriptis antiquitus gestis Ecclesiasticis, sive indicibus Episcopatum *Rhesinas* Antistes memoretur, suspicari possumus eam urbem, vetustiori nomine antiquato, *Theodosiopolim* appellatam fuisse, quam Procopius ad *Aborram* fluvium sitam describit. Equidem in Concilio Antiocheno sub Domino Patriarcha, inserto Act. XIV Synodi Calchedonenensis, nominatur *Joannes Episcopus Theodosiopolis*, nempe ejus urbis, quam in Osrhoene Procopius memorat. Hæc tamen puræ putæ sint conjecturæ, quas in tanta veterum monumentorum penuria cogimur quandoque comminisci.

In vetustis nummorum Cimeliis plura *Rhesinæ* urbis nummata servantur, quæ Deciorum præsertim Principum imaginibus obsignata sunt. Horum tria exhibuit Tristannus tom. 1 a pag. 588. Bina hic appendo, quæ ex Museo non uno mihi loco laudati D. Francisci Dron V. C. Nicolaus Toinardus Aurelianensis ad me transmisit.



Prioris nummi antica Inscriptio Latine redditur: *Imperator Caesar Cæsar Messius Quintus Trajanus Decius Augustus*; postica vero
Se-

Septimiorum Rhesaneforum. Alterius vero epigraphe est: *Septimia Colonia Rhesaneforum.* In utroque signatur Epocha L. HIP. Anno CXVIII. Ex priori nummo discimus *Cajum* fuisse Decii prænomen, quem Panvinus aliique *Cneum* falso appellarunt. Ex altero vero nummo intelligimus Rhesanæ a Septimio Severo coloniam deductam, unde & *Septimia* nuncupatur. In Museo Mediceo in nummo Decii cum eadem postica inscriptione visitur colonus agens boves ad aratrum, cum Aquila supervolitante, rostro coronam, unguibus vero fulmen stringente. In nummo fere simili in Abbazia Parisiensi S. Genovefæ apud virum insignem nuper vita defunctum P. Claudium Du-Molinet, inferius visitur imago viri ex undis emergentis, ut in priori mihi delineato, quo symbolo Rhesanæ non ad Euphratem, uti Harduinus, nec ad Tigrin, ut Eques Patinus putarunt, sed ad Aboram flumen sita exprimitur, quod Stephanus *Aborum*, Strabo L. 16 p. 514 *Aborram*, Ptolemæus vero *Chaboram* nuncupant. Legatur Bochartus l. 2 Phaleg in fine cap. 17. Cum eodem coloniz symbolo extat rarissimus nummus in Cimeliis Regis Christianissimi inscriptus: ΑΥΤ. Κ. Γ. ΜΕΓ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟC CΕΒ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΤΚΙΑΛΛΑ CΕΒ. *Imperator Caesar Cajus Messius Trajanus Decius Augustus. Herennia Etruscilla Augusta.* CΕΠ. ΚΟΛ. ΠΗCΑΙΝΗCΙΩΝ. L. HIP. *Septimia Colonia Rhesaneforum.* Anno CXVIII. Ex hoc præclaro numismate discimus Herenniam Etruscillam fuisse uxorem Decii Augusti, cum Panvinus aliique eruditi Sallustiam Barbiæ Orbiam ejusdem Principis uxorem dudum vulgo crediderint. Hinc filius Decii in nummis dicitur *Quintus Herennius Etruscus Messius Decius*, nomen ac cognomen priora a matre referens; posteriora vero a patre. Ita & filius Licinii Gallieni & Saloniz Augustæ ejusdem uxoris, *P. Licinius Cornelius Saloninus* vocatus est, cognomine ab Augusta matre desumpto.

In omnibus hujusce Urbis nummis idem annus obsignatur HIP, *centesimus decimus octavus.* Seguinus cap. 291 posterioris editionis in nummo Rhesanæ legit ΠΡ, nempe inquit, *πρώτος*; cum tamen illæ literæ sint numerales, ac aliter in nummis sculptæ appareant. Eques Patinus in Indice Mauroceno pag. 139 legit L.

III. Anno CLXXX, uti easdem notas antea etiam Tristanus in tribus nummis expresserat. In Mediceo numismate palam visitur post nomen Rheseñesiorum litera L, quam postea notæ IHP sequuntur, ita ut prior I intra L reponatur, quod laudato loco Tristanus non obscure indicavit; quamvis literam I ut accentum potius superiori sui tantum parte scalpendam curaverit. Harduinus pag. 420 in omnibus hisce nummis legit L. HIP. Anno CXVIII. Doctissimus Toinardus testatur nunquam in iisdem nummis H apparere; sed tantum L I I P, nulla lineola transversa priores notas H circa medium jungente, ut H representetur. Petrus Fittonus Anglus qui nummos Medicei Cimeliarchii in ordinem digessit, in eorundem indice, quem summa diligentia contexuit, in laudato nummo legit L. A I P, nempe: Anno CLXXXI; cum tamen nulla litera II ibidem inspicitur. Quamvis verò ejus coloniz numismata rudiori ac pene barbara monetariorum arte scalpta sint, ibidem tamen clare legitur: CEN. & PHCAINHCEN, in priori voce II & in posteriori semel & iterum H clare expressis, ut mirari liceat, cur in notis Epocham indicantibus neutra litera perfecte scalpta fuerit; ita ut dubium sit, utra ibidem designetur. Hanc difficultatem priusquam expediam, initium imperii Decii statuendum est, cum in ejusdem nummis Rheseñesiorum anni obsignentur. Nam Baronius tom. 2 Ann. ad annum Christi 253 scribit, Imperatoribus Philippis eodem anno occisis Decium imperium occupasse, ipsomet Decio & filio Etrusco Consulibus. Et antea anno Christi 251 Emiliano & Aquilino Coss. scripserat: *Qui vero ab his diversam interunt de annis Philippi imperii rationem, & hoc anno cum simul & filium necatos tradunt, cum consulatus subducant e Fastis, ordine temporum semel confuso, diversis se aliasque implicant labyrinthis.* Hæc contra Panvini nostri sententiam dicta sunt, qui etiam ibidem in margine a Baronio indicatur. At mei concivis chronologia certa est, nec sine errore in dubium revocari potest. Etenim ab imperio Julii Caesaris usque ad Probum Augustum nullos e Fastis consulatus subducit, ut ostendi in Dissertatione de votis Decennialibus; idemque optime initium imperii Decii statuit A. V. 1002, Christi 249; qui tamen ipsi est 250 ob Nativitatem

letū Domini anno ante Æram vulgarem adscriptum. In lib. 8 Cod. tit. 56 *de revoc. donat. L. 1.* recitatur rescriptum Philippi Augusti, quod signatur *Dat. XV Kalend. Julii, Æmiliano & Aquilino Coss.* Rursus lib. 4 ejusdem Cod. tit. 16 *de heredit. action. L. 2* recensetur aliud rescriptum cum titulo: *Imperator Decius Augustus Telemocha,* & subsignatur *PP. XIV Kal. Novembris, Æmiliano & Aquilino Coss.* In Fastis omnium optimis, Constantio imperante, descriptis, quos proxime typis evulgabo, hæc collegia Consulū recitantur, quæ etiam leguntur in fragmento apud Bucherium in comm. ad Canonem Paschalem Victorii pag. 228.

Anni Christi

248. B. PHILIPPO III ET PHILIPPO II,	Sat. XVII.
249. Æmiliano & Aquilino,	Lun. XXVIII.
250. Decio II & Grato,	Mar. IX.
251. Decio III & Decio Casare,	Mer. XXI.
252. B. GALLO II ET VOLVSIANO,	Jo. II.

In Fastis Panvinii anno urbis Romæ millesimo primo ponuntur Consules Philippus III, & Philippus II, Augusti, qui annus in laudatis Fastis signatur lit. B, qua uti & majoribus characteribus, quibus memorati Consules scribuntur, indicatur annus *Bissextilis*, cujus Kalendæ in diem *Saturni* incidentes nominantur, & *Luna XVII*. Qui sunt infallibiles characteres A. V. Romæ *ML*, Æræ Christi 248, qui fuit *Bissextilis*, Cyclo Solis V, lit. B. Cum vero Novilunium proximum ante easdem Kalendas fuerit juxta meridianum Urbis, Decembris die 14 horis 4, 50' post meridiem, Luna XVIII proximas Kalendas anni ineuntis aperuit. Ita uno die ætas Lunæ ibidem minor obtruditur. Ex hoc insigni monumento patet recte a Panvinio anno insequenti V. C. 1002 statui Consules Æmilianum & Aquilinum. Cum vero horum consulatu signentur rescripta Philippi Augusti, ac postea etiam Imperatoris Decii, patet initium imperii Decii contigisse A. V. 1002, Christi 249 juxta veram Panvinii Chronologiam. Plurimi autem interest initium principatus Decii suo recte anno statuere; quia cum ille post occupatum imperium persecutionem contra Christianos instituerit, qua S. Fabianus Papa aliique in Romano Orbe Martyres occisi

sunt, ac plura in Africana Ecclesia id temporis gesta fuerint ex epistolis S. Cypriani, in magnis Annalibus illorum ordo turbatur, quem tamen in suis ad eosdem animadversionibus nunc restituet Antonius Pagy, cujus volumina magno Ecclesiasticæ historiæ incremento prælis modo cuduntur.

Itaque cum A. V. 1003, Christi 250, primus annus imperii Decii exierit, si ab eodem retro numerentur anni Rhæfænæ CXVIII, in ejusdem urbis nummis ob signati, horum initium contigit A. V. Romæ 885, Christi 132, eodemque XV imperii Hadriani, *quo anno*, inquit V. C. Harduinus pag. 420, *Syriam is lustravit*, ut Rhæfæna ab Hadriano in Syria morante, autonomia sive immunitate aliisque exemptionibus donata, Æram novam eodem anno in honorem ejusdem Principis instituerit. At Rhæfæna non erat in regione quæ ea ætate Syria diceretur, sed ultra Euphratem in Mesopotamia. Eutropius lib. 9, cum narrasset Hadrianum post Trajani obitum imperium obtinuisse, ait: *Qui Trajani gloria invidens, STATIM provincias tres reliquit, quas Trajanus addiderat, & de Assyria, Mesopotamia, & Armenia revocavit exercitus: ac finem imperii esse voluit Euphratem*, quem limitem olim Romano in Oriente imperio Augustus constituerat, ac Cæsarum primus Trajanus ad Assyrios usque protulerat. Hieronymus eadem, ut pleraque alia, ex eodem Eutropio in Chronicon Eusebii deportans, anno primo principatus Hadriani recitavit. Spartianus cap. 5 de vita ejusdem Principis ait: *Omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit*. Quæ & ipse recenset sub ipsa initia imperii Hadriani, cum adhuc esset in Syria A. V. 870, Christi 117. Extant nummi Hadriani cum epigraphe: ADVENTVI AVG. SVRIÆ: item JVDÆÆ, & in aliis ARABÆ, itidem AEGYPTI; nullus vero cum epigraphe *Mesopotamia*, quod hanc provinciam, quam ab imperio disiunxerat, nunquam lustravit. Cur ergo Rhæfæna urbs Mesopotamiæ novam Epocham ab anno XV imperii Hadriani instituit, cum extra Romani Imperii limites sita esset? Hujusce tamen difficultatis solutionem mihi videor colligere ex laudato Spartiano, qui cap. 22 de Hadriano scribit: *Partbos in amicitia semper habuit, quod inde regem detraxit, quem Trajanus imposuerat. Armeniis regem habere permisit, quum sub Trajano legatum*
ba-

habuissent. A Mesopotamiis non exegit tributum, quod Trajanus imposuit. Itaque Hadrianus ex tribus illis memoratis regionibus legiones detraxit, ita ut Parthis ac Armeniis proprios reges habere permiserit; Mesopotamios autem liberos a tributis esse voluerit, quos tamen nequitquam Parthorum ditioni additos voluit, ut perperam Salmasius putavit. Uti vero Abgarus in superiori parte Mesopotamiæ apud Edeßam regnabat, ita alii reguli in aliis ejus provinciis partibus angustius imperitabant; cum tamen aliæ urbes post concessam ab Hadriano libertatem, quandam republicæ formam servantes, in nullius reguli ditione censerentur. Has inter fuit Rhēsēna ad Aboram sita, quæ cum A. V. 885 ab Hadriano sive peculiaria privilegia, sive a finitimorum Dynastarum tyrannide tutelam impetrasset, novam Epocham in ejusdem honorem introitusse videtur.

Alium rursus dubium occurrit, nempe cur Rhēsēnesii tot nummos uno eodemque anno CXVIII imagine Decii, ac quosdam etiam Herennix Etruscillæ Augustæ uxoris, itemque utriusque filii Decii Caesaris obsignaverint, cum hactenus rari ejusdem Urbis nummi, alios Caesares representantes, inventi fuerint? Baronius tom. 2 ad A. Christi 253, num. 128 scribit Decium bello contra Persas suscepto in Syriam pervenisse, ubi S. Babylon Episcopum Antiochiæ neci tradidit. Et rursus ad A. Christi 254, num. 27 ait: *Abusus est Decius de Persis, quam est consecutus Christiani hominis ope victoriam &c. occisis qui in ejus manus devenerant, Persis Christianis, Polybromio Episcopo Babylonis &c. ac demum post longa vincula Abdone & Sennen subregulis.* Hinc quispiam suspicari posset, victis ab Imperatore Decio Persis, tot nummos a Rhēsēnesiis ejusdem Augusti imagine obsignatos fuisse, quod idem Princeps ipso urbem a potentissimi hostis metu liberasset, ac in Mesopotamia existens, novis eandem beneficiis ornasset. Ceterum illa Decii in Persas expeditio in Annales Ecclesiasticos deportata est ex Actis, quæ præmittuntur narrationi martyrii S. Laurentii, quæ tamen eidem eruditissimo Baronio loco laudato num. 27 *nonnihil corrupta* dicuntur, & in notis Martyrologii ad diem 30 Julii, *castigatione indigere* fatetur. Initio Actorum cap.

id dicitur Decius victis acie Persis, Babylonem, Bactrianam, Hyrcaniam, & Assyriam occupasse, ac apud Babylonem templum Saturno ædificandum iussisse, quo perfecto, Polychronius Babylonis Episcopus Diis ibidem libare recusans, neci traditus fuit, Cleto ejusdem Ecclesiæ in civitatem Cordubam tracto, ibique postea interfecto. Additur Decium ex Perfide Romam Abdonem & Sennem Persarum Subregulos duxisse, eosque ob Christi cultum interficiendos iussisse, quibus paucos intra dies socios addidit Sanctos Sixtum Papam ac Laurentium. Denique dicitur Decius a Dæmone correptus, animam Romæ inter cruciatus exhalasse. Quæ omnia plane fabulosa sunt. Nam Sext. Rufus in Brevario accurate bella a Romanis cum Persis gesta recensens, bello Gordiano contra illos feliciter administrato addit alterum, postea a Valeriano contra eosdem improspere gestum, quæ itidem scribit Eutropius lib. 9, ita ut nulla usquam legatur Decii contra Persas expeditio. Decius anno Christi 249 Imperium invasit, ut ex ejusdem rescripto demonstravi. Anno proximo 250 erat Romæ, ubi S. Fabianum Papam die 20 Januarii martyrio affecit, ipsomet Decio II & Grato Coss. ut in vetustis monumentis Ecclesiasticis legitur; ubi etiam Celerinum pro Christi fide in carcerem conjecit, de quo S. Cyprianus epist. 34 ad Clerum Carthaginensem scribit: *Hic ad temporis nostri prælium primus: hic inter Christi milites antesignanus: hic inter persecutionis initia forventia cum ipso infestationis principe & auctore*, nempe Imperatore Decio, *congressus, dum inexpugnabili firmitate certaminis sui adversarium vicit, vincendi ceteris viam fecit.* Idem patet ex epistola Luciani ad eundem confessorem Celerinum quæ num. 72 apud S. Cyprianum recitatur, ubi ait: *Tu vero, Deo volente, ipsum anguem majorem, nempe Decium, metatorem Antichristi non tantum confessus deterruisti vocibus illis & verbis Deificis &c.* Porro occiso Fabiano Papa, ultra annum Romanam sedem vacasse optime ex epistolis ejusdem Cypriani ac Cleri Romani Baronius demonstrat ad annum Christi 253, qui Æræ vulgaris est 250. Nam cum Decius in Vrbe præsens Ecclesiam sævissime persequeretur, Romanus Clerus non potuit novum Pontificem designare. Au-
reli-

relius Victor in Caesaribus scribit a novo Imperatore Decio Etruscum filium Caesarem creatum, *statimque*, inquit, *eo in Illyrios praemissa, Roma aliquantum moratur moenium gratia, qua instituit; dedicandum.* Addit caput Iotapianæ, qui in Syria imperium invaserat, ad eundem Decium delatum; *simulque*, inquit, *per eos dies Lucio Prisco, qui Macedonas praesidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concursu &c.* Qua causa Decio quam potuit maturrime Roma digressus. Id temporis Cornelium Papam creatum, nempe anno Christi 251, indicat S. Cyprianus epist. 52 ad Antonianum de Decio scribens: *Cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adversus se amulum Principem, quam constitui Romæ Dei Sacerdotem.* In vetustis tabulis Ecclesiasticis Cornelii Papæ electio dicitur peracta utrisque Deciis Consulibus, anno videlicet Christi 251. Quare hoc anno Decius Prisci novi Imperatoris designatione intellecta, Roma contra eundem ac faventes illi Gothos profectus, adulto autumnio prælio a Gothis victus, misere extinctus est. Legatur Jornandes cap. 18 de rebus Geticis. Hinc Gallus Trebonianus ac Vibius Volusianus novi Principes annum proximum 252 Consules aperuerunt. Itaque fictitia est illa Decii in Persas expeditio in memoratis actis narrata, uti etiam perperam ibidem dicuntur Xystus Papa ac Laurentius martyres sub Decio occisi, qui Valeriano Augusto imperante interfecti sunt; uti etiam falsum est Decium Romæ sævam animam exhalasse, cum ille, ut cæteris consentientibus ait Constantinus Augustus in oratione ad Sanctorum cœtum cap. 24, *in Scythicis campis una cum omni exercitu prostratus*, interierit. Cum in iisdem Actis cap. 7 legamus: *Latuerunt autem corpora sanctorum Abdon & Sennem usque ad tempora Constantini*, patet scripta fuisse a posterioris ævi Scriptore eorum, quæ in literas mittebat, imperito. Itaque tot nummi apud Rhætanam uno eodemque anno scalpti fuerunt, non quod ibidem bello Persico urgente Decius substitit; sed vel quia cives ab absente Imperatore novis beneficiis ornati fuerunt; vel quia legatus quipiam Mesopotamiæ apud Rhætanam coloniam Romanam forte degens, tot numismata in honorem Decii ac totius domus Augustæ obsignanda curavit.

DISSERTATIO QUARTA; DE EPOCHIS VRBIVM PHOE- NICES.

C A P V T I.

Phœnice pars terra Chanaam, a Phœnice rege, Cadmi fratre nomen sortita. Ejusdem terminis. Eadem ab Imperatore Hadriano sit peculiaris provincia Propratoria a Syria distincta, ejusque fines ad Euphratem prolati. Phœnice ab Arcadio Augusto duas in provincias dividitur. Provincia diœceseos Orientalis ab eodem Principe in primas ac secundas dissecta. Id de Cilicia fusius ostenditur. Ea occasione duo Anazarbi & Aegerum numismata, ac utriusque Urbis epocha exponuntur; ac literarum T B & T T, itemque A M K in nummis Tarsi & Anazarbi interpretatio proponitur; simulque Scaligeri sententia de L litera lustrum in Græcorum nummis exprimente refellitur.

Phœnice angustior Syriæ regio, ceteris tamen illustrior evasit, numerosis e suo sinu colonis in varias Orbis partes emissis. Nam & Thebæ in Bœotia, ac quæ diu de maris terrarumque imperio cum Romanis contendit, Carthago, ac Gades in extremis Hispaniæ finibus ad Oceanum, Phœnicas conditores habuere. Plurimas deductas a Phœnicibus colonias, prolixiori opere recenset peregrinæ vir eruditionis Samuel Bochartus in parte posteriori Phaleg. Phœnices omnium primi duce Cadmo literarum figuras in Græciam scribendi nesciam detulerunt. Illi maria navibus sulcare, classe confligere, ligna arte industria dedolare, metalla fundere, ac miscere, purpuram tingere, sindones texere, vitra conflare, aliasque tum pacis tum belli artes omnium primi docuerunt. Phœnicem ipsam esse regionem Chanaam ex LXX Interpretum versione colligimus; ubi enim Hebraice *serra Chanaam* appellatur, eadem Græce *Phœnice* iisdem nuncupatur. Hinc ubi

ubi apud Matthæum Evangelistam cap. XV, 22 legitur: *Et egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa, clamavit &c.* apud Marcum cap. VII, 26 eadem narrantem, mulier illa *Syrophœnissa* nuncupatur. Bochartus cap. I laudati libri, Phœnices nominis originem obscuram ac incertam tradit. Eusebius in Chronico ait: *Phœnix & Cadmus de Thebis Aegyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnarunt.* Ita novus rex Phœnix de suo nomine eam Syriæ partem nuncupavit, ut & Ægyptus quæ Aeria antea dicebatur ab rege Ægypto, ac Arcadia ante Pelagia, ab Arcade victa, nova nomina acceperunt, teste ibidem Eusebio. Cum Josue mediterraneam Chananæorum regionem, Deo favente, subjugasset, qui maritimam oram accolebant, communem gentis cladem evaserunt, ac inopia angustioris agri cogente, rei navali studentes, brevi immensas opes mercimonia toto pene Orbe, qua mari aluitur, exercendo, contraxerunt. Vetustiores Geographi ac Historici Phœnicem eum Syriæ tractum nuncuparunt, qui ab Eleuthero flumine usque in Ægyptum extenditur. Strabo lib. 16 pag. 520 ait: *Reliqua regionis ora ab Orthosiade usque ad Pelusium, Phœnicia vocatur, angusta ac maritimis aestibus obnoxia.* Livius lib. 35 scribit Antiochum Magnum Cleopatrz filiz nuptias cum rege Ptolemæo *Raphia in Phœnice* celebrasse; quæ urbs M. P. XXII distabat Rhinocorura Ægypti oppido. Dionysius Periegetes, qui Augusto imperante scripsit, ut probavi Dissert. 2 pag. 193 de Cenotaphiis Pisanis, ait Joppem ac Gazam a Phœnicibus incolî; unde & Stephanus utramque urbem Phœnici ad censet. Ceterum Phœnice breviores postea terminos habuit. Nam Strabo cit. pag. 518 scribit Eleutherum amnem juxta quosdam Phœnicem a Seleucide Syria difterminare, quem pariter terminum Phœnici ad Septentrionem statuit Ptolemæus lib. 5. Josephus lib. 15 cap. 13 de Cæsarea, quæ antea Stratonis turris dicebatur, ait; *Sita est hæc urbs in Phœnice, qua in Ægyptum præternavigatur, Dora inter & Joppem urbes parvas.* Verum idem Ptolemæus, Plinius, Vlpianus, alique Cæsaream Palæstinæ adscribunt, ac fines Phœnices inter Dora ac Cæsaream a Corseo flumine designari autumant.

Quæ divisio postea recepta est. Hinc Guillelmus Tyri Antistes ac Phœnices Metropoli lib. 11 de bello sacro cap. 17 ait: Phœniciam maritimam extendi a rivo *Velanienfi*, alias Eleuthero, usque ad *Petram consecram Dora conterminam*. Dora enim sive Doram in divisione trium provinciarum Palæstinæ, Imperator Arcadius primæ Palæstinæ adjecit. In Itinerario Hierosolymitano, quod scriptum fuit Delmatio & Zenophilo Coss. A. Christi 333 legitur:

Civitas Balaneas M. P. XII.

Finis Syria Cælis & Phœnicis.

Mutatio Maræcas M. P. X.

Mansio Antàradus M. P. XVI.

Ubi postea urbes ac minora oppida sive mutationes Phœnices provinciæ recitantur. Ipse quidem hoc in opere Dora intra Phœnicem recensebo, quod ejus provinciæ urbs erat, cum nummi quos exponam, ibidem sculpti sunt. Pars vero mediterranea Phœnices olim angustior erat, cum Ptolemæus juxta vetustos ejusdem terminos, non autem quos nuper Hadrianus posuerat, quatuor tantum ejusdem oppida appellet; ac apud Plinium lib. 5 cap. 12 *circumfundi Syria Phœnicem* legamus; siquidem ab Oriente Coele Syriæ cingebatur. Hadrianus Augustus mediterraneam Phœnicem usque ad Euphratem ultra Palmyram extendit. Spartianus cap. 14 de vita ejusdem hæc scribit: *Antiochenfes inter hæc ita odio habuit, ut Syriam a Phœnice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur*. Habemus auctæ per Hadrianum Phœnices testem locupletissimum S. Justinum Martyrem in Dialogo contra Judæos, ubi ait: *Damascum porro Arabia fuisse, atque esse, etiam si NVNC attributa est ei regioni qua Syrophœnicæ dicitur, nemo vestrum inficiari potest*. Initio vero ejus Dialogi legimus: *Tryphon, inquit, vacor; sum Hebræus ex circumcisione, qui ex bello, quod modo gestum est, evasi*. Hadrianus bellum illud contra Judæos gesserat, quo eosdem contudit, ac prorsus oppressit, uti scribunt Dio, ac fusius Eusebius lib. 4 cap. 6. Quare liber ille Justinus scriptus fuit ultimis annis imperii Hadriani, vel sub initium principatus Antonini Pii, cui idem S. Martyr Apologiam pro Christianis inscripsit. Tertullianus eadem ex Justino

stinio exscribens cap. 9. contra Judæos, ait: *Et Damascus Arabiarum retro deputabatur, antequam transcripta esset in Syrophœnicem ex distinctione Syriarum.* Quæ repetit lib. 3. con. Marcionem cap. 13. Phœnicem vero ad usque Euphratem versus Orientem protensam colligo ex Ulpiano, qui lib. 50. Digest. *L. 1. de censibus* § 5. ait: *Est & Palmyrena civitas in provincia Phœnicie prope barbaras gentes & nationes collocata.* Ejusdem Palmyræ ager Euphrate terminabatur, a quo eadem unius diei itinere distabat, ut ostendi Dissert. 2. cap. 3. § 2. Ex illa vero Syriarum divisione superior Syria vulgo *Syria Cœle*: inferior vero *Syria Phœnicie* dicebatur, cum huic proprium legatum Proprætorem Hadrianus imposuisset. Jacobus Sponius hanc Inscriptionem altero a Sidone urbe Phœnicis lapide dicatam, recitat Sect. VIII Miscellan. pag. 270.

IMPERATORES. CAESARES.

L. SEPTIMIUS. SEVERUS. PIUS. PERTINAX
AVG. ARABICVS. ADIABENIC. PARTHICVS. MAXIMVS
TRIBVNICIA. POTEST. VI. IMP. XI. COS. II. PROCOS. P. P.
ET. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. FILIVS. EIVS
VIAS. ET. MILIARIA. PER. Q. VENIDIUM. RVFFVM
LEG. AVG. PR. PR. PRÆSIDEM. PROVINC. SYRIÆ
PHOENIC. RENOVAVERVNT

Ita Q. Venidius Rufus anno VI imperii Severi Syriam Phœnicem provinciam Legatus pro Prætore administrabat. Auctor est Dio in excerptis apud Leunclavium p. 988, Imperatorem Macrinum dignitatem Senatoriam Mario Secundo detulisse, qui etiam eidem dicitur *τῆς πόλεως ἀποστὰς, Phœnicie præses*. Extat etiam lib. 1. Cod. Lex. 3. *de diversis rescriptis*, a Diocletiano missa *Crispino præfidi provincia Phœnicis*. Auctor est Suidas, ut postea dicam, Paulum Tyrium insignem Oratorem ab Hadriano impetrasse, ut Tyrus Metropolis constitueretur, nempe novæ provinciæ Syriæ Phœnicis a Syria Cœle tum primum quod ad civilem administrationem attinet, distinctæ. In vetusto indice provinciarum imperii Romani, qui itineratio Antonini a Surita additus fuit, hæ Syriacæ provinciæ recensentur: *Syria Ciliciæ* ubi *Cæles* legendum. *Syria Palestina*. *Syria Phœnicie*. Quas itidem tres in Syria provincias describit Ananianus Marcell. l. 14. Extat l. 2. Cod. Theod. *lex 52 de decurionibus*, ad Julianum Consularem Phœnicis. Et

signatur *Accepta Idibus Octobris Tyro*, Mamertino & Nevitta Coss. A. Christi 362. Est Juliani Augusti rescriptum. Rursus ibidem lex 83 a Theodosio seniori dicitur *scripta Petro Consulari Phœnicis, Damasco*, pridie Id. Maji, Gratiano, adde V Theodosio Augg. Coss. Anno Christi 380. Ita eadem die iisdemque Coss. lex 9 *de filiis militar. apparit.* in lib. 7 ejusdem Cod. recitatur *scripta Petro Consulari Phœnicis, Damasco*. Et in eodem libro lex 11 *de Tironibus* signatur: *Dat. Idibus Maji, Tyro metropoli, PP.*, id est, *proposita, Beryto*, Antonio & Syagrio Coss. A. Christi 382. Est lex Theodosii Magni, quæ data Constantinopoli, missa fuit Tyrum, ubi tanquam in Metropoli Consularis Phœnices residebat; eademque indicatur proposita Beryti. Cum vero utraque lex memorata dicatur scripta Petro Consulari Phœnices, *Damasco*, dubitari potest num illæ Damasci tantum propositæ fuerint, vel potius acceptæ tanquam in Metropoli ac sede Consularis Phœnices. Et sane Phœnice ab eodem Theodosio, vel ab Arcadio ejusdem filio, uti puto, in duas civiles provincias dissecta est, quarum una sub Tyro Metropoli Phœnice prima sive maritima dicta fuit; altera, cujus Metropolis fuit Damascus, Phœnice secunda sive Libani nuncupata est. Ipse quidem arbitror, cum laudatæ leges emissæ sunt, nondum Phœnicem in duas provincias distinctam fuisse; cum nusquam ulla earundem distinctionis nota ibidem appareat, sed unius Phœnices Consularis ibidem mentio fiat sine additis *maritima*, aut *ad Libanum*. In Synodo Arianorum Antiochena anno Christi 341 dicuntur Episcopi congregati *ex provinciis Syria Cœles, Phœnices, Palestina, Arabia &c.* Ubi Magnus Episcopus Damasci post Æneam Ptolemaidis subscriptus legitur. Ita etiam Syria, Phœnice, ac Palestina recitantur in Synodica Conciliabuli Philippopolitani, quod habitum fuit A. Christi 347. In Synodo quoque Oecumenica C. P. Theodosio Magno imperante, celebrata anno Christi 381 sub titulo *Provincia Phœnices*, primo loco recensetur Zenon Tyrius, & post Nectabum Ptolemaidis, Philippus Damascenus. Quare nondum Damascus evaserat Metropolis Phœnices Libania Phœnice maritima disjunctæ. Id vero temporis cum Augusti civilem provinciam in duas partiebantur, binæ etiam Ecclesiasticæ provinciæ

vinciæ evadebant. Valens Imperator, quo S. Basilii Cæsareæ in Ponto Metropolitæ jurisdictionem Ecclesiasticam imminueret, Cappadociam in duas provincias divisit, ac alterius Thyana metropolim fecit; atque Anthimus Episcopus Thyanorum metropolitam sibi statim potestatem arrogavit, uti patet ex epist. 33, 35 aliisque S. Gregorii Nazianzeni. In diœcesi Patriarchatus Antiocheni longe plus, quam aliis in regionibus, provinciarum civilium numerus auctus fuit. Nam Cilicia, Syria, ac Phœnice in binas singulæ provincias civiles partitæ fuerunt; Palæstina vero in tres plane dissecta fuit, quæ imperante Theodosio Magno erat intra diœcesim Patriarchatus Antiocheni. Extat *Lex 30 de erog. milit. annonæ*, qua Theodosius junior jubet, ut militibus limitaneis *per primam, secundam & tertiam Palæstinam* precia, non vero species præbeantur. Signatur *Dar. X Kal. Aprilis, Honorio Aug. VIII, & Theodosio Aug. III, Coss.* anno Christi 409 eodemque primo imperii ejusdem Theodosii. Quare ea provinciarum divisio facta fuit ab Arcadio, cui imperium Orientis obtigerat, Honorio fratre in Occidente imperante. Nam quò plures de se optime meritos provinciarum administratione decoraret, easdem in Orientali præsertim diœcesi multiplicavit. Quamvis vero Imperator plures civiles provincias constituisset, Patriarcha tamen Antiochenus dubitavit, num totidem etiam provinciæ Ecclesiasticæ multiplicandæ forent. Qua de re cum Alexander Antiochenus Antistes ad S. Innocentium Papam scripssisset, hocce responsum tulit c. 2. Ep. 18 ejusdem Innocentii: *Nam quod sciscitatis, utrum divis imperiali judicio provinciis, ut duo metropoles fiant, si duo metropolitani Episcopi debeant nominari: non vere visum est ad mobilitatem necessitatum mundanarum Dei Ecclesiam commutari, honoresque aut divisiones perpeti, quas pro suis causis faciendas jussisset Imperator.* Verum secus factum fuisse constat ex Synodo Ephesina, decimo anno ab Alexandri Antiocheni obitu celebrata, ac subsecutis postea litigiis, in quibus metropolitæ primæ ac secundæ Ciliciæ, Phœnicæ maritimæ ac alterius ad Libanum, ac denique utriusque Syriæ occurrunt, ut patet ex Epistolis veterum Patrum, quas vir magnus Christianus Lupus eruditissimis notis illustravit, de quibus quædam hic cap. 3 subnotabo.

Sci o

Scio Joannem Harduinum longe antiquiorem censere Ciliciæ provinciæ divisionem. Extat Hadriani nummus in postica inscriptus: ΠΡΟΝΟΙΑ ΚΒ. Eques Patinus pag. 197 interpretatur: *Providentia*. Anno XXII imperii scilicet Hadriani. Hanc interpretationem Harduinus explodit, quod Hadrianus annum imperii XXII non iniit. Verum cum ille imperaverit annos viginti ac menses undecim, uno minus die, nummus ille procul a Bais in Italia, ubi Hadrianus decessit, cudi potuit in Cilicia vel in Syria, nondum ibidem obitu Imperatoris intellecto, ut paucis post diebus ineunte anno XXII imperii ejusdem publicaretur. Gisbertus Cuperus illustrissimus Fœderatarum provinciarum Belgii apud Hagam Comitum Senator, idemque Scriptor insignis, pagina 174 sui Harpocratis, binas laudati nummi literas exponit: Κοινὸν Βιθυνίας: *Commune Bithyniæ*; quæ pariter interpretatio vero similis apparet. Ceterum easdem literas Harduinus commentatur pag. 249 *Providentia*. *Cilicia secunda*; ut literæ ΚΒ eidem exponantur Κιλικίας δευτέρας. Idem pag. 40 numisma Cornelii Pauli uxoris Imperatoris Elagabali, in averſa parte obſignatum: ΑΝΑΖΑΡΒΕΩΝ. ΑΜΚ. Latine reddit: *Anazarbensium, prima metropoleos Ciliciæ*. Vbi notat easdem literas ΑΜΚ occurrere etiam in nummis apud Tarsum Ciliciæ percussis; quod, inquit, ut *Cilicia prima Metropolis Tarsus foret, ita secunda Anazarbus, utraque in provincia sua civitatibus principatum obtineret*. Laudat Notitiam veterem Ecclesiarum, in qua sub Consulari Tarsus dicitur Metropolis Ciliciæ primæ; Anazarbus vero sub Præside Metropolis Ciliciæ secundæ. Non possum ad laudati Scriptoris sententiam accedere; siquidem divisio provinciarum Ciliciæ, Syriæ majoris, Phœnicis, ac Palæstinæ in *primas* ac *secundas* contigit post tertium fere sæculum ab imperio Hadriani, quod de Cilicia præsertim ostendo. Dio enim in Hadriano scribit: *Apronianus pater meus qui Cilicia præfuit &c.* In l. 22 Digest. L. 3 *De testibus*, Callistratus I. C. ait: *Ideoquæ Divus Hadrianus Vibio Varo Legato provincia Ciliciæ rescripsit.* Hic Vibius Varus imperante Hadriano, A. V. 887, Christi 134, fuit Consul, collega Julio Serviano III, ut ex vetustis Inscriptionibus ostendi p. 80 Epi-

Epistolæ Consularis. Item lib. 50 Digesti. *L. 2 de jure immunit.* Ulpianus laudat rescriptum *ad Vinidium Rufum Legatum Cilicie.* Vinidii Rufi, imperantibus Severo ac Caracalla, Phœnices Legati Inscriptionem superius exhibui. Carus Imperator antea *Proconsul Cilicie* inscribitur in epistola apud Vopiscum cap. 4 de vita ejusdem. In vetustis Inscriptionibus Gruteri pag. 1102, 9 laudatur quidam Haterianus LEG. AVG. PR. PR. PROVINC. CILIC. Itaque antiquitus jam inde ab imperio Hadriani ac successorum, unus Legatus Augusti pro prætore universam Ciliciam administrabat. In eodem volumine pag. 442 laudatur T. Varius Clemens *Procurator Provinciarum Belgica, utriusque Germania &c. CILICIAE.* Quod Germania erat duplex provincia, videlicet superior & inferior, Varius dicitur utriusque Germaniæ Procurator; cum vero Cilicia sine ulla distinctionis nota recitetur, unica tantum erat civilis provincia. Ita quod Hispania in Bæticam, ac Tarraconensem sive citeriorem dividebatur, Legati hujus secundæ passim in vetustis elogiis inscribuntur Præsides H. C. nempe *Hispania citerioris.* Præterea in Actis passionum Sanctorum Martyrum plures Ciliciæ rectores nominantur, nec uspiam duplex Cilicia indicatur. In actis SS. Tharaci, Probi, & Andronici, quæ Græca nuper edidit summæ eruditionis vir idemque veterum MSS. codicum indagator solertissimus, Emericus Bigotius, Numerius Maximus Præsides Ciliciæ legitur. In actis S. Zenobii die 30 Octobris dicitur Lysias a novo Imperatore Diocletiano præses in Ciliciam missus, qui apud Mopsuestiam & Ægas Christianos suppliciis addixit. Maximianus ejusdem Ciliciæ administrator legitur in actis S. Sozontis, qui die 7 Septembris Pompejopoli martyr occubuit; uti & Simplicianus in actis S. Bonifacii & sociorum. Nusquam vero in tot vetustis monumentis Ciliciæ *prima* aut *secunda* vestigium occurrit. Denique in Cod. Theodosiano extant constitutiones Imperatoris Constantii *L. 24 de Appellat.* cum titulo: *Procopio Præsidi Cilicia;* & rursus *L. 1 de inoffic. dotibus, ad Maximum Præsidem Cilicia,* & a Valente Augusto *L. 5 de Susceptor.* semel & iterum *Præsides Cilicia* nominatur. Cum vero idem Valens Cappadociam in duas provincias dissecuisset, uti tradunt

dunt S. Gregorius Nazianzenus Orat. 20 de laudibus Basilii Magni, ac Gregorius presbyter in vita ejusdem Nazianzenis, tum primum nomina *Cappadocia prima*, ac *Cappadocia secunda* audita sunt. Quæ vocabula *prima* ac *secunda* Hadriani sæculum plane ignoravit. Nam id temporis Germania *superior*, & *inferior*, uti etiam Pannonia ac Mysia; vel Armenia *major*, & *minor* dicebantur. At exemplo Valentis divisio postea Cilicia, majori Syria, Phœnice, ac Palæstina, harum singulæ *prima* ac *secunda* nominibus nuncupatæ sunt, quæ Latinæ voces tum primum usurpatæ, Romanum sermonem jam in barbariem inclinatum ostendunt. In veteri Notitia provinciarum Imperii, quam superius appellavi, hæc leguntur:


ORIENTIS PROVINCIAE X.

1. Syria Cilicia (lege Coele) in qua est Antiochia.
2. Syria Palæstina. 3. Syria Phœnice. 4. Isauria.
5. Cilicia juxta montem Taurum. 6. Cyprus.
7. Mesopotamia inter Tigrim & Euphratem.
8. Euphratesia. 9. Osdroene. 10. Saphane.

Hæc Notitia, imperante Theodosio Magno, scripta colligitur, quod inter octo provincias Ponti nominatur *Honorias*; & inter sex Egyptiacas recensetur *Arcadia*, quam de nomine Arcadii filii Theodosius nuncupaverat, cum ab altero juniore filio Honorio priori *Honorianos* nomen imposuerit. Porro in eo indice tres Syriarum provinciæ appellantur, uti una etiam tantum Cilicia. Imo cum inter Ponti provincias unica etiam *Cappadocia* memoretur, facta antea ab Ariano Imperatore ejusdem divisio, Theodosii decreto reprobata videtur. Hæc omnia firmantur ex subscriptionibus Synodi Constantinopolitanae, quæ secunda inter Oecumenicas recensetur, quæve celebrata est anno Christi 381 ac tertio imperii laudati Theodosii. Nam ibidem sub titulo *provincia Coeles Syria*, primo loco subscriptus legitur *Meletius Antiochenus*, a quo quartus nominatur *Joannes Apameensis*, cujus postea urbis Episcopi fuerunt Metropolitæ Syriæ Secundæ. Episcoporum Phœniciæ primus subscribit *Zenon Tyrius*; ac dein quarto loco *Philippus Damascenus*. Rursus sub titulo *provincia Cilicie*, pri-

primus occurrit *Diodorus Tarsensis*; sub quo recitantur Episcopi *Mopsuestiensis*, & *Alexandrinus*, qui ambo postea sub Antistite Anazarbi Metropoli Ciliciæ Secundæ in Synodis referantur. Denique sub *Helladio Casariensi* Metropoli Cæsareæ in Cappadocia, tertio loco numeratur *Etberius Tyanensis* in una eademque Cappadocia Episcopus. Et sane laudatæ literæ Alexandri Patriarchæ Antiocheni, quibus S. Innocentio Papæ significat in sua Orientali diocesi *divisas imperiali judicio provincias*, palam demonstrant Ciliciam, ac reliquas proxime memoratas, ex quibus diocesis Orientis constabat, recenti decreto Arcadii Augusti in primas ac secundas partitas fuisse.

Præterea nec illis literis A M K in Anazarbi nummo obsignatis, eadem urbs Metropolis Ciliciæ secundæ indicatur. Equidem cum hæc ipsa in literas mitterem, Serenissimus Etruriæ Magnus Dux COSMVS III commodum mihi nummum ostendit sibi nuper Aleppo delatum, cujus hic iconem æri incisam appendo.



Est numisma primæ, uti vocant, magnitudinis, cujus anterior epigraphæ Latine vertitur: *Imperator Caesar Publius Licinius Valerianus Augustus*; & posterior: ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ ΕΝΔΟΧΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Anno CCLXXII. Vox Græca *ἐνδοχός* Latinis est *illustris*, *gloriosus*, *inclytus*. Procopius pag. 84 Hist. arcanæ vocat Anazarbum *ἐκτίφανεσάνην* *illustrissimam*. Justinianus Imperator in titulo edicti de fide post Synodum V dicitur *εὐσεβὴς*, *εὐτυχὴς*, *ἐνδοχὴς*: *Pius*, *Felix*, *Inclytus*; uti in Latinis aliis edictis inscribitur. Sex illæ urnæ cum ramo palmæ, significant certamina Actia, Pythia, aliaque, quorum

similia symbola in nummis passim occurrunt. Harduinus pag. 41 nummum Gallieni recitat apud Anazarbum percussum cum eadem Epocha ET. BOC. Anno CCLXXII, *ut sit*, inquit, *bis annus Gallieni primus*, Urbis Romæ MXII; Epocham enim Anazarbi initam docet A. V. Romæ 741. Hinc in altero nummo regio L. Veri retrorsus inscripto: ANAZAPBO. ET. BHP. Anno CLXXXII, ait *annum hunc plane incidere in annum urbis Romæ DCCCCXXII, M. Aurelii & L. Veri decimum: undecimo enim L. Verus obiit*; quod probat testimonio Capitolini. At vir clarissimus in initio Æræ Anazarbi deducendo plane deceptus est, ac perperam L. Vero undecim imperii annos attribuit, cum ille nondum exacto anno nono principatus obierit. Hoc uno & altero amplissimo testimonio obiter demonstrabo. Exstat nummus apud Vaillantium pag. 81 partis prioris de nummis Imperatorum, antèrius inscriptum: M. AVR. ANTONINVS AVG. P. M. TR. P. XXIII; & retrorsus: DIVVS VERVS. S. C. cum L. Veri capite sine laurea. Marcus Aurelius A. V. Romæ 922, Æræ Christi 169 inivit TR. Pot. XXIII, ut patet ex pluribus ejusdem nummis in erudito opere Illustrissimi Comitæ Mediobarbi a pag. 221. Cum autem L. Verus imperium inierit A. V. 914, Christi 161, Tribuni- ciæ potestatis M. Aurelii XV, ut ex utriusque nummis dudum ab eruditis probatum est, quod ex duabus etiam Inscriptionibus cap. 3 de votis Decennalibus demonstravi, patet eundem L. Verum, anno nono imperii vita defunctum, in Superos a collega Marco relatum, priusquam huic exiret annus TR. P. XXIII. Præterea ex- tat rescriptum ejusdem Imperatoris M. Aurelii lib. 3 Cod. tit. 31 de petit. L. 1, in cujus titulo legitur: *Imp. M. Aurelius Antoninus Au- gustus Angurino proconsuli Africa*, & statim: *Senatus consultum, auctore Divo Hadriano a d. meo & c.* & signatur: *Propositum VI, Kal. Februarias, Claro & Cestego Coss.* Hi Consules in Fastis prænotan- tur anno urbis Romæ 923, Christi 170, quo C. Serius Augurinus post consulatum gestum A. V. 909, Christi 156, proconsulatum suo tempore sortitus, Africam administrabat. At eo anno Christi 170 die 27 Januarii paulo antea mortuo Vero Augusto collega, u- nus imperabat M. Aurelius, cujus solius nomen laudato rescripto præ-

præfigitur; cum vivente Vero, utriusque Augusti nomina una simul prænotarentur; quod postea etiam semper observatum fuit, cum plures essent simul collegæ Imperatores. Hinc libro 2 Digest. *L. 37 de pactis*, ac *L. 3 de transact.* & alibi in titulis legimus: *Imperatores Antoninus & Verus*; sive: *Divi fratres*, uti lib. 1. Cod. *L. 2 & 3 de aen. lib.* & in lib. 48. Digest. *L. 26 & 27 de pænis*. Cum vero memoratum rescriptum, ab uno M. Aurelio emissum, die 27 Januarii in Africa propositum fuerit, ac L. Verus apud Altinum Veneretorum urbem obierit, ejusdem mors contigit mense Decembri A. V. 922, Christi 169, imperii ejusdem nono. Galenus qui id temporis erat in comitatu Imperatorum, Cap. 2 de libris propriis, & cap. 9 de præcognit. ad Postumum scribit L. Verum *mediabienne* imperandi ac vivendi finem fecisse.

Alter error Harduini in statuendo initio Æræ Anazarbi patet ex delineato Imperatoris Valeriani numismate, in quo obli- gnatur annus ejus Urbis BOC, *ducentessimus septuagesimus secundus*. Quare non unus tunc Gallienus imperabat, patre Valeriano apud Persas captivo, ut ille scriptor imaginatur. Equidem ex duabus literis RR, quæ in superiori parte areæ ejusdem nummi visuntur, facile caput Epochæ Anazarbi assequeremur, si ipsius Harduini nobis opinio probaretur. Nam idem quod vulgo etiam Antiquarii putant, tradit literam R esse L inversam, quæ annum significet. Itaque pag. 41 nummos Anazarbi exponens, ait: *Sed L, qua λυαβας signatur, inversa in hunc modum R*. Et rursus pag. 486, in priori nummo Caracallæ apud Tarsum percussio cum literis RB, ait: *Hoc est, λυαβατος β. anno secundo; est enim Latina forma, ut solet, inversa litera L*, quæ ibidem repetit in nummo Pupieni. Hinc juxta vulgarem hanc opinionem duplex RR annum tertium imperii Valeriani indicaret, qui cœpit A. V. Romæ MVIII, Christi 255; & cum in nummo laudato jungatur cum eodem annus 272 Æræ Anazarbi, hujus initium deduceretur ab A. V. Romæ DCCXXXVII. Ipse tamen eam opinionem de litera R, quæ nempe sigl. inversa annumque designet, jamdiu ex nummis falsam judicavi. Hoc antequam ostendo, operæ precium duxi aliqua de literæ L in Græcorum nummis significatione præmittere.

Nam Scaliger lib. 3 de emend. Temp. pag. 452 ac in notis Eusebianis num. 2194 contendit ea litera L *Lustrum* significari; ubi etiam ait: *Magnam in scitiam suam aperuerunt, qui λυκάβαλλα interpretantur*; quam etiam *joculari* opinionem irrisionis gratia appellat. Petavius lib. XI doct. Temp. cap. 20 Scaligeri interpretationem refellit, quod in nummis Neronis legitur L. I. & L. IΓ. ac L. IΔ. aitque: *Hæcine lustra sunt X. XIII & XIV?* quæ pariter in Antonini Pii nummis notat, in quibus est L. IΓ. & L. KA. Et concludit: *Ergo litera L non lustra, sed aliud quippiam designat, quod annum sit, nisi annus ipse magis intelligitur.* Verum laudati nummi Scaligeri interpretationem neutiquam profligant; siquidem facile reponeret, eos nummos a diversis urbibus scalptos, recurrentibus apud easdem lustris numero diversis, cum illa lustra apud singulas non ab uno eodemque anno initium duxerint. Casaubonus ac Carolus Dufresnius, ut ex epistola Illustrissimi Abbatiss Nicassii Parisiis ad me perscripta intellexi, putant L in nummis non quidem literam esse, sed circumductionem sive notam, διπλῆς, qua priores literæ a posterioribus distinguantur. Quidam etiam negant L esse literam in nummis Græcorum, cum A apud ipsos scribatur, alia vero L sit majorum una litera apud Romanos.

In primis, ut ab hoc postremo incipiam, literam L loco A apud Græcos antiquitus adhibitam prodit prolixior Inscriptio Atheniensis apud Sponium Sect. X Miscell. pag. 315, ubi pro Græcorum A semper L apparet; uti & in altera Inscriptio Gruteri pag. XX, 1. Cum vero Græci literam A invenissent, veteri L ad annum tantum designandum uti potuerunt, qua nempe λυκάβας indicaretur. Macrobius lib. 1 Satur. cap. 17 ait: *Annum quoque vetustissimi Græcorum λυκάβαρρα appellant.* Initio Inscriptio Gruteri pag. MXXXVI, 9 legimus:

ΕΒΔΟΜΟΝ ΕΙΣ ΔΕΚΑΤΟΝ ΤΕ ΒΙΟΥ ΑΥΚΑΒΑΝΤΑ ΠΑΡΟΝΤΑ

Septimus ac decimus vitæ dum labitur annus.

Et in altero epitaphio pueri Herophili, quod cum ducentis ac quinquaginta aliis vetustis Inscriptioibus in patrio Urbinate Museo

feo V. C. Raphael Fabrettus vetustatis servandæ, posteritatis vero instruendæ gratia, collocavit, breve memorati pueri vitæ spacium describitur.

ΕΠΤΑ ΜΟΝΟΥΣ ΑΤΚΑΒΑΝΤΑΣ ΔΥΟ ΚΑΙ ΜΗΝΑΣ ΕΖΗΣΑ

Septem annos mensisque duos mihi vita cucurrit.

Cur vero apud poetas annus *Λυκάβας* & *Πλείων* dictus fuerit, ex Artemidoro, Eustathio, ac Suida pluribus tradit Hadrianus Junius initio tract. de anno & mensibus. Antiquarii dudum vulgo putant in nummis L, quæ vetusta etiam fuit apud Græcos litera, *λυκάβαντα*, id est, *annum* exprimi. Extat in celeberrima Bibliotheca Serenissimi Magni Ducis Etruriæ ad D. Laurentii, in Pluteo XXVIII vetus codex signatus num XIV, in quo diversi tractatus Astronomici leguntur. In eo autem codice in averſa pagina 13 ante finem quædam compendiose scribendi notæ sub hoc titulo ponuntur: *ἐξέφων δῆλωσις τῶν σεσημειωμένων: aliarum notarum declaratio*; has inter legitur L L ἔτη, id est, *anni*. Illud volumen notatur ibidem fuisse Angeli Politiani ex codicibus Comitis Joannis Pici Mirandulani, qui *ingeniorum Phoenix* dictus est. Uti vero plures compendiarie notæ, quæ ibi exponuntur, Latinarum formam non præferunt, ita existimo apud Ægyptios annum nota L designatum fuisse, qua postea proximi Syri usi sunt; siquidem in nummis in Ægypto sculptis, litera L ante annos imperii Principum posita frequentissime occurrit. Porro sæpe in iisdem ita formatur, ut inferior linea ejus notæ L longius protracta, literas numerales annorum veluti intra se claudas, quod in pluribus nummis observavi, ac in Othonianis visitur apud Seguinum cap. 4 num. XV, Equitem Patinum pag. 114 Thesauri Mauroceni, aliosque Numismatum interpretes. Hinc L compendiarie potius notæ, quam cujuscumque literæ rationem habere mihi videtur; quamvis a Monetariis etiam nitidioris formæ gratia, uti Latinarum L, sculpta fuerit. Si enim *λυκάβαντα* eadem designare voluissent, cur non initiali litera Λ usi fuissent, sed potius L litera ab omnibus Græcis jamdiu antiquata, cujus vix unam & alterum tantum exemplum in tot Inscriptionibus Græcis hactenus vidimus?

mus? Ceterum utro modo L explicetur, certum est ea nota annum significari. In nummis Imperatoris Vitellii Mediceis cum capite Serapidis apparent L. A, uti & in alio cum capite Isidis, utrobique A majori litera intra L clausa. Item in quatuor nummis Othonis pag. 114. Thesauri Mauroceni eadem litera eadem pariter figura expressæ exhibentur a V. C. Patino. Nempe quod neuter Augustus biennium imperii attigit, eadem A tantum, quæ nota est unitatis, in ipsorum nummis apparet; in aliorum vero Cæsarum nummis post notam L numerales literæ nunquam annos imperii eorundem excedunt, quo evidenti argumento colligimus eadem nota annos principatus Cæsarum demonstrari.

Scaligeri opinio, sua illi verba reddo, jocularis ejusdem hac in re inscitiam ostendit. Vnico sed locupletissimo testimonio hominis commentum profligabo. Nam proxima Dissert. IV cap. § 1 e Cimeliis Mediceis nummum Augusti profero apud Sidonem sculptum cum notis L. ZIP. ac præterea binos Trajani nummos a Sidoniis pariter percussos, in quorum uno sunt notæ L. EKC. in alio vero L. ZKC. Porro Augustus obiit A. V. Romæ 767, Trajanus vero A. V. 870. Enimvero si in laudato Augusti nummo litera *L. lustrum* indicat, fuisset illud apud Sidonios lustrum ZIP, CXVII; in nummis autem Trajani signarentur lustra CCXXV & CCXXVII, ac proinde ab imperio Augusti ad annos principatus Trajani centum ac decem plane lustra Sidone peracta fuissent, quæ dant annos 550; cum tamen ab obitu Augusti ad mortem Trajani tres tantum supra centum anni numerentur. Idem demonstrari posset ex nummis Tyrionum quos superius pag. 63 delineatos produxi. Nam in nummo Antiochi Epiphanis legitur: ΤΥΡΙΩΝ. ΑΜΡ. in altero vero Demetrii Soteris: ΤΥΡΙΩΝ. ΛΗΝΡ. In priori signatur annus Epochæ Seleucidarum CXLVII; in altero vero cum nota L annus ejusdem Æræ CLVIII. Antiochus Epiphanes regnum Syriæ obtinuit anno ab urbe Roma condita 578, quo acta est Olympias CLI, quivæ fuit Æræ Seleucidarum *centesimus trigessimus septimus*, ex lib. 1 Maccab. cap. I, 11. Demetrius Soter regnare cœpit A. V. 592 tertio Olympiadis CLIV; Æræ autem Seleucidarum centesimo quinquagesimo primo, ex eodem lib.

lib. i Macc. cap. VII. Cum vero constet in utroque nummo Tyriorum obsignari annos regni Seleucidarum, falsa est Scaligeri interpretatio notam L pro lustro accipientis. Altera quoque expositio Casauboni ac Dufresnii refellitur, nempe quod $\Delta\pi\lambda\tilde{\eta}\varsigma$ rationem habeat, cujus interventu insequentēs literæ ab antecedentibus distinguantur. Nam in nummis Cæsarum in Ægypto sculptis, in posteriori eorundem parte sine ulla Inscriptione, hæ notæ apparent: L. A. & L. B. &c. item L. IA. & L. IB. &c. juxta numerum annorum imperii Cæsarum, cujusmodi nummi Hadriani ac Antonini Pii innumeri plane in Cimeliis prostant, ubi nota L nullas priores a posterioribus literis distinguit; sed uti notabam, inferiori sua linea transversaria in longius ducta, insequentēs numerales literas intra se complectitur. Præterea $\Delta\pi\lambda\tilde{\eta}$ est nota trigoni obliqui figuram habens citra basim, cujus figuram inferius Dissert. IV cap. § 4 in nummo Dororum sculptam exhibeo; & occurrit in MSS. comœdiis Aristophanis, ut ea nota interlocutorum verba distinguantur. At in nummis nota L transversariam lineolam rectam, non autem obliquam aut decussatam habet, ut nullam plane $\Delta\pi\lambda\tilde{\eta}\varsigma$ figuram præferat. In nummo Domitiani Mediceo, retrorsus cum Aquila alis expansis globo insistente, legimus: ΕΤΟΥΣ ΤΡΙΤΟΥ, *Anno tertio*; in alio vero Antonini Pii in iisdem Cimeliis, cum figura muliebri dextra bilancem, sinistra copiæ cornu tenente legitur: L. ΤΡΙΤΟΥ. Illa ergo nota L ponitur loco ΕΤΟΥΣ, annumque in nummis significat.

Uti vero isthæc notæ sive literæ L interpretatio omnibus jam rei nummarie antiquæ studiosis legitima ac certa censetur, ita altera Harduini aliorumque recentium Scriptorum expositio, qua literam Γ in nummis sculptam ante Β aut Γ, esse literam L inversam imaginantur, ac annum pariter eadem indicari putant, non dicam, dubia, sed prorsus falsa mihi esse videtur. In ditissimo Serenissimi Magni Ducis Etruriæ Cimeliarchio plures id genus nummos observavi. Nam visitur in eodem numisma primi moduli Antonini Caracallæ cum epigraphe: ΑΤΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΚΕΥΗΡΟC ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CEB. Π. Π. *Imperator Cæsar Mar-*

cus Aurelius Severus Antoninus Augustus, Pater Patria. In postica parte in gyro: ANTΩNEIANHC CETH. AΔP. MHT. cum Leone, supra quem intra aream nummi sunt literæ AMK; & in inferiori circulo: TAPCOT, & subtus FB. Rursus alius ibidem servatur ejusdem magnitudinis nummus cum recitata proxime Caracallæ Inscriptione; & in parte averfa prima vox una auctior syllaba scalpata est: ANTΩNEINIANHC; reliquæ voces priorè similiter. Supra Elephantem sunt literæ AMK, subtus: TAPCOT. FB. Quæ Inscriptiones Latine vertuntur: *Antoniniana, Severiana, Hadriana Metropoleos Tarfi.* Præterea tres maximi moduli Gordiani Augusti nummi in eadem Gaza servantur, quorum unus rarissimus anteriorem epigraphem præfert: ATT. KAIC. M. ANTΩNIOC ΓOΦΔΙΑNOC CEB. Π. Π. *Imperator Caesar M. Antonius Gordianus Augustus Pater Patria*, cum radiato ejusdem capite. In averfa parte visitur Amphitrite Oceani & Doridos filia, Neptuni uxor, quæ umbilico tenus muliebri forma scalpata est, cruribus duplicem piscem præfert, ab infra ventrem quatuor fant monstra, cum epigraphe: TAPCOT MHTPOΠOΛEΩC. AMK. FB. In altero duæ figuræ stant, quarum una togata, altera stolata, dextras jungunt. Eadem epigraphe cum literis AMK. F. B. quæ omnia visuntur in tertio nummo cum Hercule dextra clavam, sinistra exuvias leonis tenente, adversus draconem tortuosum Hesperidum custodem. Præterea in iisdem Cimeliis Mediceis maximi itidem moduli nummus extat inscriptus: ATT. KAIC. M. ΚΑΩΔ. ΠΟΥΠΗNOC CEB. Π. Π. *Imperator Caesar M. Clodius Pupienus Augustus, Pater Patria*, & retrorsus cum figura dextra pilum, sinistra chypeum tenente: TAPCOT MHTPOΠOΛEΩC. AMK. FB. *Tarfi Metropoleos.* Rursus in alio nummo maximi moduli legitur inscriptio: ATT. KEC. (ita media illa litera est E) KAI A. BA ABEINOC CEB. capite laureato, ac pectore trabeato; *Imperator Caesar Calius Balbinus Augustus*; & in parte averfa: TAPCOT MHTP. Tres figuræ nudæ, intra quarum crura insertæ sunt literæ FB. & in extrema parte circuli inferius AMK. In nummo maximo Pupienî Maurocenor apud Equitem Patinum pag. 83 in postica parte cum laureatis trium proxime memoratorum Caesarum capi-

capitibus, legitur eadem Tarſi inſcriptio cum literis ſupra capita AMK, & ſubtus ΓΒ, quæ omnes pariter apparent in nummo Alexandri Severi apud Holſtenium pag. 313, & in altero Maximini apud laudatum Patinum pag. 83. Ex tot nummorum deſcriptione in magnam falſitatis ſuſpicionem venit recitata literarum ΓΒ expoſitio. Nam prodigio propius foret, Tarſum *anno* tantum *ſecundo* (ita ΓΒ illis exponuntur) imperii tot Auguſtorum nummos ſcalpiſſe; nullos vero cum literis ΓΑ, ſive ΓΓ, ΓΔ &c. omnes enim, exceptis Pupieno & Balbino, ultra biennium imperarunt. Imo cum duo illi collegæ Auguſti vix uno anno imperaverint, cur nulli eorundem nummi apud Tarſum cum notis ΓΑ ſcalpti ſunt, ſed omnes ΓΒ notas præferunt? Præterea in nummis Anazarbi viſuntur literæ tantum ΓΓ; næ illius urbis cives *anno* tantum *tertio* imperii Valeriani ac Gallieni nummos ſcalpiſſe putandi ſunt?

Nicolaus Toinardus vir acutiſſimi ingenii eximiæque doctrinæ, datis ad me literis, quarum eruditione non quidem doctior, ſed minus indoctus ſio, longe probabiliorem literarum ΓΒ & ΓΓ interpretationem indicavit. Nam ut in lapidum ac plurimum etiam nummorum Latinis Inſcriptionibus apparent literæ D. D. quæ *Decreto Decurionum* recte exponuntur, ita literæ ΓΒ in nummis Tarſenſium explicandæ ſunt, Γράμμασι Βουλῆς, *Decreto Decurionum*, ſive *Curia*, aut *Senatus*. In magno Etymologico legimus: Γράμματα καὶ τὰ Ψηφίσματα. Pſephiſma vero eſt publicum Civitatis decretum; quam vocem Latio donatam, non ſemel Cicero uſurpat in oratione pro Flacco: *Vellem, inquit, tantum habere otii, ut poſſem recitare pſephiſmata Smyrnaeorum, quæ fecerunt in Caſſitium mortuum. Primum ut in oppidum inferretur &c.* Quædam Athenienſium Pſephiſmata recitant Joſephus lib. 14 Antiq. cap. 16 & Laertius in Zenone. Ariſtoteles lib. 2 Polit. ait: κατὰ γράμματα ἀρχειν, *ſecundum leges imperare*. Itaque γράμματα leges, ſive publica decreta ſignificant, ac proinde literæ ΓΒ Latine ſonant, *Decreto Decurionum*. Extat in Gaza Medicea parvus nummus cum capite muliebri velato, ac inſcripto: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΒΟΥΛΗ, *Antiochenſium Curia*, ſeu *Senatus*. Pli-nius lib. 10 ep. 113 petit a Trajano, num his, qui *Buleuta* leguntur,

solvenda sit pecunia; cui respondens Imperator, eosdem *decurionatus* candidatos appellat. In nummis autem Anazarbi literæ ΓΓ laudato Toinardo exponuntur: Γράμματι Γερουσίας, *Decreto Senatus*. In veteri Inscriptione apud Sponium Sect. X Miscell. pag. 357 legitur:

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΚΑΙ Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ

Decuriones, & populus, ac Senatus.

Nummus etiam apud V. C. Harduinum pag. 210 habet: ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ ΓΕΡΟΥΣΙΑ, *Hierapolitarum Senatus*. Itaque auctore Toinardo in nummis Tarsensium literæ ΓΒ *Decreto Decurionum*, aliæ vero ΓΓ in delineato mihi nummo Anazarbi, quæ urbs in Cilicia licet inferior, æmulationem tamen cum Tarso exercebat, *Decreto Senatus* significant; quarum literarum exponendarum gratia, longius div verticalum feci.

Jam redeo ad Epocham ΒΘC in eodem Anazarbi nummo signatam, quæ dicitur Harduino in explicatione nummi Gallieni pag. 41 inita *circiter A. V. 741, Augusti principatus XXXI, post Actiacam victoriam XIX, ut sit hic annus*, videlicet Anazarbi CCLXXII, Gallieni primus, Urbis Roma MXII. At nummus Mediceus falsos Harduini calculos redarguit; etenim etiam Valerianus Augustus eodem anno Anazarbensium BOC, *ducentesimo septuagesimo secundo* imperabat. Nullus dubito quin Epocha Anazarbi fuerit Augustana, cœpta A. V. Romæ 734, quo testibus Dione lib. 54 ac Josepho lib. 15 Antiq. cap. 13 Cæsar Augustus ex Asia proconsulari in Syriam perrexit, M. Apulejo, P. Silio Coss. Cum vero eo anno Augustus Ciliciæ quoque urbes optimis legibus, uti ceteras quoque, instruxisset, ac illas inter Anazarbum pluribus beneficiis ornasset, cives novam in honorem Augusti Urbis suæ Epocham instituerunt. Jam vero si ab A. V. Romæ 734 numeres annos CCLXXII in Anazarbi nummis ob signatos, horum postremus a parilibus decurrebat usque ad autumnum cum A. V. Romæ sexto supra millesimum, ac primo imperii Imperatorum Valeriani ac Gallieni, qui fuit Æræ Christianæ 253, cum annum proximum iidem Augusti Consules aperuerint.

Denique in inferiori parte delineati Anazarbensium nummi,

mi, visuntur literæ AMK, quæ in septem etiam nummis Tarsensium e Gaza Medicea descriptis, aliisque apparent. Tristani interpretantis A Maniticam Kiliciam commentum docti quique exploserunt. Petrus Fittonis insignis Antiquarius, quem laudat Seguinus in epistola ad nobilem virum Franciscum Gottifredum, in indice, quem contexuit, Cimeliarchii Medicei, in nummis Tarsensium eas literas AMK interpretatur: *Πρώτης Μητροπόλεως Κιλικίας*: *Prima Metropoleos Cilicia*; quam expositionem Holstenius, qui Fittoni indicem legit, ut pleraque alia inde exscripta, suis in Stephanum notis inseruit pag. 313. Ita Sardis apud Seguinum pag. 22 dicitur *Asia, Lydia, Græcia* & *ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ, Prima Metropolis*. Cum vero eadem literæ AMK in nummis etiam Anazarbi sculptæ sint, *videtur*, inquit Holstenius pag. 33, *de primatu contentisse cum Tarso*, quam quidem puto germanam earum literarum interpretationem. Aliam tamen expositionem V. C. Harduinus excogitavit; siquidem ne contentiones de primatu Tarsum ac Anazarbum induceret, rem, uti prædixi, ita composuit, ut utraque fuerit metropolis prima, sed diversarum provinciarum; nempe Tarsus in Cilicia prima: in secunda Anazarbus. At hic mihi, ut Ciceronis in oratione pro A. Cluentio verbis utar, *nummarius interpres pacis & concordia non probatur*; nondum enim facta erat Ciliciæ in Primam & Secundam divisio, quam post ducentos annos & quod excurrit Arcadius, Augustus induxit, ut densatis veterum monumentorum testimoniis proxime demonstravi. Addo antiquiorem testem Dionem in oratione 34, quæ est Tarsica posterior, ubi hortatur Tarsenses, ut se benevolos ac mites erga alias provinciarum urbes præstent, *quod, inquit, majus est, quam esse penes vos, inque foro vestro judicari*. *Hæc enim haud ullam prorsus præstant utilitatem; neque enim si hæc ad sacrificium occurrunt Adanenses vel Aegætes &c.* Ex his colligo imperante Trajano, tum Adanenses qui M. P. XXVII Tarso distabant, tum etiam Aegætes, qui erant Syriæ proximi, ad forum Tarfi spectasse. Cicero lib. 3 famil. ep. 6 ad Claudium Pulchrum Ciliciæ proconsulem scribit: *Qui te forum Tarfi Agere, discernere, judicare dicerent*. Plinio lib. 5 cap. 27 *oppidum Aega liberum* vocatur; quamvis ejusdem cives Tarsum a Cilicia præside evocarentur. Tacitus de Corbulone scribit lib.

13, *Apud Aegas civitatem Cilicia obvium Quadratum*, Syriæ Præto-
 rem, *habuit, illuc progressum, ne, si ad accipiendas copias Syri-*
am intravisset Corbulo, omnium ora in se verteret. At si Ægeates ad
 communia Ciliciæ sacrificia facienda, teste Dione Chrysostomo,
 Tarsum conveniebant, intra unam eandemque Ciliciam id tem-
 poris censebantur. Nam uti proxima Dissertatione notabam,
 in provinciis communibus urbium suffragiis primi earundem
 Pontifices creabantur, qui publica totius provinciæ sacra ac mu-
 nera curabant, ac vulgo Asiarchæ, Syriarchæ &c. dicebantur. In
 Latinis Actis S. Tharaci & sociorum apud Tarsum martyrum scri-
 bitur: *Numerius Maximus Proconsul Cilicia, advocans Terentia-*
num Sacerdotalem Cilicia, jussit ei sequenti die munera edenda cura-
re. In nupera Græca editione doctissimi Bigotii legimus *Ῥαγε-*
τιανὸν Κιλικάρχην. Is erat Cilicarcha, id est, sacerdos publicus ab
 urbibus Ciliciæ creatus. Nummus Tarsensium cum templo re-
 trorsus inscriptus: ΚΟΙΝΟΝ ΚΙΛΙΚΙΑΣ: *Commune Cilicia*, ea
 ejusdem provinciæ sacra indicat apud Harduinum pag. 487. Cum
 ergo Ægenes ad publica sacra apud Tarsum convenirent, illuc
 quoque Anazarbenses, qui Tarso erant proximiores, se contulisse
 putandi sunt. At Cilicia ab Arcadio Augusto divisa, Ægenes
 fuerunt sub Anazarbo Ciliciæ Secundæ metropoli. Hinc Ana-
 zarbus cum primum metropoleos nomen obtinuit, nullius pecu-
 liaris diœceseos Ciliciæ caput evasit, sed honorario tantum me-
 tropoleos titulo donata fuit, uti etiam Nicæa in Bithymia, Sidon
 in Phœnice, ac Laodicea in Syria superiori. Philippus Labbe
 tom. 2 Concil. ult. edit. Parisiensis a pag. 54 post eas, quæ vulgo
 apponuntur Synodo Nicænæ, subscriptiones, exhibet, ut ipse
 ait, *nomina quorundam Patrum magna illius Nicænæ Synodi ex charta*
Niliaca, quam ferunt fuisse antiquissimam apud Joannem Sambucum.
 Porro eos inter Patres nominatur ibidem Stephanus Episcopus
 τῆς Αναζαρβέων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Κιλικίων ἐπαρχίας:
Anazarbensium metropoleos Secunda Cilicium provincie. Ex his vi-
 detur Cilicia jam ante Synodum Nicænam ac imperium Constan-
 tini Magni divisam fuisse in Primam ac Secundam. At miror Lab-
 beum non observasse omnes illos Episcopos, quorum subscriptio-
 nes

nes Nicæno Concilio affingit, trecentesimo ac quinquagesimo quinto anno post Nicænam Synodum vixisse, æ interfuisse Synodo VI Oecumenicæ anno Christi 680 apud Constantinopolim sub S. Agathone Papa celebratæ. Nam tomo 6 Conciliorum pag. 1060 editionis ipsiusmet Labbei, leguntur omnia ea Episcoporum nomina, quæ in illa Niliaca charta memorati dicuntur; ubi & eorandem urbes recte describuntur, quæ in eadem charta Ægyptia erratis characteribus leguntur. Ex plurimis unam hic subscriptionem recitabo. In ea charta nominatur Theopemptus Episcopus *ἱερωπολίτων ἤτοι Μωκρασίωνων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Καππαδοκίων ἐπαρχίας: Justinopolitarum sive Mocrasinorum metropoleos secunda Cappadocium provincia.* At in Synodo VI recte idem Theopemptus dicitur Episcopus *ἱερινιανοπολιτῶν ἤτοι Μωκισσηνῶν μητροπόλεως δευτέρας τῶν Καππαδοκίων ἐπαρχίας: Justinianopolitarum sive Mocisinorum metropoleos secunda Cappadocium provincia.* Equidem Labbeus ex nomine etiam errato *Justinopolis* facile poterat intelligere imperante Constantino, nullam urbem id nomen tulisse, quod a Justino Augusto licet erronee derivabat. At fuit ea urbs Justinianopolis antea Mocisus in Capadocia secunda, cui Justinianus Imperator *metropolisana jura dedisse* dicitur in Synodo V Collat. V. In illis autem subscriptionibus Synodi VI legitur pag. 1061 Stephanus Episcopus *Ἀναζαρβείων μητροπόλεως τῆς δευτέρας τῶν Κιλικίων ἐπαρχίας: Anazarbensium metropoleos Secunda Cilicum Provincia.* Justinianus in edicto contra tria Capitula, arguens falsitatis eos qui contendebant, S. Gregorium Nazianzenum scripsisse epistolam ad damnatum in Synodo V Theodorum Episcopum Mopsuestiæ, quæ reapse ad Theodorum Thyansensem missa fuerat, ait: *Et quos Episcopos sub se habere poterat Mopsuestenus Episcopus, cum ipse sub Metropolitano Secunda Cilicie constitutus esset?* Gregorius Nazianzenus obiit Theodosio seniore imperante; unde ante imperium Arcadii Cilicia duas in provincias partita fuerat. Verum Justinianus ejusque Assessores de Cilicia locuti sunt, uti sua ætate ac diu antea divisa erat. Cum enim in laudato Concilio C-P. Theodosio imperante, Olympius Episcopus Mopsuestiæ, ac proximus Theo-

Theodori decessor, sub uno totius Ciliciæ tunc Metropoli tã Diodoro Tarsensi subscriptus legatur, modo veræ sint illæ subscriptiones, nondum duas in provincias Ciliciæ distincta fuerat, quæ tamen divisio contigit eodem Theodoro paulo post apud Mop-suestiam Episcopo.

Hactenus mihi disputata ex altero Anazarbi nummo novam lucem accipiunt. Extat ille in ditissimis Regis Christianissimi Cimeliis, cujus typum ichthyocola formatum accepi.



In antica parte visitur caput Imperatoris Maximini cum epigra-pha: ΑΥ. Κ. Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟC CEB. *Imperator Caesar Gajus Julius Verus Maximinus Augustus*. In altera nummi parte Imperatori in equo decurrenti, Victoria coronam offert cum Inscriptiōe: ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ ΔΟΞ. ΜΗΤΡΟΠ. cum literis in area superiori ΒΓ, & inferius ΕΤ. ΕΝC. In indice regio epitheton ΕΝΔΟΞΟν omissum est. In typo vero transmissio ante vocem ΜΗΤΡΟΠ, visuntur clare literæ ΟΞ, cum addito puncto, quarum posterior ζ eodem plane modo formata est, quo altera in antica parte secundam Μαξιμεινός syllabam inchoat, & in descripto superius Anazarbi nummo Mediceo pulcherrimo ac nitidissimo apparet. Et quidem cum post syllabam ΟΞ, punctum sequatur, patet eidem voci aliquas literas compendii gratia esse subtractas, ac integram vocem ΕΝΔΟΞΟΥ exprimere, nempe: *Anazarbi inclita Metropoleos*; quod epitheton suis in nummis Anazarben-ses scalpsisse, idem Mediceus nummus ostendit. In subscriptionibus Concilii a S. Flaviano Constantinopoli contra Eutychem

tychem celebrati, quod recitatur Act. I. Synodi Chalcedonenſis, idem Flavianus dicitur Antistes τάμης τῆς ἐνδ' ὄρου πάλειος, *huius inclytæ civitatis*, quæ rursus ibidem repetuntur ab Aetio Diacono Synodi Notario. Binæ illæ literæ in area superiori nummi ΒΓ, Βελλῆς Γράμμασι, expoſui pag. 310 *Senatus* ſive *Decurionum decreto*. Verum alteram literam Γ aptius, eadem tamen ſignificatione, Γνώμη exponendam monuit doctiſſimus Toinardus. Nam in oratione Demosthenis de Corona recitatur πλεψιſμα, quod dicitur conditum Heropytho Archonte, die 6 Elaphebolionis deſinentis, nempe 25 ejus menſis, Βελλῆς καὶ στρατηγῶν γνώμη, *Senatus ac Prætorum decreto*. Uti ergo in Latinarum Coloniarum nummis binæ literæ DD occurrunt, id eſt, *Decurionum decreto*; ita in pluribus Tarſi ac Anazarbi nummis obſignantur literæ ΓΒ, vel ΓΓ, quæ exponuntur: Γνώμη Βελλῆς, vel Γνώμη Γερουσίας, *decreto decurionum*, vel *decreto Senatus*. Denique in inferiori parte laudati numiſmatis legitur: ΕΤ. ΕΝC. Anno CCLV. Prior quidem nota numeralis Ε licet obtuſa ſit, ſui tamen veſtigia prodit, ut qui nummum regium inſpexere, teſtantur. Epocha Anazarbi erat Auguſtana, inita A. V. Romæ 734, ac proinde annus ejusdem 255 deſiit ſub autumnum A. V. Romæ 989, Chriſti 126, ipſomet Imperatore Maximino & Africano Conſulibus, quo anno idem Maximinus Germaniam ultra CCCC. M. P. legionibus penetrans, eandem longe lateque vaſtavit. Hinc captivus ille ſub equo in Nummo ſignatus Germanos victos indicat, ac victoria Germanica ibidem exprimitur,

Antequam ex Cilicia in Syriam revertar, juvat obſervare nummum Juliæ Mamææ, quem Triſtanus tom. 2 pag. 431 in poſteriori parte ita inſcriptum proferat: ΑΙΓΕΩΝ ΜΕΤΡΟ. Θ., & in area viſitur litera Ο ſupra C: quem ille nummum ad Ægas Achaiæ refert. Harduinus ita in eodem legit: ΑΙΓΙΕΩΝ ΜΕΤΡΟ. COΘ. nempe: *Aegiensium Metropoleos*. Anno CCLXXIX. ac Ægis in Æolide nummum *verius* adſcribendum putat. Illum tamen dubio procul ad Ægas in Cilicia urbem, proxime mihi laudatam, referendum cenſeo. Extat in Gaza Medicea hic Diadumeniani Cæſaris nummus.



Prioris partis Inscriptio Latine vertitur: *Marcus Opellius Antoninus Caesar*; qui Imperatoris Opellii Macrini filius fuit; posterior vero epigrapha est: *Macrinupoleos.... Aegensium*. Epocha in superiori parte area $\Delta \equiv C$, indicat *Annum CCLXIV*. Joannes Harduinus pag. 19 huic geminum ejusdem Caesaris nummum e Gaza regia recenset, cum eodem Caprae sylvestris symbolo, quam Graeci *ovya* vocant, unde & nomen ac insigne Aegarum derivat. Inscriptionem vero hanc profert: $\Lambda \Gamma \Lambda \Gamma \Omega \Sigma \dots \text{ΜΑΚΡΕΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ}$. In Mediceo numismate vox media postrema parte deficit. Patinus quidem pag. 131 Indicis Mauroceni legit: ΜΕΤΡΠΘΕ , quod vocabulum nihil plane significat. Uti vero Anazarbus in nummo proxime exposito dicitur *εινδοξος* *in chlyta*, sive *gloriosa*; ita ea detrita vox speciale quoddam Aegarum epitheton significat, et melius scalpitis nummis investigandum. Hinc patet Tristhanum eam vocem falso ΜΕΤΡΟ . nempe *Metropolim* restituisse; nusquam enim ea urbs in nummis metropolis nuncupatur. Harduinus pag. 18 e regio Cimelio nummum alium profert Alexandri Severi inscriptum: $\Lambda \Gamma \Lambda \Gamma \Omega \Sigma \text{ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΛΙΣ}$. Et proxime notat hanc urbem ab Alexandro Magno conditam fuisse ex Chronico Alexandrino ad annum alterum Olympiadis CXIII, quam urbem in *Aeolide* sitam tradit. Hinc ait: *Uti nempe ab Alexandro Magno Αλεξανδρούπολις*, sic a Macrino, *Diadumeniani* patre, *Μακρεινέουπολις Aegensium* urbs cognominata est. Idem vero Aegensium Epocham ait initium habuisse post acceptum a Julio

lio Cesare, uti remur, jus civitatis aut libertatis, anno Urbis DCCVII,
cum per Asiam iter faciens, Pharnacem Bospori regem bello peteret. In
 his Harduini verbis plura hic mihi corrigenda sunt. In primis au-
 tem errat laudatos nummos ad Ægas in Æolide referens, quæ du-
 bio procul spectant ad Ægas in Cilicia, ut mox apparebit. Rursus
 ex Chronico Alexandrino neutiquam colligimus Ægas in Æolide
 ab Alexandro Magno conditas fuisse. Nam ibi recensentur plures
 urbes ab Alexandro conditore nuncupatæ, & eas inter *Ἀλεξάν-*
δρεια ἐν Ἀργείοις ἡ καὶ Σκυθία, Alexandria in Aegæis, quæ & Scythia;
 quæ urbs Harduino dicitur *Geographis ante hunc diem incognita.*
 Sed nec post hunc diem cognoscetur, ubinam gentium eadem,
 fuerit, quæ & *Scythia* diceretur. Illam certe ignoravit non vulga-
 ris vir eruditionis Gisbertus Cuperus pag. 214 Monument. An-
 tiq. ubi nihil certi ex illis Chronici verbis constare testatur. Quod
 si eandem nobis non indicet Carolus Dufresnius in suis ad idem
 Chronicon notis, ejusdem reperiundæ erit deinceps spes despe-
 ratissima, cum vir omnium non librorum tantum, sed ipsarum e-
 tiam schedarum diligentissimus ac accuratissimus perscrutator,
 nullam nobis *Alexandria in Aegæis, quæ & Scythia*, notitiam dare
 potuerit. Cum Adanenses ac Ægeneses cum Tarso in eadem Ci-
 licia contentiones exercebant, uti Dio Chrysostomus in utraque
 Tarsica testatur; hinc factum est, ut cum Tarsenses Hadriano Au-
 gusto adulantes, suam ipsorum urbem *Hadrianam* nuncupassent,
 uti produnt nummi ex Mediceis Cimeliis proxime mihi descripti,
 Adanenses quoque & Ægeneses Tarsensium exemplo, urbes etiam
 suas *Hadrianas* appellaverint. Rigordus *le Cadet* Massiliensis
 nummaria eruditioni addictissimus e suo Museo Imperatoris Vi-
 bii Treboniani Galli nummum delineatum ad me transmisit, cum
 averfa epigraphè: *ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΔΑΝΕΩΝ, Hadrianorum*
Adanensium. In nummo vero M. Aurelii apud Harduinum pag. 19
ΑΔΡΙΑΝΩΝ ΑΙΓΕΑΙΩΝ legitur: *Hadrianorum Aegensium*, Rur-
 sus imperante Macrino, Tarsenses de ejusdem cognomine semet
 Macrinianos appellarunt, uti prodit nummus apud eundem Har-
 duinum pag. 486 inscriptus: *ΤΑΡΣΟΥ ΜΑΚΡΙΝΙΑΝΗC ΜΗΤ.*
Tarsi Macriniana metropolis; ac postea eandem urbem de nomine

Alexandri Severi *Alexandrianam* dixerunt. *Ægenes* Tarfensium simiæ suam quoque civitatem *Macrinopolim* nuncuparunt, ac dein Alexandro Severo etiam assentati, nummos hac epigraphe obsignarunt: ΑΙΓΑΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΛΙΣ, *Ægensium Alexandropolis*. Hæc si Harduinus observasset, nequaquam *Ægas Alexandropolim* ab Alexandro Magno appellatas pronuntiasset, cum ab Imperatore Alexandro Severo id sibi nomen imposuerint. Ex his etiam patet eos nummos perperam referri ad *Ægas* in *Æolide*, cum ad ejusdem nominis urbem in *Cilicia* pertineant, quæ Tarfensium, quibuscum æmulationem habebat, exemplo, de novorum Cæsarium nominibus nova sibi pariter cognomina imponebat.

Idem tamen Harduinus recte initium Epochæ *Ægarum* deducit ab A. V. Romæ DCCVII. Cum enim Diadumenianus Cæsar cum Macrino Augusto patrē menses tantum quatuordecim in imperio vixerit, occisus A. V. 971, Christi 218, Epochæ annorum 264 in ejusdem Opellii Antonini Diadumeniani scalpto apud *Ægas* nummo obsignata, ab A. V. Romæ 707 ineunda est. Hinc rursus apparet, eosdem nummos revocandos esse ad *Ægas* Cilicum, non vero alteras *Ægas* in *Æolide*. Nam Hirtius cap. 66 de bello Alexandrino, scribit Cæsarem ex *Ægypto* in *Syriam* venisse, nempe A. V. Romæ DCCVII; inde vero, inquit, *profiscitur in Ciliciam, cujus provincia civitates omnes, quas inter erant Ægæ, evocat Tarsum, quod oppidum fere totius Ciliciæ nobilissimum fortissimumque est; ibi rebus omnibus provincia & vicinarum civitatum constitutis, cupiditate profisciendo ad bellum contra Pharnacem gerendum, non diutius moratur; magnisque itineribus per Cappadociam confectis, biduum Mazaca commoratus &c.* Itaque Cæsar in conventu apud Tarsum eo anno urbis Romæ 707 *Ægenibus* autonomiam aliasque exemptiones lege Dictatoria concessit. Hinc eodem in honorem Cæsaris, Antiochenis ac Laodiceis exemplo, novam urbis suæ Epocham instituerunt, cujus prior annus cœpit ab autumno ejusdem anni ab urbe Roma condita 707. Quare annus ejus *Æræ* CCLXIV in Diadumeniani Cæsaris nummo lignatus, inquit ab autumno A. V. Romæ 970, Christi 217 ac primo

primo imperii Macrini. Cum vero Cæsar ex Cilicia magnis itineribus in proximam Cappadociam profectus fuerit, bellum contra Pharnacem gesturus, falso dicitur Harduino *cum per Asiam iter faciens, Pharnacem Bosphori regem bello peteret*, Ægensibus in Æolide jus libertatis donasse, cum tam procul ille ab Æolide iter confecerit, nempe per loca amplissimis Lycaoniæ, Pisidiæ, Phrygiæ, ac Lydiæ spatiis ab Ægis in Æolide distantia. Et sane V. C. rectius dixisset, Cæsarem, cum post victum Pharnacem, *per Gallograciam Bithyniamque in Asiam iter fecit*, uti scribit idem Hirtius cap. ultimo, Ægis in Æolide jus libertatis dedisse. At nummi illi apud Ægas in Cilicia scalpti sunt.

Hæc de utriusque urbis in Cilicia Epochis inserui, quod Cilices annum ac menses Syromacedonum servabant. Extat apud Gruterum pag. 1052 num. 6 epitaphium Treviris positum Eusebiæ ἀπὸ ΚΩΜΗC. ΑΔΑΝΩΝ, & C. ΕΝ. ΤΗ ΠΑΤΕΙΑ. ΟΝΩΡΙΟΥ. ΤΟ. Η. ΚΑΙ. ΚΟΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΤΟ. Α. ΜΗΝΙ. ΠΑΝΗΜΟΥ. ΙΒ. ΗΜΕΡΑ. *Ex vico Adanorum &c. Honorio VIII & Constantino I Coss. mense Panemo, die duodecimo.* Scaliger lib. 4 de emend. Temp. pag. 485 idem epitaphium emendat, ubi & vulgares Fastos corrigit, qui Honorio in consulatu VIII collegam Theodosium III attribuant. Præterea notat urbem Adanorum in Cilicia, imperante Honorio, vicum fuisse. Recte tamen Petavius lib. 11 doct. Temp. cap. 46 tradit Constantinum, qui in Gallia imperium invaserat, anno Christi 409 semet collegam Honorii Augusti in consulatu designasse, cum tamen extra Tyranni ditiones, cum Honorio Theodosium Augustum III in Fastis signarint. Sed nec Adana sub Honorio in vicum mutata fuerant. Nam imperante Theodosio Honorii patre, Cyriacus Episcopus urbis Adanorum, adfuit Synodo C-P. anno Christi 381, qui Sozomeno lib. 7 cap. 10 dicitur Episcopus *Adana*, *Adanorum*, Nectarii Senatoris ac dein Episcopi C-P. præceptor. In Concilio Ephesino, quod anno octavo ab obitu Honorii celebratum fuit, cum Joanne Antiocheno Cyrillus Adanorum cum aliis Orientis Episcopis conspiravit, ad quem etiam extant literæ Theodoretī. Huic successit Philippus, qui in Synodo Calchedonensi Act. VI dicitur Episcopus πόν-

λεως Ἀδάνης, urbis *Adana*. Non ergo *Adana* in vicum versa sunt. Verum & in altero epitaphio apud Hølstenium pag. 7 legitur: ΚΩΜΗΣ ΑΔΑΝΩΝ: *vici Adanorum*; sive quia *Adanis* erat sacer vicus, uti plures quoque Romæ numerabantur; unde & Eusebia in priori epitaphio dicitur ΙΕΡΟΚΩΜΗΤΗΣ, e sacro vico; nisi ea voce sacrorum custos ea femina indicatur, ut *Ιεροκάμιας* apud Græcos ædituum designat, qui sacrorum curam gerit. Ita in Asia proconsulari erat urbs quæ *Αυλίου κώμης* dicebatur, cujus Episcopus Thomas nominatur Act. VI Synodi Calchedonensis, ubi legimus: πόλεως Αὐλίου κώμης, urbis *Aulii vici*, quæ etiam a Valentiniano Imperatore Valentinianopolis dicta fuit. Sed his missis, quod ad institutum facit, adverto in Eusebiæ Adanensis epitaphio mensem Syromacedonum *Panemium* memorari; quod Cilices una cum Syria in Seleuci Nicatoris potestatem redacti, annum mensesque Macedonum receperunt. Imo Antiochus Antiochi Pii filius, Syria a Tigrañe rege Armeniæ occupata, annis duodeviginti in angulo Ciliciæ delituit, ut eidem avitum postea Syriæ regnum repetenti Pompejus exprobravit, teste Justino l. 40.

C A P V T II.

Tyrus urbs Phœnicum vetustissima. Ejusdem Reges. Ab Alexandro Magno expugnata, Macedonum postea annum ac mensium novina admisit. Scaligeri ac Petiti de anno Tyriorum sententiæ confutantur. Diagramma annorum demproponitur, ac ex Synodis apud Tyrum habitis demonstratur.

TYRUS urbs Phœnicum celeberrima, Syris *Sur* nuncupata, condita fuit, teste Josepho lib. 8 Antiq. c. 2, annis CCXL ante Templum Salomonis, cujus fundamenta jacta sunt annis MXII ante Æram Christi, uti supputat Usserius tomo priori Annalium. Herodotus lib. 2 narrat se Tyrum eo consilio profectum, ut Herculis, cujus antiquissimum ibidem templum celebrabatur, originem ac vetustatem nosceret, sibi que a sacerdotibus Tyriis responsum fuisse, urbem una cum templo extructam; esse autem a Tyro condita bis mille ac trecentos annos. Auctor est Gellius lib. 15 c. 23, Herodotum anno altero Olympiadis LXXXVI, qui fuit

fuit ante vulgarem Christi Æram 435, natum fuisse annum ætatis tertium ac quinquagesimum. Quare Tyrus condita fuisset annis bis mille ac septingentis circiter ante Natalem Christi. At fabulosam suæ urbis antiquitatem memorati sacerdotes iactaverint; cum constet Josephum ex vetustis Phœnicum Annalibus, quos Menander Ephesius Græce interpretatus est, primordia urbis Tyri prodidisse. Hinc cum Josue cap. XIX, 29 *civitatem munitissimam Tyrum* legimus, Tyrus vulgo antiqua in continenti sita intelligitur, non verò altera quæ in insula proxima extructa fuit. Justinus lib. II narrat legatos Tyriorum Alexandro dicenti velle se Tyrum ingredi ad vota in templo Herculis solvenda, respondisse: *id eum in Tyro vetere & antiquiore templo facturum*. Quo ille responso indignatus, uti scribit Diodorus Siculus lib. 17, *παλαιὰν Τύρον*, *veterum Tyrum* diruit, ut dejectæ urbis lapidibus aggeres in æstuariis excitans, alteram in insula Tyrum terrestribus copiis expugnaret. Hujus tamen posterioris quoque Tyri antiquitatem celebrans Isaias cap. 23 ait: *Quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate sua*. Urbis divitias Zacharias cap. 9 describit: *Et edificavit*, inquit, *Tyrus munitionem suam, & coaccruavit argentum quasi bannam, & aurum ut lictam platearam*. Enimvero apud Ezechielem toto cap. 27 Deus ipse tantis encomiis Tyrum extollit, ut nihil ad eandem commendandam aut nobilius excogitari, ac elegantius dici possit. Regem Tyri legimus in cap. 27 Jeremiæ, & 28 Ezechielis. Hiram Tyriorum regem sacra Regum laudat historia. Plurimum vero apud Tyrum regum indicem ex Menandri voluminibus exhibet Josephus lib. 9 cap. ult. ac lib. I contra Apionem, quorum tempora designat Langius lib. I de annis Christi cap. 8. Tyrus sub rege Azelmio ab Alexandro Magno septem menses obsessa, ac tandem expugnata, ingentem cladem accepit, civibus aut gladio peremtis, aut sub hasta venditis, novisque inquilinis in urbem migrare jussis, uti fufius narrat Arrianus lib. 2. Verum quod Sidonii in classe Alexandri militantes, quindecim millia Tyriorum in urbis direptione furtim subducta servaverant, ac plures etiam ante obsidii exitum, Carthaginem veterem coloniam transmiserant, iisque postea omnibus patri-

patrios lares repetentibus, Tyrus tam brevi annorum spatio pristinas vires recuperavit, ut anno a memorata clade decimo octavo, Antigono potentissimo Asiæ regi quindecim mensibus restiterit. Antigono autem acie victo ac interemto, ejusque filio Demetrio a Seleuco postea capto, Tyrus in Seleuci potestatem venit; dein Ægypti regibus paruit, donec Antiochus Magnus bello, quod cum Ptolemæo Philopatore gessit, Tyrum anno tertio Olympiadis CXL, urbis Romæ 536, Theodoti Ætoli ducis proditione occupavit, uti narrat Polybius lib. 5, ac deinceps intra Seleucidarum regnum censita est. Hinc Tyrii annis ac mensibus Macedonum atque eorundem Epocha uti cœperunt. Josephus lib. 8 cap. 2 ex Menandro Ephesio Phœnicum Annalium Græco interprete de Hiromo rege Tyrriorum hæc recitat: *Demolitus antiqua templa, Herculi & Astartæ nova instauravit; primusque Herculi statuam erexit mense Peritio.* Hic Hiromus in vulgatis Bibliis Hiran appellatur, qui ligna ac cæmentarios ad construendum templum Hierosolymis, Salomoni suppeditavit 3. Regum cap. 5; ubi ex vers. 7 colligimus Sidonios id temporis sub imperio regis Tyri fuisse.

Scaliger in additis ad opus de doctrina Temporum pag. 749 omnium primus anni Solaris Tyrriorum formam descripsit. Ibi enim tradit annum Tyrriorum eundem fuisse cum anno Damasænorum, ac verno tempore initium habuisse, cujus singuli menses fuerint tricenarii, additis in exitu diebus quinque Epagomenarum, sex vero, si annus proximus foret bissextilis. Hinc ait Peritium fuisse postremum mensem anni Tyrriorum, cujus dies trigessimus ac ultimus cum XVI Martii Romanorum concurrebat, additis vero diebus quinque Epagomenarum, ut annus Solaris 365 diebus completeretur, primus dies mensis Dystri ac pariter anni novi Tyrriorum correspondebat diei XXII Martii in anno Juliano. Petavius lib. 1 doctr. Temp. cap. 26, cum prænotasset diagramma anni Tyrriorum e veteri codice ab Henrico Stephano publicatum, multis erroribus in mensium diebus numerandis scatere, addit Tyrios quosdam menses habuisse tricenarios, quosdam vero unus ac triginta dierum, ut Solaris annus integer decurreret; quoniam

nam vero menses ex triginta diebus, quive ex uno insuper die conflarentur, non designat, quod certus cujusque mensis dierum numerus sibi incompertus esset. Samuel Petitus lib. 4 Eclog. Chronol. cap. 22 ex laudato codice Henrici Stephani docet, Tyrios annum ab Hyperberetzo inchoasse, cujus neomenia sive dies prima cum XIX Romani Octobris concurrebat. Addit menses fuisse omnes tricenarios, cum quinque diebus Epagomenarum in fine anni. Ricciolius lib. primo Chronol. cap. 20 in diagrammate anni Macedonum scribit Tyrios annum ab Hyperberetzo inchoasse, cujus initium in 24 Septembris Romanorum incidebat. Hosce diversos anni ac mensium Tyriorum typos eruditi Chronologi excogitarunt, quorum tamen errores ex vetustis Ecclesiæ Tyriæ monumentis in præsentia corrigam, ac veram anni Tyriorum formam exhibebo. In Synodo Calchedonenſi Act. IX recitantur gesta apud Tyrum in causa Ibæ Metropolitæ Edessenæ, quorum initium est: *Post Consulatum Flavii Zenonis & Postumiani virorum Clarissimorum, sub die V Kal. Martii, in colonia Tyro metropoli Consulari, anno quingentesimo septuagesimo quarto, mensis Peritii die decima; secundum Romanos vero Februarii quinta ac vicesima, Indictione prima &c.* Consulatus ibidem ita appellatus, ac epochæ Tyriorum annus 574 sunt characteres anni Christi 449, ut inferius ostendam. Rursus in Synodo Constantinopolitana sub Menna Patriarcha Act. V recitantur gesta Synodi apud Tyrum ab Epiphanio Metropoliſta celebratæ, *menſe ſecundum Tyrios Loo, die vicesima octava, ſive Septembris decima ſexta, anni ſexcenteſimi quadraſeſimi tertii, Indictione duodecima.* Hæc Synodus habita fuit anno Christi 318, postquam Epiphanius literas accepit a Joanne Patriarcha ac Synodo C-P. de damnato Severo Antiocheno, die 20 Julii ejusdem anni 318, ut Baronius ac collectores Conciliorum recte advertunt. Porro ex gestis in causa Ibæ, atque ex hac posteriori Synodo Epiphaniæ, in quibus dies mensium Tyriorum cum diebus mensium Romanorum compositi recitantur, typus anni ac mensium Tyriorum manifeste innotescit.

DIAGRAMMA ANNI TYRIORVM.

Menses Tyriorum	Dierum	Incipiunt
Hyperberetæus	30	Octobris XIX.
Dius	30	Novembris XVIII.
Apellæus	30	Decembris XVIII.
Audynæus	30	Januarii XVII.
Peritius	30	Februarii XVI.
Dystrus	31	Martii XVIII.
Xanthicus	31	Aprilis XVIII.
Artemisius	31	Maji XIX.
Dæsius	31	Junii XIX.
Panemus	31	Julii XX.
Lous	30	Augusti XX.
Gorpiæus	30	Septembris XIX.

In hoc diagrammate Peritius incipit die XVI Februarii; ac proinde decima Peritii concurrit cum XXV Februarii, ut reapse iidem dies in gestis judicialibus in causa Ibæ componuntur. Rursus mensis Tyriorum Lous init die XX Augusti; unde dies 28 Loi cum Septembris XVI decurrit, cum qua in Synodo Tyria Epiphaniæ comparatur. Cum vero a 19 Octobris ad 25 Februarii inclusive colligantur dies CXXX, qui dierum numerus dat quatuor menses tricenarios, ac tertiam partem quinti, colligimus priores quatuor menses anni Tyriorum fuisse pure tricenarios, ac decimum diem quinti mensis Peritii recte cum 25 Februarii conjungi. Rursus a 26 Februarii ad 16 diem Septembris, inclusis terminis, fit summa dierum CCIII, quot plane colliguntur ab XI Peritii ad XXVIII Loi, posito peritio tricenario, ac quinque mensibus ante Loum singulis unius æt triginta dierum. Denique a Septembris die XVII ad Octobris XVIII, inclusis terminis, numerantur dies 32, quot habentur a 29 Loi inclusive ad ultimam diem Gorpiæi, quæ Tyriorum annum claudebat. Atque ita ex diebus 130, dein 203 ac denique 32 fit annus Solaris dierum 365. Ex his patet fictitios esse dies Epagomenarum in anno Tyriorum Scaligero ac Petito excogitatos. Nam Petitus ac Scaliger ex gestis in causa Ibæ, ac vetusto codice

cōdite ab Henrico Stephano laudato, recte quidem Hyperbertatum a die 19 Octobris inchoant; at errant in statuendis omnibus mensibus tricenariis. Nam juxta Petiti opinionem ab undecima Peritii ad 28 Loi inclusis terminis, mediis quinque mensibus tricenariis, colligerentur dies 198, ac dies 28 Loi corresponderet diei XI Septembris; cum tamen in memorata Synodo cum 16 Septembris jungatur. Verum Scaliger qui annum Tyriorum a Dystro cœptum fingit, ante cujus exordium dies V Epagomenarum inserit, qui æquivalent totidem diebus, quorum singuli quinque mensibus ante Loum supra triginta a Tyriis adjiciebantur, aliter refellendus est. Judicium in causa Ibæ habitum dicitur die 10 Peritii anno Tyriorum 574, qui, ut ait ibidem Scaliger, fuit Christianæ Epochæ 448; Synodus vero Epiphaniî peracta fuit anno Tyriorum 643, quem constat fuisse Christi 518. At si mense Dystro annus Tyriorum incipiebat, eo anno Christi 448 die 28 Loi numeratus fuisset annus Tyriorum 575. Jam vero anno dato Christi 448, mense Loo, adde annos LXX, habebis annum Christi 518 Loo decurrente. Præterea anno Tyriorum 575 adde annos LXX, consurget mense Loo annus Tyriorum 645. At mense Loo anno Christi 518 decurrebat annus Epochæ Tyriorum 643. Igitur in Scaligeri opinione biennium abundat. Nam in primis judicium in causa Ibæ ait peractum anno Christi 448, quod tamen, ut palam faciam, anno insequenti 449 contigit. Rursus quod verno tempore annos Tyriorum multiplicat, altero quoque anno ab Epochâ Tyriorum exorbitat. Ex his etiam patet, errasse virum alias eruditum Georgium Hieronymum Velschium pag. 48 notarum in tabulas Æquinoctiales novi Arabum ac Persarum anni, ubi putat Tyrios annum Solares recepisse, sed qui dierum tantum esset 364, quod ait se colligere ex actis laudatis in causa Ibæ: ex quibus nihil plane simile deduci satis evidenter monstratum est.

CAPUT III.

Tyrus antiquata Epochâ Seleucidarum, novam induxit. Variæ de initio ejusdem Scriptorum sententia referuntur. Ex Tyriorum

CCC 2

mo.

monumentis hæc capit A. V. Romæ 628 ob autaniam ab Alexandro II rege Syria obtentam. Eadem in nummo tetradrachmo Tyriorum obsignata. Hoc Tyriorum numisma memoratur a Josepho, cujus duocollata invicem testimonia antilogia arguuntur. Tetradrachmus Tyriorum ejusdem omnino ponderis cum Statere ac Sicla Hebræorum, argenti semunciam pendebat. De Asylo apud Tyrum. Plures nummi Tyriorum Epocha obsignati exponuntur. Maritima Tyriorum potentia fusus ab ipso Deo apud Ezechielem, descripta. Tyrus quando metropolis facta. Episcoporum Tyri ac Beryti de jure metropolitico contentiones explicantur. Antistes Tyri erat protosabbanus in Patriarchatu Antiocheno. De voce Paralia V. C. errores emendantur.

A Ntigonon a foederatis regibus ac suis quondam sub Alexandro Magno commilitonibus in acie occiso, Syria partim in Seleuci Nicatoris, partim in Ptolemæi Soteris Ægypti regis potestatem venit. Tyrus tamen ac Sidon in Demetrii filii Antigoni fide manserunt, qui easdem petenti Seleuco, non sine indignatione negavit, uti auctor est Plutarchus in Demetrio. Verum hoc quoque rege paucos intra annos a Seleuco capto, ac liberam in custodiam tradito, Tyrus Seleuci regno addita fuit; quam tamen postea reges Ægypti possederunt, quousque Antiochus Magnus eandem cum universa Phœnice ac Cœlesyria regno Syriæ adjecit. Hinc Tyrii Epocha Seleucidarum uti coeperunt, ut patet ex eorundem nummis, quorum binos exhibui Dissert. 2 cap. 1. At in præsentia de Æra Tyri, non quam cum aliis Syriæ urbibus communem quondam habuit, sed, qua peculiari ea civitas postea usæ est, disputationem instituo. Nam viri eruditi qui genio sæculi indulgentes, veteres nummos scriptis illustrandos suscipere, in varias opiniones de anno, a quo primum Epocha Tyriorum deducenda sit, abierunt. Horum tres hic appellabo, qui partæ sibi doctis voluminibus famæ supersunt, Ezechiel Spanhemius Dissertat. IX pag. 872, cum prænotasset annos Epochæ Tyriorum memorari ab Eusebio in Chronico, ac rursus in Actis Concilii Calchedonenfis, ait eosdem retro putatos caput Æræ Tyriorum referre ad annum ante Christum CXXXIII, ac initium regni

regni Antiochi Grypi, *forte quadtum*, inquit, *Autonomi facti sunt Tyrii*. Verum Joannes Vaillantius pag. 305 Hist. regum Syriae putat ex nummis potius Tyriorum, quam ex scriptis Eusebii aut Actis in Calchedonenſi Synodo recitatis, initium Epochæ Tyri colligendum eſſe. Cum vero in nummis Antiochi Evergetis regis Syriae, quem a venandi ſtudio *Sidetem* vulgo appellarunt, Tyrustum primum cum titulis ΛΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΤΑΟΥ *sacra & inviolata*, legatur, Tyriorum, inquit, *Epocha anno Seleucidarum 174, primo ſcilicet Antiochi Evergetis regni anno, ſtatuenda eſt*; nempe ante Chriſti Æram 139, urbis Romæ 615. Denique Joannes Harduinus, in libro de Urbium ac Populorum nummis illuſtratis, pag. 513 tradit, juxta Eusebium initium Epochæ Tyriorum figendum eſſe in anno urbis Romæ 629, ante Chriſtum CXXV. Ceterum Scaliger in additis ad lib. de doct. Temp. pag. 749 ac Vſſerius tom. 2 Annal. pag. 121 docent, initium Æræ Tyriæ deducendum eſſe ab anno Periodi Julianæ 4588, Cyclo Lunæ IX, Solis XXIV, quibus characteribus designatur A. V. Romæ 628, ante Chriſtum 126, idemque quartus Olympiadis CLXIII ac Seleucidarum CLXXXVII ab autumno inchoatus.

Hæc poſtrema ſententia certa eſt, cui ipſimet Tyrii locupletiffimam fidem faciunt, ita ut citra errorem a nemine in dubium revocari poſſit. Præmittam Eusebii teſtimonium, qui in Chronico narrat hæreſim Manichæorum innotuiſſe *ſecundo anno Probi: juxta Antiochenos trecenteſimus vigefimus quintus annus fuit: juxta Tyrios quadringenteſimus ſecundus &c.* Jam ſuperius Diſſert. 2 c. 3 § 1 demonſtravi, annum ſecundum imperii Probi concurrere cum A. V. Romæ 1030, Æræ Chriſti 277, quo Imperator Probus Auguſtus & M. Aurelius Paulinus conſulatum geſſerunt. Initium Epochæ Tyriorum contigit per autumnum A. V. Romæ 628, ante Chriſtum 126. Adde annos 402, habebis uſque ad autumnum annum urbis Romæ 1030, Chriſti 277. Ruſus ab autumno A. V. Romæ 628 numero annos 77, devenies ad A. V. 705, quo per autumnum coepit Epochæ Antiochenorum, ut in diſſertatione ſuperiori oſenſum eſt. Adde annos 325, eris ad A. V. 1030, Antiochenorum 325, Tyriorum vero 402. Quare Epochæ iſtorum coepit A. V. Romæ 628.

Præterea in Synodo Calchedonenſi Act. IX recitatur iudicium in cauſa Ibæ Metropolitæ Edeſſeni habitum ab Episcopis, ut initio ibidem notatur, *Post conſulatum Flavii Zenonis & Poſtumanii V. C. C. die V Kalendarum Martiarum, in colonia Tyro clariſſima metropoli Conſulari, anno quingentefimo ſeptuageſimo quarto, menſis Peritii die decima, ſecundum Romanos autem Februarii die quinta ac viceſima, Indiſtione prima.* Character conſularis designat annum Chriſti 449, V. C. 1202 a parilibus, quod capite ſequenti oſtendam. Hic vero annus Tyri 574 eſt annus Epochæ ejuſdem urbis. Adde autem anno Urbis Romæ 628 annos 574, eris ad A. V. 1202, Chriſti 449. Itaque Epochæ Tyriorum inſiit A. V. 628. Appello tertium teſtimonium, quod memorati Scriptores non obſervarunt, ex Synodo Tyria ab Epiphania Archiepiſcopo celebrata, anno Chriſti 518. Ea vero recitatur poſt Act. V Synodi C-P. ſub Menna Patriarcha, ac dicitur habita *in menſe ſecundum Tyrios Loo, die viceſima octava, ſive Septembris decima ſexta, anni ſexcentefimi quadrageſimi tertii, Indiſtione duodecima.* Hic annus Tyriorum 643 componitur cum anno Chriſti 518. Enimvero ſi anno urbis Romæ 628 addas annos 643, eris ad A. V. Romæ 1271, Chriſti 518, quo ab Epiphania Synodus habita fuit. Ita ubique annorum ſumma cohæret; ac proinde certum eſt Epocham Tyriorum cœpiſſe A. V. Romæ 628. Ex hoc autem teſtimonio, ex Synodo Epiphaniæ Tyrii deſumpto, colligimus Epocham Tyri inſiſſe die XIX Octobris una cum prima die Hyperberetæi, a quo Tyrii annum novum auſpicabantur. Nam ſi anno Chriſti 449 die decima Peritii, quæ Romanis erat dies 25 Februarii, numerabatur annus Tyriorum 574, anno abhinc 69, nempe Chriſti 518, eadem die 10 Peritii ſeu 25 Februarii decurrebat annus Tyriorum 643, qui cum adhuc die 28 Loi, ſive 16 Septembris in laudata Synodo notetur, anni Epochæ Tyriorum poſt Septembrem multiplicabantur; nempe cum annis civilibus ipſiuſmet urbis, die 19 Octobris, ut in ſuperiori capite demonſtravi. Hinc mihi veniam dabit V. C. ac amicus noſter Vaillantius, ſi maiorem ipſiſmet Tyriis quam ipſi fidem commodem; longe enim melius cives ſuæ ipſorum urbis annos noverunt, quam ceteri. Et ſane nummi, in quibus ante A. V. Romæ

628 Tyrus cum titulis ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΤΑΟΤ legitur, ejusdem epochæ exordium neutiquam in anteriora tempora retrahunt. Nam urbes non a delato jure asyli, sed ut plurimum ab autonomiâ sibi concessa, novam Epocham instituere consueverunt. In ipsa Syria, ne in longinqua mittam diligentiam curiosam, Antiochia jure asyli apud Daphnem pollebat Antiocho Epiphane regnante, ut diserte traditur in 2 Maccabæorum cap. IV, 34. At illa urbs tum primum Epocham novam invexit, cum autonomiam a Romanis accepit. Præterea extat in Gaza Medicea nummus cum epigraphæ: ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΤΑΟΤ: *Apamenorum urbis sacra & inviolata.* Ibi vero notatur epocha in area nummi cum elephanto = ΔΣ, anno CCXXXVII. Est annus Epochæ Seleucidarum, qua sola Apamēnos usos scimus. Non ergo a jure asyli nova apud Syriæ urbes Epochā instituta fuit. Non ibi inficias potuisse Tyrios a jure asyli ob honorem Herculis delato novam Epocham inducere; at reapse illam se tunc non instituisse iidem Tyrii in gestis publicis semel & iterum contestantur. Quid quod ipsi etiam nummi Tyriorum idem evincunt apud eundem V. C. pag. 322 Historiæ laudatæ, ubi recitat numisma inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΤΥΡ. ΙΕ. ΑΣΥ. & ΠΡ. *Regis Demetrii. Tyri sacra, inviolata. Anno 186.* Videsne Tyrum cum jure asyli adhuc usam Epochā Seleucidarum, cujus ibi annus sculptus 186 concurrebat cum A. V. Romæ 628; quo tamen anno eodem Demetrio occiso novam Epocham invexit?

Cum Antiocheni, horumque exemplo superioris Syriæ urbes a Demetrio Nicatore rebellassent, novum sibi regem a Ptolemæo Physcone Aegypti rege petierunt, qui Alexandri cognomento *Bala* filium, uti aiebat, & ipsum Alexandrum nomine, cum validis copiis in Syriam novum regem misit, qui prope Damascum cum Demetrio proelio congressus, ac victoriam indeptus, Syriam occupavit. Demetrius amisso exercitu, Tyrum templi Herculis religione fretus, celeri fuga se proripuit, ubi navi egrediens, statim interfectus fuit. Ex laudato proxime nummo Tyriorum patet eosdem, Antiochenis aliisque a Demetrio deficientibus, in fide ejusdem mansisse. Hinc novus rex Alexander vulgo ignomi-

minia causa *Zebenas* appellatus, quo Tyrios mari præpotentes, sibi amicos faceret, eisdem autonomia initio statim regni donavit; nempe ut urbs libera sub tutela regum Syriæ suismet legibus uteretur. Strabo lib. 16 pag. 521 edit. Casauboni, de Tyriis ait: *Non solum a regibus, sed a Romanis etiam autonomia donati sunt, cum quidem parvo sumtu impetrarint, ut eorum votum Romani ratum haberent, atque confirmarent.* Et Josephus l. 15 c. 4 scribit Antonium omnes urbes Syriæ ab Eleuthero flumine ad Ægyptum usque, Cleopatraz regno adiecisse, exceptis Tyro ac Sidone, quas, inquit, jam inde a majorum atate sciebat liberas. Ita Tyrii ab Alexandro Zebena novo rege Syriæ A. V. 628, ante Christi epocham 126 autonomiam consecuti, novam urbis suæ Æram eo ipso anno, mense Hyperberetæo iniverunt, quo mense annus Æræ Seleucidarum CLXXXVII inchoabatur. Extat in vetusto lapide apud Gruterum pag. 1105 sculpta longa epistola, in cujus titulo legitur nomen Urbis ΤΥΡΙΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΤΑΟΥ ΚΑΙ ΑΤΤΟΝΟΜΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΦΟΙΝΙΚΗΣ ΚΑΙ ΑΛΛΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ΚΑΙ ΝΑΟΥΑΡΧΙΑΟΣ &c. Sunt insignes tituli urbis *Tyriorum sacra, & inviolata, & suis legibus utentis, Metropoleos Phœnicis, & plurium civitatum, ac Nauarchidos, sive Classica.* At illa autonomiam pluris quam cetera beneficia æstimavit; unde ab eadem impetrata, novam Epocham invexit. Joannes Harduinus, qui urbium Epochas in nummis obsignatas satis quidem diligenter perquisivit, licet non æque feliciter easdem exposuerit, pag. 513 sæpius appellati voluminis nullum Tyriorum numisma hac recentiori Epocha notatum producit; quamvis eandem ex Chſonico Eusebiano laudat. Extat in Gaza Medicea hic nummus argenteus maximi moduli.



In antica parte visitur caput Herculis Tyrii laureatum, uti Antiocheni suum Jovem Philium in nummis laureato capite exprimebant. In postica parte legitur: ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΕΛΟΥ: *Tyri sacra & inviolata.* Et in area EK, id est, Anno XXV. Clava, quæ Herculis Tyriorum Numinis tutelaræ erat insigne, in eorundem nummis passim occurrit, ut mox apparebit. Aquila cum ramis palmæ rostro navis insistent, dudum etiam regnantibus apud Tyrum Seleucidis, in ejusdem nummis scalpebatur, quod palma erat Phœnicis, cujus Tyrus metropolis, symbolum; rostro autem navis maritima Tyriorum potentia exprimebatur. Vides hæc eadem symbola in pluribus eorundem nummis apud eruditissimum Vaillantium in Historia Regum Syriæ, ubi pag. 257 Aquilam Regum Ægypti insigne, a Tyriis etiam suis in nummis sculptam putat in gratiam Cleopatæ, quam Ptolemæus Philometor apud Ptolemaidem Alexandro Theopatori regi Syriæ uxorem tradidit anno Seleucidarum 162, uti legitur in cap. 10 lib. 1 Maccabæorum. Sed probabiliorem ejus symboli in Tyriorum nummis originem colligo ex Nonno lib. 40 Dionysiæcorum, ubi narrat Herculem monuisse, ut Tyrum in rupibus sive scopulis fluctivagis conderent, quos Aquilæ ibidem inter oleæ ramos reperiunt, ac dein Diis mactatæ, sanguine asperfos, solidarent.

Sponte volantem Aquilam, mucrone in guttur adactæ.

Neptuno, regique Jovi mactare gigantes

Aggressi, sectæque gula de vulnere sanguis

Purpuream fœdavit humum, steteruntque vetusta

Juncta Tyro, quæ saxa sacri liquor imbuunt atri

Sanguinis &c.

Quare quod Tyrus Aquilæ Diis sacratæ cruore, solidatis medio in mari rupibus, fundata fuerat, Aquilæ symbolo uti potuit. Hinc discimus, cur Lucano lib. 3 dicatur: *Et Tyros instabilis*, quod nempe in rupibus antea fluctivagis condita dicebatur. Epocha annorum XXV in laudato nummo notata, inita ab A. V. Romæ 628, dat initium anni 25 mense Hyperberæ ab A. V. 652, Antiochis fratribus Grypocæ Cyziceno in Syria partito imperio regnantibus, cum Judæi & Arabes Cyziceni ditiones prævalidis copiis subjugarent.

D d d

Nu-

Numisma, quod hactenus exposui, laudatur a Josepho lib. 2 belli cap. 26, ubi narrans quanto lucro Joannes Gischalensis emptum in Galitzæ oleum apud Cæsaream Philippi distraheret, hæc ait: *Nummoque Tyrio, qui quatuor Atticos faceret, emptis quatuor amphoris, eodem precio amphora dimidium venundabat.* Hoc ipsum recitans in libro de vita sua, ait: *Sciens enim apud Cæsarienses sextarios duos una drachma venire; Gischalis autem octoginta sextarios drachmas quatuor, totum illud oleum, quod ibi erat, ad eos transmisit.* Nummus Tyriorum, quem e Museo Mediceo produxi, a me in balance appensus, semunciam pendebat, ac proinde est tetradrachmus, id est, valens quatuor drachmas Atticas. Sanctus Hieronymus in cap. 4 Ezechielis ad V, 10 ait: *Siclus autem, id est, Stater habet drachmas quatuor. Drachma autem octo Latinam unciam faciunt.* Quatuor Hebræorum siclos ejusdem Gaze Medicæ ponderavi, ac singuli semunciam pendebant, ac cum eodem nummo Tyrio æquata lance, pares erant. Cleopatra in lib. de mundiciis scribit: *Stater habet drachmas quatuor, appellantque ipsum tetradrachmon.* Et rursus: *Uncia, drachmas octo.* Quod Tyrii erant Judæis finitimi, ac plura inter eosdem commercia exercebantur, hi siclos, illi vero æqualis ponderis argenteos nummos scalpebant, semunciam omnes pendentes. Eos vero nummos tetradrachmos ingenti numero apud Tyrum scalptos patet, quod plurimi adhuc in Cimeliis servantur; novem sane vidi in Gaza. Serenissimi Magni DVCIS Etruriæ in postica inscriptos: ΤΥΡΩ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΤΑΟΥ, cum laureato capite Herculis in parte anteriori, ut in superius delineato. In uno tamen visitur caput diadematum cum epigraphe: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, *Regis Antiochi.* Interim hic obiter adverto in laudatis Josephi testimoniis quædam mihi difficilia occurrere. Nam in lib. 2 de bello scribit Joannem Gischalensem nummo Tyrio, quatuor Atticos valente, emisse quatuor amphoreos olei. Græce enim scribit *τέσσαρα ἀμφορείς.* Amphoreus autem Græcorum est mensura minor amphora Romana; hæc enim continebat sextarios XLVIII, amphoreus vero Græcorum habebat sextarios triginta sex, uti scribit Cleopatra in lib. de mundiciis, aliique in calce tom. V operum

rum Galeni. Idem vero Josephus in altero opere laudato de vita sua, narrat apud Cæsarienses olei sextarios duos una drachma venditos; Gischalis autem octoginta sextarios drachmis tantum quatuor coemptos. Enimvero si Cæsareæ duo olei sextarii una drachma vendebantur; quatuor drachmis octo ibidem sextarii distrahebantur. At in lib. 2 de bello ait Joannem quatuor drachmis vendidisse apud Cæsaream *quatuor dimidium amphorei*. Itaque amphoreus sexdecim sextarios continebat. Verum alibi scribit Gischalis *octoginta sextarios drachmis quatuor emptos*. Quare una drachma viginti sextarii ibidem emebantur; & si nummo Tyrio, qui quatuor Atticos, id est, drachmas faceret, emebat quatuor amphoreos, jam amphoreus continebat sextarios viginti; nam ait Gischalis octoginta sextarios drachmis quatuor venundatos. Qui vero & ubi frequentatus sit amphoreus viginti, vel sexdecim sextariorum, mihi plane incompertum est. Idem vero historicus lib. 8 Antiq. cap. 2 de Bato Hebræorum mensura ait: *Batus autem capit sextarios septuaginta duos*; ubi Batum parem Græcorum metretæ facit, quæ totidem sextarios continebat. Rursus ubi IV Regum VI, 25 *quarta pars cabi* nominatur, Josephus lib. 9 cap. 2 eadem Græce scribens, *sextarium* reponit. Cum enim diutius cum Romanis vixerit, Romanam sextarii mensuram optime novit, uti etiam alias Græcorum. Hinc lib. 3 Antiq. cap. 7 ait Hebræorum assaronem septem cotylas Atticas continere; & cap. 10 scribit Hin duos choas Atticos facere. Et lib. 9 cap. 2 notat Saturni Judaicam mensuram continere *modium Italicum & medimnum*. Hinc non possum non mirari eundem adeo variata mensurarum proportionem de amphoreis ac sextariis utroque laudato loco scripsisse. Galenus lib. 1 de compos. medicam. per genera cap. 16 narrat nomen sextarii una cum Romanorum imperio ad Græcos traductum, apud quos tamen diversæ a Romana erat mensuræ. Cleopatra scribit sextarium continere duas cotylas, nempe uncias XVIII, additque: *vocatur autem sextarius apud Aegyptios Inion*. Villalpandus in Ezechielem par. 2 lib. 3 cap. 14 pluribus probat sextarium parem fuisse logo Hebræorum. Sed de his non est hic disputandi locus; nec inde quidpiam lucis coruscat ad duo illa satis obscura Josephi loca illustranda.

In eodem nummo aliisque Tyrus Asyli honore gloriatur, cujus insigne exemplum occurrit. Etenim Demetrius II, Syriæ rex, uti prænotavi, proelio circa Damascum ab Alexandro II, Balæ filio, victus, cum, inquit Justinus lib. 39, *Tyrum religione Templi se defensurus, petiisset*, navi egrediens, priusquam in templi asylum se reciperet, peremptus fuit. Cum Cn. Octavius in Samothraciam ad Perseum jam debellatum Macedoniæ regem capiendum missus fuisset, *a violatione asyli ob honorem Deorum abstinuit*, ut ait Plutarchus in Emilio. Erat templum Castoris & Pollucis asyli privilegio ibidem donatum. Antonius in oratione funebri apud Appianum lib. 3 civil. vocavit Julium Cæsarem nuper occisum, *ἱερὸν καὶ ἀσύλον*, *sacrum & inviolatum*, qui tituli in laudato nummo Tyro deferuntur. Nempe Cæsar erat donatus perpetua Tribunicia potestate, quæ faciebat, ne ulla vis citra capitis discrimen, eadem prædito inferri posset; uti ex Livio lib. 9 in oratione Postumii Consulis, aliisque passim Romanis scriptoribus intelligitur. De asylo templorum scribit Tacitus lib. 3 Annalium.

In eodem Museo Mediceo plures variae magnitudinis nummi Tyriorum continentur, qui omnes annos Epochæ eorundem præferunt. Exhibeo in primis typum ærei numismatis primæ magnitudinis ac pulcherrimæ & integerrimæ sculpturæ.



In superiori parte nummi notæ numerales ΗΛΣ annum Æræ Tyriorum

reriorum CCXXXVII designant, qui cœpit die 19 Octobris, quæ apud Tyrios erat prima mensis Hyperberetæi, A. V. Romæ 865, Trajano Augusto VI & T. Sextio Africano Coss. Duo alii minores nummi in eodem Cimeliarchio visuntur cum eadem Inscriptio-
ne ac trireme; sed in superiori parte areæ signatur Epocha ΓΖΞ, Anno CCLXIII, ubi media litera numeralis Z habet lineam obli-
quam alia lineola intersectam, ut distincta appareat a litera nu-
merali Z, quæ cum non est media, sed ultima in nummis, se-
ptenarium numerum exprimit. Porro annus 263 illis in num-
mis signatus, cœpit ab Octobri A. V. Romæ 890 eodemque postre-
mo imperii Hadriani. In antica parte cum capite turrato urbis
Tyri, visitur ramus palmæ, ut & in alio proxime producendo
arbor palmæ, quod ager Tyrius adeo palmetis abundabat, ut pal-
ma Tyrum patriam jactet in epigrammate Meleagri apud Holste-
nium, ac Spanhemium pag. 316. Et sane palma Græcis dicitur
Φοινίξ *phœnix* a Phœnice regione palmarum feracissima. In lau-
datis nummis, aliisque passim tres priores literæ urbis Tyri no-
men componentes, in unam conflatæ, Tyriorum monogramma
sunt, iisque ΤΥΡΟΥ exprimitur, ac ΙΕΡΑΣ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ:
Tyri sacra metropoleos. Tyremis aut media Navis Tyriorum sym-
bolum erat, quo maritima eorundem potentia designabatur. Im-
mo quidam navim a Tyriis inventam putabant, quos inter Tibul-
lus lib. 7 eleg. 7 ait:


Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Sed haud necesse est hominum hic testimonia appellare, Deo ip-
so maritimas Tyriorum vires elegantissimo panegyrico com-
mendante apud Ezechielem integro capite XXVII. Quædam
hic inferam. Etenim Ver. 8 ait: *Habitatores Sidonis & Aradii
fuerunt remiges tui; sapientes tui, Tyre, facti sunt gubernatores tui.
Senes Giblii, & prudentes ejus habuerunt nautas ad ministerium va-
ria suppellectilis tua; omnes naves maris & nauta earum fuerunt in
populo negotiationis tuae.* Ubi cum Deus ore prophetæ totius Or-
bis gentes, quibuscum Tyrii commercia exercebant, enumeras-
set, Ver. 25 concludit: *Naves tuae, principes tui in negotiatione tua;
& repleta es, & glorificata nimis in corde maris.* Et cap. 26 destru-

enda postea Tyro monodiam a ceteris gentibus canendam præformans, ait: *Quomodo peristi qua habitas in mari, urbs inclita, qua fuisti fortis in mari cum habitatoribus tuis, quos formidabant universi?* Tyrii omnium gentium merces æque ac scelera & pessimos mores suam in urbem adduxerant. Hinc eisdem Deus indignatus, Nabuchodonosorem regem Assyriorum contra Tyrum excitavit, a quo difficili ac diuturniori tredecim annorum obsidione oppugnata, deditioem facere coacta fuit, anno ante Epocham Christi juxta Vsserium 572. Obsidium difficile Dei verbis describitur Ezechielis cap. XXIX, 18. *Nabuchodonosor, inquit, rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magna adversus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est &c.* Tanta erat vetus Tyriorum potentia.

In laudato nummo Tyrus dicitur *sacra metropolis*, qui quidem titulus paucis exponendus est. Nam Suidas V. *Paulus* scribit: *Paulus Tyrius Orator fuit temporibus Philonis Byblii, qui sub Hadriano Imperatore cum legatum egisset, metropolim Tyrum fecit.* Hadrianus imperium accepit A. V. 870, ante quem tamen Tyrus in Mediceo nummo metropolis appellatur. Strabo qui libros Geographicos initio principatus Tiberii descripsit, lib. 16 vocat Tyrum ac Sidones urbes antiquas & illustres, addens: *controversumque manet, utra earum Phœnicum metropolis dici debeant.* Quare Tyrus ante Hadriani imperium Metropoleos titulum ferebat, secus ac Suidas existimavit. Verum nomine *metropoleos* intelligi potest urbs, quæ aliarum veluti mater extiterit, quæve colonos in alia oppida miserit; atque ita Tyrus nomen metropoleos usurpavit, cum Carthago in Africa aliæque in Hispania maritimæ urbes Tyriorum coloniz fuerint. At in Phœnicia Sidon se omnium metropolim jactabat, quod ipsamet Tyrus Sidoniorum colonia erat, uti testatur S. Hieronymus in cap. 23 Isaïæ: *Tradunt, inquit, historia quod Tyrus colonia Sidonis sit.* Hoc tamen Tyrii inficiabantur, seque Sidoniis antiquiores esse contendebant; unde de jure metropoleos inter utrosque, ut ait Strabo, controversia erat. Rursus ea urbs metropolis dicebatur, ubi provinciæ præses sedem tenebat: qua ratione metropoles provinciarum passim di-

digroscebantur; atque ita ad Ecclesias idem nomen translatum est, ut illa metropolitana appellaretur, in qua Episcopus totius provinciae primas resideret. Spartianus cap. 14 de vita Hadriani scribit: *Antiochenfes inter hac ita odio habuit, ut Syriam a Phœnice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur.* Itaque cum Hadrianus Syriam superiorem a Phœnice distinxerit, ac novum Legatum Proprætorem in Phœnicen miserit, hic apud Tyrum, jussu Principis, sedem posuit, ac proinde Tyrus nova Phœnicum metropolis esse cœpit, quem honorem Paulus Orator suæ patriæ ab Hadriano, auctore Suida, impetravit. Sanctus Justinus Martyr, qui sub Hadriano vixit, & Apologiam pro Christianis Antonino Pio Hadriani successori nuncupavit, in Dialogo contra Judæos, ait: *Damascum porro Arabia fuisse, atque esse, etiam sinunc attributa est ei regioni, qua Syrophœnice dicitur, nemo vestrum inficiari potest.* Illa nota temporis *nunc* non obscure indicat Damascum Phœnici ab Hadriano additam, cum novam provinciam Phœnicen a superiori Syria distinctam, ac per specialem legatum proprætorem administrandam constituit, ut superiori cap. I prænotavi. Ita Tyrus novæ Provinciæ Syrophœnices metropolis ac legati Augusti sedes sub Hadriano evasit. Et quidem Sidon, quæ de metropoleos dignitate, qua urbs aliarum mater designatur, cum Tyro contendebat, nunquam in nummis, sub Trajano & Hadriano ibidem sculptis, semet metropolim nuncupavit, cum eo titulo in nummis Elagabali ornetur; quod nempe sub prioribus Cæsaribus neutiquam metropolis dicebatur. Jam vero alios nummos Tyriorum Epocha insignitos exhibeo.



Hæc tria numismata ex collectione Principis Cardinalis Leopoldi in Mediceis Cimeliis servantur. In antica parte utriusque grandioris nummi visitur caput Herculis laureatum. In altera vero parte sculptum est monogramma urbis Tyri, ita ut clava Herculis insigne rectam lineam literæ T suppleat, in illius summitate superiori literæ Y parte apparente; litera vero P loco transversariæ lineæ T ponitur, ut epigraphæ sit: ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, *Tyri Metropoleos*. In uno eorundem nummorum signatur annus urbis Tyri SNC, *ducentessimus quinquagesimus sextus*. Literam majorem S fuisse apud Græcos notam numeri VI, superius pag. 302 ostensum est. Ille vero annus cœpit die 19 Octobris una cum mense Hyperberetæo, A. V. Romæ 883 decimo quarto imperii Hadriani. In altero notæ numerales Θ Ο Σ annum expriment CCLXXIX, qui eadem die initium habuit, A. V. Romæ 906, decimo tertio imperii Antonini Pii, C. Bruttio Præsente A. Junio Rufino Coss. ut hocce collegium restitui pagina 93 Epistolæ Consularis; quæ correctio colligitur etiam ex proluxa Inscriptione apud Sponium sect. 2 Miscell. pag. 52 & 53. Holstenius p. 332 not. in Stephanum ex eadem Gaza Medicea tres Tyriorum nummos laudat, & unius etiam typum proponit similem allatis cum clava Herculis, ac inferius literis H A C & adversus tribus literis Phœniciis. Alterum ibidem nummum Mediceum appellat cum epigraphæ intra coronam populeam: ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ Η ΠΡΩΤΗ ΣΥΡΙΑΣ, nempe: *Tyri metropoleos quæ prima Syria*. Verum vir insignis a descriptore indicis Cimeliarchii deceptus est iisdem nummis non visis, aut quod eos se vidisse testatur, minus accurate consideratis. Nam nullus ea in Gaza nummus servatur, in quo Tyrus Η ΠΡΩΤΗ ΣΥΡΙΑΣ inscribatur. Dicam quod res est. Vir alias eruditus Petrus Fittonus Anglus, cum jussu Serenissimi Magni Ducis Ferdinandi II nummos laudatæ Gazæ in ordinem redigeret ac in indicem cogeret, in nummo ab Holstenio delineato legit: ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ, & subtrus literas H A C in indice interpretatus, easdem majoribus characteribus, uti ceteras nummorum Inscriptiones, exaravit, atque ita exposuit: Η ΠΡΩΤΗ ΣΥΡΙΑΣ, nempe harum literarum H A C prio-

priorem H accepit pro pronomine relativo feminini generis; alteram A, quæ apud Græcos initium numeri designat, ac pro primo ponitur; putavit *primam* significare, atque adeo ΠΡΩΤΗ interpretatur; denique postrema litera C eidem CΤΡΙΑC nota esse visa est. Holstenius aliam etiam subjicit interpretationem, ut literis HAC designetur Η ΑCΤΛΟC, *quæ Asylum*. Hæc tamen figmenta ex nummo perperam aut lecto, aut correcto, procedunt. Nam in illo nummo legitur post monogramma Tyri ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC, & subtus non HAC, sed ΗAC, ut media litera non sit A, sed Λ optime apparens; est ergo annus Epochæ Tyriorum, HAC *ducentessimus tricesimus octavus* initus prima die Hyperberetæi, quæ fuit apud Romanos XIX Octobris A. V. Romæ 865 decimo quinto imperii Trajani.

Nummus inter utrumque hætenus expositum delineatus, est minoris magnitudinis, ac monogramma Tyri metropoleos longe cæteris elegantius expressum præfert. Nam tum quatuor priores literæ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC, tum etiam tres vocis ΤΥΡΟΥ in unum monogramma conflata visuntur, id est, *Tyri Metropoleos*. Si syllabæ IEP & ΑΞ, quas inter est palma, unum vocabulum formant, erit *sacra*. Sin autem divisæ putentur, *sacra asyli* sonabunt; sed ex aliis nummis Tyriorum prior interpretatio fit probabilior. At Epochæ ejusdem nummi ΘΙC *annum* CCXIX indicat, qui cœpit cum Hyperberetæo, memorata die 19 Octobris A. V. Romæ 846 eodemque imperii Domitiani decimo tertio. In simili nummo cum eadem palma in scriniis sæpius laudati D. Francisci Dron legitur: ΤΥΡΟΥ ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΕΡΑC ΘΟC. *Tyri metropoleos sacra*. Anno CCLXXIX, qui annus in Mediceo etiam numismate cum clava Herculis superius posito obsignatur. Hi vero duo nummi cum palma, in antica præferunt caput turritum mulieris, ut in majori nummo cum trireme itidem superius allato visum est. Porro cum Tyrii anno Seleucidarum CLXXXVII, Urbis Romæ 628, Æra veteri eorundem Regum omissa, novam invexerint, omnes laudati hætenus nummi, in quibus numerus annorum ultra ducentos excurrit, posteriorem Tyriorum Epocham præferunt.

Ecc

Eze-

Ezechiele Spanhemius Dissert. IX pag. 878 scribit ex Actis Synodi Calchedonenſis notas eſſe *ejuſdem Tyri cum Beryto contentionibus, quibus factum eſt, ut non ſolum Tyrius metropolis Phœnicie primæ, Berytus autem Phœnicie ſecundæ dicerentur; ſed etiam ut a Theodoſio junioris temporibus, juxta Notitiæ Imperii, Tyrius Metropolis maritima, altera vero Libani diceretur.* Non poſſum ad eruditiffimi viri ſententiam accedere; nuſquam enim legitur Berytus fuiſſe metropolis Phœnicie ſecundæ, ſeu Libani. Theodoſius junior ſurreptitiis precibus Euſtathii Epiſcopi Beryti deceptus, hocce decretum emiſit: *Propter multas juſtasque cauſas, metropolitano nomine & dignitate civitatem Berytum decernimus exornandam, jam ſuis virtutibus coronatam. Igitur hac quoque metropolitane babeat dignitatem; Tyro nihil de ſuo jure derogetur. At illa mater provincie majorum noſtrorum beneficio: hac noſtro.* Extat hæc ſanctio in lib. XI Cod. Juſt. tit. 21. Ex hoc Principis decreto Euſtathius Beryti Epiſcopus juſ metropoliticum ſibi vindicans, Tyri metropolitæ diœceſim invadens, ſibi ſubdidit *Byblum, Botrym, Tripolim, Orthoſiada, Arcas, & Antaradum*, uti eidem objecit in magna Synodo Calchedonenſi Photius Tyri metropolitæ. At memoratæ urbes erant omnes intra Phœniciam maritimam, in qua & Berytus urbs Byblum inter & Sidonem cenſebatur. Itaque Euſtathius Epiſcopus Berytenſis in parte Phœnicie maritimæ, non autem in Phœnicia Libani, juſ metropoliticum ſibi uſurpavit. Theodoſius Auguſtus nudum metropoleos titulum urbi Beryto conceſſerat; cum diſerte pronuntiaverit: *Tyro nihil de ſuo jure derogetur.* At cum plurimum eidem Euſtathii ambitio derogaret, in Synodo laudata Act. IV integrum juſ Tyrio Archiepiſcopo aſſertum eſt, Epiſcopo Berytenſi in ordinem redacto. Hinc epiſtolam Synodalem Phœnicie maritimæ ad Leonem Auguſtum ſubſcribunt hoc ordine Epiſcopi: *Dorotheus*, proximus Photii ſucceſſor, *Epiſcopus Tyri, Euſtathius Epiſcopus Beryti, Megas Epiſcopus Sidonis &c.* Ita Euſtathius præſumpta Metropolitani poteſtate privatus, inter ſuffraganeos Epiſcopos Phœnicie maritimæ ſemet ſubſcripſit. Idem tamen Euſtathius qui Actione IV ejus Synodi Calchedonenſis jure metropolitico privatus fuerat,

die

die XV Octobris anni Christi 451 in Act. VI habita die 15 ejusdem mensis dicitur Episcopus τῆς Βηρύσιων μητροπόλεως, *Berytiorum metropolcos*; nempe solo nomine talis. Ita Imperator Marcianus Act. VII ejusdemmet Synodi dixit: *Calchedonensium civitatem, in qua sancta fidei Concilium gestum est, metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantum; salva videlicet Nicomediensium civitati propria dignitate.* Nicomedia enim vetus erat Bithyniæ metropolis tum civilis tum etiam Ecclesiastica. Ex quo Phœnicia in duas provincias divisa fuit, quarum una maritima seu Prima, alia Libani sive Secunda dicebatur, Tyrus maritimæ: Damascus vero alterius ad Libanum metropoles fuere. Inter epistolas Patrum scriptas post Synodum Ephesinam in causa ibidem exorti schismatis, quas vir doctissimus Christianus Lupus publicavit, legitur cap. 197 epistola Joannis Patriarchæ Antiocheni ad S. Proclum Patriarcham C - P. in qua ait: *Hi qui ex Paralia sunt Deo amicissimi Episcopi, his consona componentes, & subscribentes dixerunt. Illi qui ex secunda Phœnicia venientes propter ordinationem religiosissimi Theodori, qui tua dignus est sanctitate, & quem te arbitror nosse, illum dico qui est a secunda cathedra, id est, confesso, ipsi quoque subscripserunt.* Hic Theodorus, mortuo Joanne, qui anno Christi 431 contra S. Cyrillum cum schismaticis conspiraverat, & in actis *Damasci metropolitanus* nuncupatur, ab Episcopis Phœniciae Secundæ seu Libani apud Antiochiam Damasci Metropolita consecratus fuit. Idem anno Christi 449 interfuit Concilio Antiocheno sub Domino Patriarcha, & anno 451 Calchedonensi; in cuius Act. XIV idem Theodorus dicitur *Damasci metropolitanus*. Lupus recte observat in notis ad laudatam epistolam, Antistitem Tyri fuisse protothronum seu primum Metropolitam in Patriarchatu Antiocheno; secundum vero ab ipso fuisse Episcopum Damasci Metropolitam Phœniciae Secundæ; ac proinde hic in laudata epistola *a secunda Cathedra* nuncupatur. Idem autem Lupus exponens recitata verba ejus epistolæ: *Qui ex Paralia*, hæc scribit: *Hoc est Cyprus; etenim Paralia est idem quod maritima. Paralos Salaminia erat famosissima triremis species; ideoque ab illa omnis insula accepit nomen Paralia.* Magnus hic dormitat Home-

rus. Nam ibi vox *Paralia* non Cyprium, sed Phoeniciam primam designat, cujus metropolis Tyrus; siquidem hæc ad distinctionem Phoeniciæ mediterranæ seu ad Libanum *παρὰ λίαν*, id est, *maritima* dicebatur. In veteri Notitia ecclesiæ pag. 60 legitur: *Ἐπαρχίας ποταμῆς παρὰ λίαν*: *Provincia Phœnices maritima*, ubi primo loco nominatur Tyrus metropolis, dein Berytus. Itaque Joannes Antiochenus in ea epistola ad S. Proclum nominat primo loco Episcopos *Paralia*, id est, Phoeniciæ maritimæ, quibus adjungit Episcopos *Phœnicia Secunda, durum Cæsiciarum, Arabia, Mesopotamia, Osroëna, Euphratesia, Isauria, Syria denique prima, ac secunda*, quæ sunt undecim provinciæ Ecclesiasticæ, in quas diocesis Patriarchatus Antiocheni dividebatur, quarum singulæ suos habebant Metropolitæ; ita ut Episcopus Tyri esset Metropolitæ Phoeniciæ Paraliæ seu maritimæ; Episcopus vero Damasci Metropolitæ Phoeniciæ Libani, Episcopo Beryti inter suffraganeos Archiepiscopi Tyri numerato. Episcopi Cyprii id temporis ob impetratum ab Synodo Ephesina privilegium autocephalia Episcopo Constantiæ, juri Patriarchæ Antiocheni se subtraxerant, ac idem Constantiensis Episcopus totius Insulæ Exarchum Ecclesiasticum agebat, uti erudite exponit idemmet Lupus tom. 1. Cont. in notis ad Synodum Ephesinam pag. 367. Rursum minus recte Lupus scribit: *Paralos Salaminia erat famosissima triremis species*; etenim Paralus & Salaminia erant diversæ naves, non una eademque triremis. Thucydides lib. 3 ait: *conspectus enim fuerat a navibus Salaminia & Paralo*; quod ex aliis etiam Scriptoribus constat.

C A P V T IV.

Ex charactere Epochæ Tyriorum demonstratur annus quo causa Iba Metropolitæ Edeffeni apud Berytum ac Tyrum discussa fuit. Varii errores Scaligeri. Nota temporis post consulatum quem annum designet, ac quando primum inducitur. Gothofredi sententia de Indictionibus, uno anno tardius in Oriente numeratis, refutatur. Iba causa uno eodemque anno in triplici Episcoporum judicio agitata, ac insignium Scriptorum ea de re opiniones confutata.

Quæ

QUæ hæcenus de Epochâ Tyriorum ex Nummis aliisque vetustissimis monumentis producta, & in bono lumine collocata sunt, viam aperiunt ad affequentium annum, quo causa Ibae Metropolitæ Edesseni apud Tyrum discussa fuit; si mulque ea illustranda, quæ in Act. IX & X Synodi Calchedonensis recitantur; cum insignes Scriptores in illis referendis aboraverint. In Act. IX laudata recensentur gesta in causa Ibae in hac plane verba initio concepta: *Post consulatum Flavii Zenonis & Postumiani PP. CC. die V Kalendarum Martiarum, in colonia Tyro clarissima metropoli Consulari, anno quingentesimo septuagesimo quarto, mensis Peritii die decima, secundum Romanos autem Februarii quinta & vicesima, Indictione prima, Photius reverendissimus Episcopus Tyri metropolis &c.* Scaliger in additis ad lib. de doct. Temp. pag. 749 scribit: *Et Consules & Indictio prodant annum Christi 448. Erat igitur annus periodi Julianæ 5161, proinde annus primus Aera Tyriorum consurgit ex anno 4588, Cyclo Luna IX, Solis XXIII.* Idem ibidem & in notis Eusebianis num. 2293 ait, Tyrios annos suos à deducta colonia sub rege Syriæ Demetrio putasse. At Scaliger plures errores errat. Nam Tyros annos suos putavit, non à deducta regnante Demetrio colonia, sed ab autonomia sibi, post necem Demetrii, à Alexandro rege Syriæ concessa, uti superius ostensum est. Præterea falsum est Consules ibi memoratos prodere annum Christi 448, cum plane constet ea forma appellandi consulatus, annum 449 designari. Zeno ac Postumianus fuerunt Consules anno Christi 448, quo anno plures epistolæ S. Leonis Papæ ac Synodus C-P. Sancti Flaviani contra Eutychetem eosdem Consules præferunt. Actio prima Concilii prioris Flaviani initio statim habet: *Flavio Zenone & Postumiano Consulibus clarissimis, die sexto Idus Novembris &c.* Actio vero VI ita inchoatur: *Die Sabbati, quæ est vicesima dies Novembris.* Hæc omnia repetuntur in prima Actione Synodi Calchedonensis. At, annus Christi 448 in Fastis signatur Zenone & Postumiano Coss., quo anno bissextili dies XV. Novembris incidit in feriam II, five diem Lunæ, ac vicesima ejusdem mensis fuit Sabbatum, ut in laudatis Actis Synodalibus legitur, Cyclo Solis IX, litt. DC. Hæc

uti certa sunt; ita plane etiam certissimum est illa anni designandi formula: *Post consulatum Fl. Zenonis & Postumiani*, indicari annum qui proxime post illorum consulatum fuit, nempe annum Christi 449, quo anno in Oriente Consul fuit Flavius Protogenes, in Occidente vero Flavius Asturius, quem cum Theodosius, qui in Oriente imperabat, in ea sibi subjecta parte imperii non publicasset, in publicis in Oriente gestis ad eum annum designandum a quibusdam scriptum est: *Flavio Protogene V. C. & qui fuerit nuntiatus, Consulibus*, uti legitur in secunda Synodo ejusdem S. Flaviani; vel ab aliis acta publica initio ita concepta sunt: *Post consulatum Zenonis & Postumiani*. Synodus latrocinialis Ephesina celebrata fuit anno Christi 449. Theodosius Imperator in sacra ad Dioscorum jubet illum proximis Kalendis Augusti Ephesum metropolim Asiæ convenire, Synodi ibidem habendæ gratia, cum decem metropolitibus ac totidem suffraganeis Episcopis. Ea vero epistola signatur data *tertio Kalendas Aprilis*, μετὰ τὴν ὑπατείαν Ζήνωνος καὶ Ποσειδιανῶ τῶν λαμπροτάτων: *Post consulatum Zenonis & Postumiani Clarissimorum*. Acta vero ejusdem pseudosynodi Ephesinæ ita inchoantur: τοῖς μετὰ τὴν ὑπατείαν &c. uti proxime: *Post consulatum Zenonis & Postumiani VV. CC. die VI Idus Augusti*. Quæ est nota chronologica A.C. 449. Cum A.C. 308 Consules fuissent Maximianus Hercules & Maximianus Galerius VII, & anno sequenti 309 ob dissidia inter Imperatores, nulli Consules designati Kalendis Januariis annum aperuissent, scriptum in Fastis fuit: *Post Consulatum decimum & septimum*. Qui chronologicus character tum primum anno Christi 309 inventus, postea non semel in usum venit; siue cum ineunte anno nulli Consules procedebant, ut de anno Christi 351 tradit Socrates lib. 2 cap. 24, siue, ut mox notabam, quia alter Consul ab Imperatore non erat suis in provinciis renuntiatus. Imo si quempiam annum privati Consules aperuissent; anno vero præcedenti duo Imperatores gessissent consulatum, horum nomine additis verbis *Post consulatum*, acta publica pro libito præsignari consueverunt. Itæ Synodus Oecumenica Ephesina anno Christi 431 Basilio & Antiocho Consulibus celebrata, initio Actionis I hac nota temporis ob-

signa-

signatur: *Post consulatum Dominorum nostrorum Flavii Theodosii XIII & Valentiniani III semper Augustorum &c.* Et Synodus Africana annum Christi 399, *Post consulatum gloriosissimi Imp. Honorii Augusti IV*, inscripsit; cum tamen duo Augusti Manlium Consullem suis in rescriptis notarent, Eutropio illius collega paucos post initi consularis dies occiso, & e Fastis eraso; quæ de re extat lex 17 *de pænis* a Theodosio lata in Cod. ejusdem. Hinc patet Scaligeri hallucinatio, qui annum in laudato judicio Ecclesiastico apud Tyrum habito notatum: *Post consulatum Zenonis & Postumiani*, putavit annum bissexilem Christi 448, cum eo caractere annus insequens certissime indicetur.

Magnus Ecclesiasticorum Annalium conditor Cardinalis Baronius ad annum 448 scribit hoc ipso anno judicium in causa Ibæ apud Tyrum habitum, additque: *perpetam ibi poni in cussis in hunc diem codicibus, depravato nimirum textu*. *Post consulatum Flavii Zenonis & Postumiani, restituendusque, inquit, est, ut dicat: sub Consulatu eorundem.* Baronium sequuntur Petavius in Chronico, Binius ac recentes etiam collectores Conciliorum, tom. 4 p. 628. At nullus eorum de anno Epochæ Tyriorum ibidem expresso cogitavit; cum tamen annus ibi notatus Tyriorum, DLXXIV idem judicium anno Christi 449 peractum demonstraret. Primus annus Epochæ Tyri cœpit per Autumnum A. V. Romæ 628. Quare annus Tyriorum 574 die 10 Peritii, sive Februarii 25, concurrebat cum anno, qui fuit a parilibus Romæ conditæ 1202, Christi vero 449. Rursus annus quo ab Epiphania ac suffraganeis Episcopis coacta fuit Synodus contra Severum Antiochenum, dicitur Tyriorum 643, quem fuisse Æræ Christianæ 518 recte tradunt Baronius, Binius, ac laudati Conciliorum collectores. Jam vero ab anno Tyriorum 643 ac Christi 518 per annos 69 regredientes, devenimus ad annum Tyriorum 574, Christi vero 449, ut superius demonstratum est. Quod illud judicium Tyrium ibidem signatur gestum *Indictione prima*, laudati Scriptores illud ad annum 448 retraxerunt, quo die 25 Februarii Indictio prima numerabatur, cum anno proximo 449 eodem die Indictio secunda decurreret. Verum cum character consularis ac annus

Ty.

Tyriorum 574 optime secum conveniant, ac illud iudicium affigant anno Christi 449, miror cur numerum erratum Indictionis sequi maluerint.

Jacobus Gothofredus eximia eruditionis vir, in laterculo Indictionum, qui legitur in prolegomenis initio tom. I Cod. Theod. pag. CLXXXI, scribit, Indictiones ab imperio Valentiniaciani ac Valentis in Oriente uno anno tardius quam in Occidente numeratas fuisse; quod videtur colligi ex *L. 6. de collat. donat.* libro XI Cod. Theod. Verum opinio Gothofredi non uno testimonio refellitur. Nam Theodosius Imperator Orientis in lege 9 *de Indulg. debet.* data V Idus Aprilis, Constante & Constantino Coss. anno Christi 414 ait: *Ex Indictione sextae usque ad presentem duodecimam, emergentibus necessitatibus reservatis &c.* At eo anno die 9 Aprilis etiam in Occidente, Indictio XII decurrebat. Rursus in calce sacrae Theodosii contra Irenaeum Tyri Episcopum Nestorianum haec leguntur: *Lege sunt hac in Ecclesia Monachorum in desertis degentium, die 23 Pharmuthi, Indictione prima, anno Diocletiani CLXIV.* Pharmuthus in anno fixo Aegyptiorum inibat die 27 Martii Romanorum, ut postea patebit Dissert. V cap. 2. Hinc dies 23 Pharmuthi concurrebat cum die 18 Aprilis; Annus vero 164 Aerae Diocletiani decurrebat anno Christi 448. At mense Aprili eo anno tum in Occidente tum etiam in Aegypto Indictio I numerabatur. Extat antiquius etiam Sancti Epiphanii testimonium, qui in libro Anchorati ad quosdam Syedrae in Pamphylia urbis presbyteros scripto ait: *Nam hic annus est nonagesimus Diocletiani, Valentiniaciani & Valentis decimus, Gratiani sextus (septimus) consulatus Gratiani Augusti tertium & Equitii V. C. Indictio II.* Annus ab imperio Diocletiani XC fuit: Aerae Christi 374, fratrum Imperatorum Valentiniaciani ac Valentis decimus, quo Gratianus Aug. III & Equitius Consules in Fastis signantur. Eo autem anno tum in Occidente, tum etiam in Oriente, ubi scribebat Epiphanius, Indictio secunda numerabatur. Denique, ut testimonio propiori utar, Synodus Tyria ab Epiphanio Metropolitano anno Christi 518 dicitur habita *die vicesima octava Ioi sive Septembris decima sexta sexcentissimi qua-*

quadragiesimi tertii anni, ινδισίαν @ δωδεκάτη Indictione duodecima; quæ etiam in Occidente Kalendis ejusdem mensis incœperat. In Concilio Hierosolymitano celebrato A. Christi 536 hæc initio statim præmittuntur: Post consulatum Flavii Belisarii gloriosissimi, decimotertio Kal. Octobris, Indictione quintadecima, in colonia Aelia metropoli sive Hierosolymis &c. eodem autem anno Synodus C-P. a laudato Menna coacta dicitur Aet. I initio: Post consulatum Flavii Belisarii clarissimi, sexto Nonas Maias Indictione decima quarta &c. Itaque in Phœnicia ac Palæstina Indictio Kalendis Septembris inibat; cum eo anno 536 die 19 Septembris Hierosolymis Indictio XV numeraretur. Et sane etiam ante Justinianum Indictiones Romæ inchoatas fuisse Kalendis Septembris, non obscure indicat vetus Romæ ad D. Pancratii scalpturne-pitaphium, quod recitat V. C. Jacobus Sirmondus in notis ad epistolas Ennodii Ticinensis lib. 8 epist. 1, & ex eodem Reinesius pag. 978 veterum Inscriptionum.

HIC REQUIESCIT MAXIMVS PARVVLVS
QVI VIXIT ANNOS VI. MENS. VII. DIES X
DEPOSITVS EST SUB D. ID. AVGVSTAR
SYMMACHO ET BOETIO VV. CC. CONS
IN FINE IND. XV.

Illi vero Consules anno 522 præfiguntur, Justino imperante, cum id temporis Indictio XV usque ad exitum Augusti decurreret. Itaque cum anno Christi 518 usque ad pridie Kalendas Septembris scriberetur in Oriente, into apud Tyrum, ut colligitur ex Synodo memorata Epiphani, Indictio XI anno Christi 449 die 25 Februarii, sive apud Tyrios Peritii decima, numerabatur Indictio secunda, ac proinde exscriptorum errore *prima* initio gestorum in causa Ibæ pro *secunda* posita fuit. Vel, quod probabilius puto, Indictio aliena ac posteriori manu & quidem erronea ibidem inserta fuit. Omissis innumeris exemplis, quibus probantur anni Indictionum perperam in vetustis monumentis notati, uno & altero tantum utar, quod utrumque pertinet ad hunc ipsum annum Christi 449. Pseudosynodus Ephesina Dioscori in Aet. 1 Synodi Calchedonenlis legitur celebrata: *Post consulatum Zenonis*

Fff

G

Et Postumiani CC. sub die sexto Idus Augusti, quæ est secundum Aegyptios Mesori XV, Indictione tertia; cum tamen anno 449, quo illa Synodus habita est, mense Augusto secunda Indictio numeraretur. Præterea in Act. X ejusdem Synodi Calchedonenſis recitatur alterum judicium de Iba habitum apud Berytum, quod hisce verbis inchoatur: Post consulatum Flavii Zenonis Et Postumiani VV. CC. Kalendis Septembris, Indictione secunda, in Colonia Christi amica Beryto, confidentibus Photio Et Eustathio, Et Urania religiosissimis Episcopis in novo Episcopio Beryti sanctissima nova Ecclesia. Nullus dubito, quin omnes illæ chronologica notæ aliena manu assutæ fuerint, cum Acta legitima ab illis verbis inciperent: *In colonia Christi amica Beryto Et c.* Hic prius loquar de Indictione, cetera mox in examen adducam. Ille character Consularis, ut ostendi, signat annum Christi 449. At eo anno Kalendis Septembris Indictio tertia inchoabatur, ac proinde perperam prima dies Septembris Indictione secunda signatur. Et sane Synodus Tyria sub Epiphanio Metropolita anno 518 peracta die 16 Septembris, *Indictione duodecima*, notatur, uti proxime vidimus; unde etiam in Phœnicia metropoli Tyro Indictiones Kalendis Septembris multiplicabantur. Præterea nec illud judicium haberi potuit apud Berytum anno 449 Kalendis Septembris. Nam Photius, Eustathius, & Vranus Episcopi, qui iudices delegati causam Ibae apud Berytum discusserunt, eo anno 449 die VIII Augusti sederunt apud Ephesum in Synodo latrocinali contra S. Flavianum sententiam pronuntiantes, uti patet ex actis illius Pseudosynodi infertis Act. I Concilii Calchedonenſis tom. 4 pag. 262 ultimæ Parisiensis editionis. Verum nec una die ea pseudosynodus peracta fuit, cum in eadem Dominus Patriarcha Antiochenus, Ibas metropolita Edesse, Theodoretus Cyrrhi, alique insignes Episcopi sedibus suis pulsi fuerint, quorum causæ non una eademque die octava Augusti discuti potuerunt. Euagrius lib. 1 cap. 3 scribit: *Ephesus autem distat ab urbe Antiochia itinere dierum triginta.* Berytus vero erat ultra Antiochiam M. P. CCLIII ex Itinerario Antonini. Itaque si Photius, Eustathius, ac Vranus anno Christi 449 die VIII Augusti fuerunt Ephesi in Synodo latrocinali,

cinali, neutiquam proximis Kalendis Septembris, nempe post tres tantum ac viginti dies, potuerunt convenire apud Berytum, in Phœnice ad Ibæ causam cognoscendam. His accedit, Ibam in pseudosynodo Ephesina pulsū fuisse Episcopatu, Nonno eidem subrogato. Qui igitur fieri potuit, ut memorati Episcopi, qui ante tres ac viginti dies Ibam a suis Clericis accusatum in Ephesino Concilio, quod ipsi Oecumenicum appellabant, damnaverant, ac ab Episcopatu ejecerant, eundem non modo cum suis iisdem Clericis, veluti integra causa, litigantem audirent; verum etiam, absolutum, ad suam cathedram Edessam dimitterent? Cum in Synodo laudata Act. IX & X gesta judicialia apud Berytum ac Tyrum recitata fuissent, magnificentissimi iudices ad pleniorē totius causæ cognitionem assequendam dixerunt: *Ea quidem quæ relecta sunt*, nempe Tyri ac Beryti gesta, *clarent; ut autem nihil desit judicare debentibus, relegantur quæ in Epbeso in ultimum de Ibæ reverendissimo Episcopo gesta sunt.* Act. X pag. 673. Itaque patet iudicium de Ibā apud Ephesum fuisse *ultimum*, quod jam iudicia apud Berytum ac Tyrum præcesserant.

Baronius cum optime notasset Ibam mense Augusto anno 449 damnatum in Ephesino conventu, Nonno Episcopo eidem substituto, non fuisse proximis Kal. Septembris Berytum ad causam dicendam vocatum, ait eundem anno 448 die 25 Februarii in confessu Tyri celebrato absolutum, ac a novis accusatoribus rursus delatum, iterum eodem anno Kalendis Septembris apud Berytum in iudicium accersitum. Hinc ait prius iudicium Tyrium signari Indictione prima; aliud vero Berytense Indictione secunda, quæ mense Septembri anno Christi 448 inchoata fuit. Verum cum iudicium Tyrium in Actis dicatur contigisse die decima Peritii, quæ erat Romanis 25 Februarii, anno Epochæ Tyriorum DLXXIV, quem jam ostendi, fuisse Christianæ Epochæ 449, res paucis exponenda est. Cum quidam Clerici Edesseni Ibam Episcopum apud Domnum Patriarcham Antiochiæ accusassent, Domno Ibæ amico accusatoribus non obscure infesto, iidem in regiam Urbem profecti, Imperatori Theodosio ac Sancto Flaviano Episcopo C-P. rem integram detulerunt. Theodosius die 26. Octo-

bris anni Christi 448 Damascio Tribuno ac Notario mandatum dedit, ut in Phoeniciam statim profectus, a delegatis iudicibus Iba causam discutendam curaret. Damascio a S. Flaviano collega additus fuit Eulogius Diaconus. Iudices vero designati sunt Photius Tyri metropolita, Eustathius Beryti; in Phoenice maritima Episcopi, ac Vranus Antistes Himerorum, quæ urbs erat in provincia Osrhoene, cujus Ibas erat Metropolitæ. Photius collegas iudices, Ibam, ac hujus accusatores Tyrum advocavit. Clerici accusantes statim ac advenere, tota passim urbe publicarum Ibam dixisse: *Non invidéo Christo factò Deo: in quantum enim ipse factus est, & ego factus sum*; & blasphemia verba cum Photius Tyriis scandalo esse intelligeret, *jussimus*, inquit idem Photius Act. X Synodi Calchedonenfis pag. 639, *eos egredi a Tyro; scandalizabatur enim civitas, quæ numquam tale aliquid cogitaverat, vel audierat*. Ita iudiciū Berytum ejusdem provincie urbem Tyro M. P. LIV distantem translatum fuit. Ibas quo objectam sibi hæreticæ propositionis calumniam repelleret, suum quemdam Diaconum Beryto Edessam submisit, ut a Clero Edesseno literas obtineret, quibus testarentur nunquam ea hæretica verba se ab Iba prolata audivisse. Clerus epistolam Iba favorabilem scripsit, quæ legitur p. 668 cum inscriptione: *Instructio & deprecario Dei amantissimis ac sanctissimis Episcopis Photio & Eustathio ab omni Clero Edessena metropoleos*. Quæ epistola cum Calchedone coram Synodo legeretur, Theophilus novus Iba accusator reposuit Diaconum epistolæ latorem, quod Iba erat amicus, verbum in eadem mutasse, *misit enim*, inquit, *eum a Beryto*. Ibidem pag. 673. Et sane Baronius fatetur hanc epistolam a Clero Edesseno missam, cum causa Iba Beryti discuteretur. Verum vir alias incomparabilis eruditionis, non advertit verba epistolæ quam integram magnis Annalibus inferuit. Nam postquam Clerus testatus fuisset verba illa hæretica nunquam Iba excidisse, rogant Photium ac Eustathium iudices, curent Ibam *velociter ad suum gregem reverti: καὶ μάλιστα τῆς σωτηρίας ἐσθλῆς τῆ ἀγίου Πάσχα προσελευνέσης*, & maxime salutaris festo sancti Paschatis appropinquante; cum id temporis, addunt, & propter catechismos, & propter eos qui digni sunt sancto baptisma-

te,

te, opus sit ejus presentia. Ex his intelligimus judicium apud Berytum contigisse paulo ante tempus Paschale, non autem mense Septembri, ut post Baronium opinatus est etiam V. C. Christianus Lupus in notis ad Ephesinam pseudosynodum cap. 3; ubi pag. 853. graviore errore addit annum 449, cum id temporis Ibas esset ab Episcopatu depositus. Pascha A. C. 449 fuit die 27 Martii, quæ decima Dystrierat apud Tyrios. Porro catechismi tempus in Palæstina Phœniciæ finitima quadraginta ante Pascha dierum tempore definit S. Cyrillus Hierosolymitanus in priori catechesi, & baptizandos quadraginta diebus ante solemnia Paschalia nomen coram Episcopo profiteri jubet Siricius Papa in epist. ad Himerium Tarraconensem. Hinc propter tempus proximi catechismi Clerus rogavit, ut judicio absoluto Ibas Edessam reverteretur. Ceterum cum Ibas & Cleri Edesseni testimonio & propria asseveratione, immunis ab hæreseos crimine appareret, & alia eidem objecta crimina partim diluisset, partim judicum decreto correctæ fuissent, Episcopi judices sedulam operam navarunt, in Clericis accusatoribus cum suo Episcopo conciliandis; quod ubi se affecutos cognoverunt, Tyrum iterum reversi sunt, ut eidem urbi, cui paulo ante ea Ecclesiasticorum litigia scandalo fuerant, mutuam inter eosdem redintegratam concordiam ostenderent. Ita quibusdam conventionibus Ibam inter & accusatores pax inita fuit, quam Ibas dato sacramento, alii subscriptione firmarunt apud Tyrum. Pacis formula cum subscriptionibus legitur Act. IX a p. 629. Viri eruditi cum in Act. IX Calchedonenſi legerent acta apud Tyrum, ac de in Actione sequenti X gesta in eadem causa apud Berytum, & illa quidem die 25 Februarii, hæc vero Kalendis Septembris, putarunt sex integros menses inter utrumque judicium intercessisse, ita ut die 25 Februarii apud Tyrum inita fuerit inter eosdem concordia, a qua eodem anno Clerici resili-entes, accusationem iterum apud Berytum contra Ibam mense Septembri restauraverint. At hæc dubio procul falsa esse, ipsius Photii judicis verbis ostendo. Nam hic apud Calchedonem in Synodo interrogatus, num Ibas ab accusatoribus in judiciis in Phœnicia habitis convictus fuisset, respondit Act. X pag. 636:

Venerunt tres quidem cohabitantes ipsis Clericis injurantibus, & litigantibus, contra eum dicere testimonium. Nos diximus, quia non possunt cohabitantes inimicis, susceptibiles ad testimonium comprobari. Fecimus ergo eos amicos, & sancta munera rursus in Episcopia communicaverunt invicem presbyteri & ipse. At illi tres testes contra Ibam a Clericis producti leguntur in gestis apud Berytum, pag. 653, ubi Samuel princeps accusatorum Ibx jussus testes nominare: Sunt quidem multi: coram omni Clero, dixit. Ex his autem sunt hic tres; & tres a canonibus & legibus admittuntur. Cum vero Samuel eos nominasset, Ibas unum eorum Maram præcipue excepit, quod palam cum accusatoribus Antiochiæ ac Constanti-nopoli in eodem hospitio degisset. Tum Episcopi judices alios testes accusatoribus nominandos dixerunt, cum tres appellati fide in judicio non facerent; quoniam illos, inquit, reverendis-simus Ibas tanquam accusatores vobiscum hic asserit existentes. Quæ iterum repetunt: Non suscipimus trium testium, qui a vobis adducti sunt voces; & maxime cum suspecti sint eidem religiosissimo Episcopo Iba. Hinc cum tres appellati a Clericis testes exceptionem paterentur, quia essent cohabitantes inimicis Iba, ac proinde in Berytensi judicio non fuissent suscepti, Photius ac collegæ curarunt, ut Clericos inter ac Ibam pacem certis conditionibus componerent, quæ paulo post apud Tyrum contigit, die decima mensis Peritii, anno Tyriorum 574, juxta Romanos vero die 25 Februarii, Anno Christi 449. Quare Ibas pleno mense ante Paschalia festa absolutus, Edessenam suam metropolim repetens, consueta Ecclesiæ instituta circa Catechumenos exercere potuit, priusquam illos Sabbato sancto salutaribus undis ablueret, quod enixe Clerus Edessæ ab Episcopis judicibus postulaverat. Ceterum non modo Clerici Ibx accusatores ab inita cum eodem pace resiliunt, verum etiam iidem Episcopi, qui Ibam absolverant, ipsum eodem anno damnarunt. Nam in Synodo Ephesina, quam postea S. Leo Magnus irritam habuit, præside Dioscoro Patriarcha Alexandrino, mense Augusto ejusdem anni Christi 449 Ibas a Clericis Nestorianæ hæreseos accusatus, sede Episcopali dejectus, solum vertere jussus fuit. Eustathius Beryti Episcopus
Act.

Act. X Synodi Calchedonenſis, interrogatus de iis, quæ contra Ibam apud Ephesum geſta fuerant, reſpondit: *Quia introduxerunt tres, & ſex, & duodecim teſtes propter dictionem quam dixit, hoc eſt*, Non invideo Chriſto facto Deo. *Hic eſt Phorius Episcopus &c.* Ex his colligimus, cauſam Ibæ poſt diem octavam Auguſti, qua jam, incumbente nocte, S. Flavianus damnatus fuit, in latrocinali Concilio Ephesino iterum diſcuſſam fuiſſe. Hoc etiam in eadem Act. X prodiit Theophilus Ibæ accuſator, *relegantur*, inquiens, *qua in Epheſo in ultimum de Iba reverendiſſimo Episcopo geſta ſunt.* Itaque geſta apud Ephesum in cauſa Ibæ poſteriora fuere utroque iudicio, Tyrio ac Berytenſi. Hoc ipſum diſerte tradunt Patres Synodi V in Collat. VI, ubi geſtis apud Tyrum recitatis hæc ſtatim addunt: *Cum hac ita iudicata eſſent, & finem non ſuſcepiffent, ſicut eſt invenire ex his, qua poſtea mota ſunt*, nempe apud Ephesum, *ejicitur Ibas ab Episcopatu, nec non etiam Dominus Antiochia Episcopus.* Etrurſus Collat. VIII cum dixiffent Ibam apud S. Flavianum Antiftitem C. P. & Imperatorem Theodoſium accuſatam fuiſſe, *qui & cauſa*, inquiunt, *examinationem delegaverunt Photio Episcopo Tyri & Euſtathio Episcopo Berytorum civitatis.* Poſtea vero, videlicet apud Ephesum, *inculpatus idem Ibas, ab Episcopatu deſectus eſt.* Cum autem Ibas anno Chriſti 449 menſe Auguſto in Concilio latrocinali Ephesino ſacra ſede depulſus fuerit, neutiquam proximis Kalendis Septembris ejusdem cauſa apud Berytum diſcuſſa fuit; ſed illud iudicium menſe circiter Februario habitum fuit; unde Indictionem II una cum menſe Septembri memoratis Actis fallaci manu præfixam fuiſſe colligimus. Interim adverto, Tyrios ut antiquitus in nummis, ita etiam poſteriori ætate quinto ac ſexto Chriſti ſæculo, in annis designandis minores majoribus numeros præpoſuiſſe. Nam in Act. IX Calchedonenſi iudicium in cauſa Ibæ dicitur habitum: *ἔτος τετάρτῃ ἑβδομηκοντῶν πεντακοστῇ, μηνὸς Περιίου, anno quarto ſeptuageſimo quingentefimo, menſe Peritio.* Synodus autem Epiphaniſii ſignatur celebrata *τῇ τρίτῃ τεσσαράκοντῃ ἑξακοστῇ, anno tertio quadrageſimo ſexcentefimo.* Hac de ratione numerandi plura prænotabam Diſſert. 3 cap. 4.

CAPVT V.

EPOCHAE SIDONIS, PTOLEMAIDIS, ARADI, PANEADOS, DORORVM, AC GABAE EX NUMMIS DEDVCTAE.

Non sum nescius, quosdam qui nummorum tantum interpretationibus student, moleste habituros me paulisper ad res Ecclesiasticas exponendas digressum fuisse. Vtinam vero ad illa saepe diverticula pedem referre possem! Etenim magna operæ præcia mererer, si, uti modo ex Tyrionum, ac Antiochenorum antea Epochis in nummis, sculptis præstiti, profanæ ac Ecclesiasticæ historiæ chronologiam repararem. Verum in aliis aliarum urbium Phœnices nummis puras putas illarum Epochas explicabo, quod nihil in eisdem occurrat, quod in meliorem historiæ usum conferri possit.

§. I.

EPOCHÆ SIDONIORVM.


Sidonis conditor pronepos Noe. Tyrus ejusdem colonia. Reges Sidoniorum. Astarte Dea eorundem, quæ & Europa sive in Africa Cælestis. Epochæ Sidonis cœpit A.V. Romæ 643 ob autonomiam a rege Antiocho Cyziceno obtentam.

Sidon urbs Phœnicum antiquissima, a Sidone conditore nomen accepit. In cap. 10 Geneseos Noe posterii recitantur, ubi num. 15 legimus: *Chanaam autem, qui Nepos erat Noe, genuit Sidonem primogenitum suum.* Hunc vero Sidonem urbem in Phœnice condidisse, ac de suo nomine nuncupasse tradit ex vetustis Annalibus Josephus lib. 2 Antiq. cap. 7, & cum eodem S. Hieronymus in quæst. 10 super Genesin, qui in cap. 23 Isaïæ scribit: *Tradunt enim historia quod Tyrus colonia Sidonis sit*; unde, cum Propheta ibidem ait: *Virgo filia Sidonis*; Tyrum nomine virginis designatam scribit, cujus conditores fuerunt Sidonii. Justinus lib. 18 ait: *Post multos deinde annos a rege Ascaloniorum expugnati*

pugnati Sidonii, navibus appulsi, Tyrum urbem ante annum Trojana cladis condiderunt. At Sidonios diu ante annos trecentos, quam Troja caperetur, Tyrum veterem in continenti sitam coloniam deduxisse produnt sacrae literae Josue cap. XIX, ubi V, 28 & 29 legimus *Sidonem magnam, & civitatem munitissimam Tyrum*; quæ utraque urbs celebris habebatur, quo tempore Josue terram promissam Tribubus Israeliticis divisit, annis ante Trojæ excidium, uti supputat Vsserius, ducentis ac sexaginta. Reges Sidoniorum appellat Jeremias cap. XXV, 22 & XXVII, 3. Et 3 Reg. cap. XVI, 31 Jezabel, uxor Achab, dicitur filia *Etbbaal regis Sidoniorum*. Sidonios tamen Tyriorum regibus quandoque paruisse colligimus ex 3 Regum cap. 5, cum Salomoni ab Hiram Rege Tyri petiit, ut Sidoniis imperaret scissionem lignorum in monte Libano pro templo Hierosolymis extruendo. Menander in Annalibus apud Josephum lib. 9 cap. ult. narrat Sidonios a rege Tyri ad Assyrios defecisse. Eusebius in Chronico num. 562 edit. Scaligeri ait: *Phoenix & Cadmus de Thebis Aegyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum & Sidonem regnaverunt.* Tennes Sidoniorum rex legitur apud Diodorum Siculum lib. 16, qui urbem Artaxerxi Persarum regi prodidit; at cives in desperationem acti semet una cum urbe incendio absumpserunt, quo quadraginta hominum millia perisse ferunt. Verum civibus, qui mercaturam navibus exercentes miserandum Sidonis casum evaserant, in patriam reduces brevi eandem restaurarunt. Quamvis autem postea Sidonii sub Persarum ac dein Alexandri Magni imperio essent, proprios tamen reges habere permitti sunt, quos inter Strato & Abdolominus memorantur Justino lib. 10. Alexandro tamen defuncto, Ptolemæis Aegypti, ac postea Seleucidis Syriæ regibus paruerunt. Sidonii annum Macedonum receperunt, ac Seleucidarum Epocha, uti ceteræ quoque gentes in Syriarum provinciis, utebantur, ut ex eorundem nummis patet, quorum ectypa videsis apud Vailantium pag. 242, 285 &c. Hist. Regum Syriæ. Vsserius cap. 4 de anno Solari Macedonum recitat e vetusto fragmento Saviliano variarum gentium menses, qui cum Januario Romanorum concurrebant, & eos inter Tyriorum Apellæus, ac Sidoniorum Dius

cum Januario junguntur. Et sane apud Tyrios dies XV Apellæi cum Kalendis Januariis anni Juliani concurrēbat, ut superius monstrabam. Vtunque tamen menses suo in anno Sidonii disposuerint, hunc cum ceteris Syris ab autumnno extra dubium aspiciantur.

Sidonii antiquata Epocha Seleucidarum, specialem suæ urbis Æram invexerunt, quam in eorundem nummis omnium primus Scaliger observavit lib. 3. cant. Isagogic. pag. 296, ubi Hadriani nummum profert inscriptum: ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΤΑΡΧΙΑΟΣ Ε. Ζ. Κ. Σ. nempe *Sidonis Classica. Anno 227. Sed quo, inquit, anno cusus fit ille nummus non constat. Hoc enim ignorato, caput illorum annorum deprehendi non potest.* Holstenius pag. 292 not. in Stephanum erronee Epocham scribit: L. ZKE. Illustrissimus Spanhemius Dissert. IX pag. 872 laudat nummos ab Occone descriptos, ac a Scaligero notatos, nullosque alios sibi observatos scribit, quibus Epocha Sidoniorum indicetur. Joannes Harduinus in egregio volumine geographico nummis illustrato pag. 453 dubitat, num Æra Sidoniorum eodem, quo & Ascalonitarum, anno inierit; ac pag. 454 ex nummo Trajani colligit Epocham Sidoniorum congruere cum altera Tyriorum. Verum hic Scriptor si nummos regios vidisset, aut eos, qui attentius eosdem inspexerunt, consulisset, rectam chronologiam Æræ Sidoniorum assequutus fuisset. Illam ex nummis regis ac Mediceis jam demonstro.



Hi duo Sidoniorum nummi sunt in Cimeliis Mediceis, quorum prior est Augusti sine Inscriptione; in altera illius parte hic delineata visitur currus cum sacello cistyllo Deæ Astartes, addita epigraphie:

graphie: ΣΙΔΩΝΟΣ, & in medio Θ, nempe ΘΕΑΣ, id est, *Sidonis Dea*. Epocha additur: L. ZIP. Anno CXVII. Alter nummus est Hadriani, cujus Epigraphæ partim detrита, supplenda est ex Museo Regis Christianissimi, in quo idem nummus visitur inscriptus: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟC. *Imperator Trajanus Hadrianus*. In altera parte inscriptio est similis præcedenti, cum eodem curru, eidemque imposito sacello tetrastýlo cum simulacro Astartes, ac subtus Epocha ΗΚ.. detrита tertia litera, quæ tamen in simili numismate regiæ Gallorum Gazæ perspicue apparet, videlicet ΗΚΞ, Anno CCXXVIII. Sacræ literæ nomen Dæ Sidoniorum produnt; Reg. cap. XI, 5: *Sed colebat Salomon Astartem Deam Sidoniorum*. Et 4 Reg. cap. XXIII, 3 legimus: *Astartoth Idolo Sidoniorum*. Et antea in lib. Judicum cap. 2 & 3 exprobratur Hebræis sacrilegium, quod admiserant *servientes Baalim & Astartoth*. Sanctus Augustinus quæst. 16 in lib. Judicum notat apud LXX Interpretēs legi *Astartibus*, in Latina autem, qua id temporis in Africa utebatur, versione haberi: *Astarti*, addens: *ex Hebræo*, Astartoth legimus. Et postea: *Solet dici Baal nomen esse apud gentes illarum partium*, Jovis, Astarte vero, Junonis &c. *Junonem autem sine dubitatione ab illis Astarte vocatur*. Seldenus plura erudite congerit de Astarte Syntag. II de Diis Syris cap. 2. Josephus lib. 8 cap. 2 ex Tyriorum Annalibus, quos in Græcum e Phœnicio sermone Menander Ephesius transtulit, de Jeromo Tyri ac Sidonis rege, qui Hiram in lib. 3 Regum cap. 5 vocatur, hæc recitat: *Et demolitus antiqua templa, Herculi & Astarti nova instauravit, primusque Herculi statuam erexit mense Peritio*. Et eidem Josepho lib. 1 cont. Apionem ex laudatis Annalibus Tyriis Ithobalus *Astartes sacerdos*, qui & postea Tyriorum rex, nominatur. Philo Byblius in Theologia Phœnicum apud Eusebium, interpretante eundem Cupero, laudat τὸν συνοφωρήμενον ἐν φοινίκῃ, *templum in Phœnicia a jugalibus tractum*. Macrobius illud ipsum indicans lib. 1 Satur. cap. 23 scribit: *Vebitur enim simulacrum Dei Heliopolitani ferculo, veluti in pompa ludorum Circensium Deorum simulacra; & subeunt plerumque provincia procures, raso capite, longi temporis castimonia puri, &c.* Ita Sidonii in Phœnice, in qua Heliopolis e-

rat, Astartes simulacrum intra sacellum in curru trahebant, superstitione sumpta ab Aegyptiis, quorum sacerdotes ex Herodoto lib. 2 cap. 63 solebant trahere *plaustrum quatuor rotarum, quo debuit sacellum cum simulacro, quod in eo est.* Hæc prænotavit multiplicis eruditionis scriptor idemque fœderatarum Belgii Provinciarum apud Hagam Comitum Senator Gisbertus Cuperus pag. 133 & 166 Harpocratis doctissimis abs se commentariis illustrati. Porro Astartem eandem cum Europa fuisse docent vulgati Sidoniorum nummi. In Cimeliis Regis Christianissimi visitur numisma Neronis retrorsus inscriptum: ΘΕΑC ΣΙΔΩΝΟC. Λ. Ε. Ο. Ρ. *Dea Sidonis.* Anno CLXXV. ubi visitur Europa tauro vecta, uti in Trajani quoque nummo apud Patinum, in quo eadem epigraphæ recitatur cum Epocha Sidonis ΖΚ.. obtrita postrema nota numerali, quæ in gemino nummo ejusdem regii Cimeliarchii legitur, videlicet, ΖΚΣ, *anno CCXXVII.* Poetæ enim finxerunt Europam ex agro Sidoniorum a Jove tauri imaginem simulante raptam; unde Ovidius 2 Metam. V, 835 ait Europam regis filiam ex ea regione raptam, quam

- - - *Indigenæ Sidonida dicunt.*

Lucianus sub initium opusculi de Dea Syria ait: *Est autem & aliud templum in Phœnice magnum, quod Sidonii celebrant, Astartes;* quo nomine ejusdem sacerdotes Europam Cadmi sororem intelligere testatur, & statim: *numisma quoque quo Sidonii utuntur, Europam habet insidentem tauro, Jovi videlicet.* Eusebius in Chronico num. 690 scribit: *Europa a Cretensibus rapta est navi, cujus insigne taurus;* unde Jovis in Creta regnantis, in taurum versi fabula derivavit. Europa, quæ Dea Sidonis in nummis dicitur, eadem & Astarte dicebatur. Tyrii Sidoniorum coloni, cum Carthaginem postea in Africa condiderunt, Astartes sive Europæ cultum illuc invexerunt. Hanc tamen Carthaginienſes *Cœlestem* vulgo appellabant; quam etiam non tauro, sed leone, uti Cybelem alii, vectam in nummis scalpebant, quorum ectypa magnis Ecclesiæ Annalibus Cardinalis Baronius inseruit tom. 2 ad A. C. 210, qui tom. 5 ad A. Christi 399 plura erudite congerit de Cœlesti Dea Carthaginienſium. Apud Eusebium lib. 1 laudati operis

cap.

cap. 7 legimus: *Imposuit autem Astarte capiti suo regale insigne tauri caput*; quo eadem cum Europa esse indicatur. Sed missis fabulis ac superstitionis Idololatrarum deliramentis, nummum Trajani producam, cujus iconem accepi a D. Francisco Dron Parisiis. S. Thomæ ad Luparam Canonico, veterum numismatum studio-
sissimo, quæ non sui ipsius oblectationi, sed antiquæ præsertim e-
ruditioni felicius promovendæ, ingenti numero collegit.



Huncce Trajani nummum alii evulgarunt, sed erratis literis nu-
meralibus LZKE. In antica solum *Trajani* sine titulis eo in num-
mo detritis nomen legitur. Alterius partis epigraphe est :
ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΑΣ L. ZKE, id est, *Sidonis Clasfica*,
quo titulo potentia maritima ejusdem urbis exprimitur. Mulier
in navi dexteram protendens, Fortunam Sidoniis in re navali sive
navigationibus ac maritimis expeditionibus propitiam designat.
Epocha L. ZKE annum CCXXVII indicat. Laudatissimus amicus
noster Joannes Vaillantius ex Museo Serenissimi Principis Ludovici
Augusti Borbonii Ducis Cenomaneffis hanc alterius nummū
Inscriptionem mihi insinuavit, nempe: ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. ΤΡΑΙΑΝ.
Imperator Caesar Trajanus; & retrorsus cum eodem symbolo For-
tunæ ac simili epigraphe; ΣΙΔΩΝΟΣ ΝΑΥΑΡΧΙΑΣ L. ΕΚΞ.
Sidonis Clasfica. Anno CCXXV. Harduinus priorem Trajani
nummum cum Epochâ ΖΚΕ e Cimelio etiam Regio appellat pag.
454, additque: *Alter inscriptus ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ, (ab eodem*
Principe, e Gaza Regia, habet) ΗΚΚ, Annum CCXXVIII. Cum ve-
ro in Hadriani etiam nummis proxime e Regio ac Mediceo Cime-
liarchio productis legatur: ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ L. ΗΚΚ, nem-
pe eodem anno 228, me certo assequutum putabam initium Epo-
chæ

cha Sidoniorum. Nam cum Trajanus imperium cum vira reliquerit A. V. 870 mense Augusto, succedente die xi ejusdem mensis Hadriano, si in nummis utriusque Principis signetur annus Sidoniorum 228, decurrens usque ad autumnum A. V. Romæ 870, initium Epochæ Sidonis figendum est in autumno A. V. 642. Verum quod suspicabar nummum proxime ab Harduino laudatum non Trajani esse, sed Hadriani, ea de rescripti ad Sebastianum Bianchi, quem Serenissimus Magnus Dux Etruriæ Parisios miserat, ut regia Cimelia aliaque veterum nummorum in Galliis scrinia perlustraret, priusquam Medicæ Numismatum Gazæ præficeretur. Is autem rescripsit eum regium nummum cum Epochâ ΗΚC non Trajani esse, sed Hadriani, id sibi testantibus viris illustribus Joanne Vaillantio, qui postremum regii Cimeliarchii indicem concinnaverat, ac Petro Rainsantio erudito ejusdem custode. Hinc vereor, ne perperam quoque Scaliger loco superius laudato nummum obtruserit inscriptum: ΑΤΤ. ΚΑΙCΑΡ ΑΔΡΙΑΝΟC ΣΕΒΑΣΤΟC; & retrorsus ΣΙΔΩΝΟC ΝΑΥΑΡΧΙΑΟC. L. ΖΚC.

Anno CCXXVII. Ille enim erratos sapius apud Occonem, Græcos nummos appellat; ac laudata epigraphe cum Epochâ L. ΖΚC. in Cimeliis Regio, Mauroceno, aliisque in Trajani, non autem Hadriani nummis legitur. Si tamen eadem ita scalpta in utriusque Principis nummis reapse reperiatur, illius initium colligendum est ab autumno A. V. Romæ DCXLIII, ejusque annus 227 concurreret usque ad autumnum cum A. V. 870, quem Trajanus postremum, Hadrianus vero primum imperii habuit. Ceterum ab anno eodem ab urbe Roma condita 643 initam Æram Sidoniorum colligo ex delineatis Trajani ac Hadriani nummis; siquidem Trajanus imperabat anno Sidonis 227, Hadrianus vero proximo 228. Quare annus laudatæ Epochæ ΖΚC CCXXVII in Trajani nummo scalptus, correspondet A. V. Romæ 870, quo usque ad priorem partem Augusti Trajanus erat superstes; annus vero ΗΚC, CCXXVIII in laudatis nummis Hadriani obsignatus, cœpit ab autumno ejusdem anni Urbis Romæ 870 ac totus fere cum primo Hadriani principatus concurrit, nempe usque ad diem XI Augusti A. V. 871. Itaque Æra Sidoniorum iniit ab autumno an-

ni periodi Julianæ 4603, Olympiadis CLXVII anno secundo, urbis Romæ 643, ante Æram Christi CXI, Cyclo Solis XI, Lunæ V. Hinc exponitur Epochæ in delineato Augusti nummo Mediceo; etenim annus 217 CXVII, ibidem impressus, cœpit ab autumno A. V. 759 octennio ante obitum Augusti. Annus vero 807, CLXXV, in regio Neronis numismate sculptus, initium cepit ab autumno A. V. Romæ 817 eodemque undecimo imperii Neronis.

Ex tot nummis hactenus expositis patet error Harduini, qui pag. 453 scribit *vero esse simile* Epocham Sidoniorum *eodem anno, quo Ascalonitarum Æra, cœpisse*; & altera statim pagina 454 addit: *Quod peculiaris Sidoniorum Æra congruere non immerito videtur cum Epochæ Tyriorum.* Utrumque falso dicitur. Nam Epochæ Ascalonis, ut in victis nummorum testimoniis Dissert. 5 cap. 3 mihi demonstrabitur, iniiit ab autumno A. V. Romæ 650, ac proinde toto septennio recentior est Epochæ Sidoniorum. Imo in falsa opinione Harduini, qui pag. 78 initium Æræ Ascalonis colligit ab A. V. 652, pleno novennio post illam Sidoniorum incœpit. Enimvero si Æra Sidoniorum ab A. V. Romæ 652 deduceretur, annus ejusdem 175 in nummo Neronis exsculptus, cœpisset per autumnum A. V. 826, quo Vespasianus anno jam labente sexto a nece Neronis imperabat. Rursus annus Sidoniorum ΕΚΣ, CCXXV, in Trajani nummo signatus, inivisset ab autumno A. V. 876, Trajano jam ante sexennium demortuo. Nec dissimiles anachronismi sequuntur, si Æra Sidonis eodem, quo & alia Tyriorum, anno cœpta dicatur. Nam Harduinus Epocham Tyri pag. 513 aspiciatur ab A. V. Romæ 629. Quare annis quatuordecim Sidoniam Epocham præcedit. Jam vero annus 175 in Neronis nummo, ab A. V. 629 summa deducta, exiisset A. V. Romæ 804, ante quadriennium quam Nero imperium, sublato Claudio, occuparet. Rursus annus Sidoniorum 228 in laudatis Hadriani nummis exiisset A. V. Romæ 857, tredecim ante annos priusquam demortuo Trajano Hadrianus succederet. At injuriam erudito Lectori facio, hosce annorum calculos minutatim subducendo, cum ipsimet nummi Sidoniorum satis superque manifestent peculiarem fuisse
ejus

eius urbis Epocham ab Æris Tyriorum atque Ascalonitarum distinctam.

Joannes Vaillantius pag. 343 Hist. Regum Syriæ exhibet numisma inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. EqP. *Regis Antiochi Epiphanis. Anno CXC.* In icone nummi scalptoris errore obliquata est Epocha ΕΠΡ, CLXXXV, quo anno nondum Antiochus VIII in Syria regnabat. Itaque V. C. in expositione ejus nummi recte annos recitat CXC. Ibi vero videtur Aquila cum palmæ ramo, ac inferius acrosterio, quo postremo symbolo ait designari Sidonem urbem maritimam. Aquila cum eodem ramo palmæ in Tyriorum etiam nummis scalpébatur, quorum unum e Gaza Medicea protuli c. 3 hujusce Dissertationis. Cum vero Tyrii A. V. Romæ 628 ineunte anno Seleucidarum 187 novam Epocham instituerint, laudatus nummus exprimens annum Seleucidarum 195 ad Sidonios referendus est. Hic annus Seleucidarum concurret cum A. V. Romæ 637 usque ad autumnum; ac proinde nondum Sidonii novam Epocham invexerant. Regnabat id temporis in superiori Syria atque Phœnice Antiochus VIII, quem ex nummis *Epiphanis* cognomen tulisse ostendit Vaillantius. Vidi tamen nummum amici nostri Josephi Magnavaccæ Bononiensis inscriptum: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. EqP. *Regis Antiochi Benefici. Anno CXC.* cum iis omnino symbolis, quæ in nummo Antiochi Sidetis exhibet idem Scriptor pag. 310. Et quidem cum contenderem illum nummum ad eundem Sidetem, qui Evergetis titulum tulit, pertinere; idem Magnavacca nummum ad me transmisit, in quo Epocha Ε Q P clare apparens, eundem ad Antiochum VIII referēbat. Reges Syriæ variis subinde cognominibus a subditis nunciabantur. Nam hunc Antiochum VIII vocant etiam *Philometorem* Josephus l. 13 & Porphyrius in collectaneis apud Scaligerum pag. 227, qui tamen a Syris ac postea etiam vulgo a Scriptoribus ab adunco naso *Grypus* appellatus est. Hunc Cleopatra ex Demetrio II genitum, occiso ante suamet manu filio Seleuco, regem Syriæ designavit anno secundo Olympiadis CLXIV, Urbis Romæ 631, ita tamen ut ipsa omnem imperii potestatem retineret; unde & in nummis

ar-

argenteis maximi moduli Mediceis Cleopatraz ac filii Grypi iugata capita visuntur, matre dextrorsus obsignata. Eosdem numeros videsis in laudata Historia regum Syriaz. Verum paulo post Grypus matrem, veneno sibi necem intentantem, eodem veneno extinxit, ac solus in Syria rerum potitus est, quousque bello, sibi ab Antiocho uterino fratre illato, regni partem amisit. Hunc alterum Antiochum eadem Cleopatra ex Antiocho Evergete genuerat, ejusque vitæ metuens, procul illum a Syria Cyzicum deportatum, ibidem educandum curaverat; unde *Cyziceni* cognomen tulit. Is ergo collectis in Asia copiis, in Syriam contra Antiochum Grypum descendit, a quo prælio victus, in Asiam se recepit, ac brevi restaurato exercitu, novam belli aleam iterum tentaturus, in Syriam profectus, eandem profligatis Grypi copiis, occupavit. Porphyrius ex Suctorio Callinio rerum Seleucidarum historico plurima de iisdem regibus, teste D. Hieronymo in comm. ad cap. 11 Danielis, exscripsit. Horum quædam fragmenta Scaliger publicavit a pag. 227 additorum ad Chronicon Eusebii. Ibi vero initium regni Antiochi Cyziceni in Syria dicitur contigisse ἀπὸ τῆς ρξζ Ολυμπιάδῳ ἔτους πρώτου, *anno primo Olympiadis* CLXVII, qui fuit Urbis Romæ 642. Addit Porphyrius bellum civile regum fratrum τῷ δευτέρῳ τῆς Ολυμπιάδῳ, *anno secundo ejusdem Olympiadis*, Urbis Romæ 643, ea conditione compositum, ut Antiochus Cyzicenus in Cœle Syria regnaret; Antiochus vero Grypus in Syria Antiochena, ac superioribus Asiæ provinciis cis Taurum imperium retineret. Phœnicem autem, in qua erat Sidon, Cyziceno traditam colligo ex Josepho lib. 13 cap. 16, ubi narrat Cyzicenum, cum Samaritis ab Hyrcano Judæorum principe ac Pontifice obsessis opem ferre frustra tentasset, Tripolim in Phœnice se recepisse. Hinc satis fit probabile Cyzicenum, quo novum sibi regnum securius stabiliret, Sidoniis initio statim, nempe eodem anno Urbis Romæ 643, autonomiam concessisse, quod ea urbs maritimis viribus præpollebat. Vel fortassis ipsi Sidonii civili bello fratrum Seleucidarum regno in partes divulso, sese in libertatem asserentes, quandam Reipublicæ formam induerunt; ac proinde a parta libertate, novam etiam urbis suæ

Epocham inchoandam decreverunt. Mortuo Hyrcano, Alexander Jannæus ejusdem filius, rex Judæorum, Ptolemaidem in Phœnice obsedit, cum *Antiochus Philometor*, vulgo Grypus, & frater ejus *Antiochus Cyzicenus*, inquit Josephus l. 13 cap. 20, mutuis cladibus suas vires attererent, nihil praesidi ab eis expectandum erat Ptolemaidensibus; unde hi Ptolemæi Lathuri, qui a matre Cleopatra Aegypto pulsus, in Cypro regnabat, opem implorarunt, spem eadem facientes Zoilum, qui apud Dora ac turrin Stratonis, quæ postea Cæsarea dicta est, erepta Cyziceno oppida, tyrannidem exercebat, & *Sidonios*, multosque adjuturos. Itaque cum Zoilus memoratas in Phœnice urbes occupasset, aliis vero oppidis Judæi servitutis jugum minarentur, ac mutuis Regum fratrum discordiis Seleucidarum potentia in contemptum abiisset, Sidonii per semet suam urbem regerant; unde & ab iisdem Ptolemenfes contra obsidentium Judæorum impetum suppetias sperabant.

§. II.

EPOCHA PTOLEMAIDIS.

Ptolemais antea Acco & Ace nuncupata. Eadem cum Arcis ac Ecdippa ab Interprete Stephani perperam confunditur. Nuptia Regum apud Ptolemaidem in sacris literis memorantur. Claudius Augustus eandem Urbem jure coloniz insignivit. Syri præter centesimas, tributum capitis Romanis solvebant. Epochæ Ptolemaidis Cæsariana cœpit A. V. 706. Ptolemais urbium Syria postrema a Saracenis expugnatur.

Ptolemais vetustissima in ora Phœniciæ urbs, Accho antiquitus nuncupata, in libro Judicum cap. I, 31 memoratur: *Afer quoque*, inquit sacer textus, *non deleuit habitatores Accho & Sidonis &c.* Sanctus Hieronymus in l. de locis Hebraicis scribit: *Accho quæ nunc Ptolemais appellatur, sortis Afer, de qua habitatores pristinos nequivit expellere.* Quamvis enim Hebræi mediterraneas terræ sibi promissæ gentes, Deo favente, internecione deleverint, maritimas tamen Palæstinæ aut Phœniciæ urbes non subjugarunt, Deo auxilium subtrahente, ne illi maritima negotia exercentes, peregrinam religionem ac alienos mores induerent.

rent. Eadem vero urbs a Græcis Ἀρχε postea dicta fuit. Stephanus scribit: *Ptolemais urbs Phœnicia. Prius Arce vocabatur a curatione morsus insiditi Herculi a serpente.* Pinedo Hebræus, recens Stephani poligraphi interpres, insigniter hallucinatur, dum p. III. V. Ἀρχε Arce, contendit ex Josepho *Acen, Arcen, Ecdippam* ac *Ptolemaidem* unam eandemque quatuor nominum urbem fuisse; putatque errare Ptolemaeum Geographum ac Plinium eadem uti diversa oppida describentes. At vetusta itineraria Hebræum interpretem manifeste redarguunt. Nam Antoninus in itinere Constantinopoli in Ægyptum scribit: a Balanea *Antaradon M. P. XXIII, Arcas M. P. XXXII, Tripolim M. P. XVIII, Byblon M. P. XXXVI.* Ibi vero Ptolemais locatur infra Arcas M. P. CLXXXIV. Et in Itinerario Hierosolymitano a Basilisco Mutatione, *Mansio Arcas M. P. VIII, Mutatio Bruttus M. P. IV, Civitas Tripolis M. P. XII.* Dein post plura oppida, inter quæ Berytus, Sidon, ac Tyrus recitantur, ponitur: *Mutatio Ecdeppa M. P. XII, Civitas Ptolemaidæ M. P. VIII.* Itaque Arce erat urbs in superiori parte Phœniciæ versus Antiochiâ prope Tripolim; Ptolemais vero sita erat in extrema parte ejusdem Phœniciæ versus Palæstinam, ac ab Ecdippa, uti vocat Plinius, octo milliariis distabat. Vuillelmus Tyri Præsul lib. 7 cap. 21 scribit Tripolim, Byblum, & Archim unius Principis Saracenorum ditionem constituisse, & cap. 14 ait: *Est autem Archbis una de urbibus Phœnicis ad radices Libani in colle sita munitissimo, quinque aut sex a mari distans miliaribus &c.* Itaque, Baldricus, Jacobus de Vitriaco, ac ceteri scriptores belli facientem urbem *Archim* appellant, quæ *Arce* in singulari, vel plurali numero *Arce* ab aliis nuncupatur. Hæc patria fuit Imperatoris Alexandri Severi, & in Ecclesiasticis gestis memoratur. Nam Photius Metropoli Tyræ in Act. IV Synodi Calchedonensis accusavit Eustathium Berytensem, qui sibi usurpasset urbes *Byblon, Botryn, Orthosiada, Aenas Arcas, Antaradum.* Epiphanius itidem Tyræ Archiepiscopus in literis synodicis recitatis Act. 5 Synodi C-P. sub Menna, semel & iterum meminit urbis Ἀρχηνῶν *Arcenorum*; ex quibus diversum ab assignato a Stephano, gentile ejus urbis intelligitur; unde & Lampridius cap. 5 de vita Alexandri Se-


veri laudat *Arcenam urbem*. Itaque Arcæ seu Arce diversa urbs erat ab Ace sive Ptolemaide, ac longius inter se in eadem Phœnicia distabant. Et sane non possum non mirari Pinedum ex Josepho easdem confundere, cum hic Arces sive Arcarum situm longe procul a Ptolemaide describat eo ipso loco, unde interpres Stephani oppositum colligebat. Nam Josephus ibi, nempe libro 5 cap. 1, ait: *In hac portione fuit urbs Arces, alio nomine Actipus*. Vbi Pinedo Actipus idem oppidum cum Ecdippa perperam dicitur. At Josephus post binos versus statim addit Jordanem fluvium oriri ex monte Libano κατὰ βορεία πύλιντος Ἀρχῆς παραινῶντος, *quæ fines sunt urbis Arces versus Septentrionem*. Itaque Arce erat urbs ad radices Libani; Ptolemais vero erat ultra Libanum, imo & Antilibanum, Carmelo monti proximior, a quo milliariis XXXVI distabat in ora maritima Phœnices versus Palæstinam. Divus Hieronymus in libro de locis Hebraicis scribit Achzibam fuisse in tribu Aser. *Hæc est & Dippa* (lege Ecdippa in nono milliario Ptolemaidis pergentibus Tyrum. Pinedo Actipus cum Achziba, & hoc utrumque oppidum cum Ptolemaide perperam confunditur. In cap. 10 lib. 1 Maccabæorum legitur: *Et anno centesimo sexagesimo ascendit Alexander Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis, & occupavit Ptolemaidem, & receperunt eum, & regnavit illic*. Hic novus Syriæ rex fuit Alexander, vulgo Balas, qui se ab Antiocho Epiphane Syriæ rege genitum jactans, anno Seleucidarum 160. Ptolemaide receptus, rexque ibidem salutatus, regnum Syriæ occisus in proelio Demetrio Sotere occupavit, ac ducta in uxorem Cleopatra filia Ptolemæi Philometoris, nuptias regia pompa apud Ptolemaidem, rege Ægypti illuc filiam sponsam deducente, celebravit. Tum Jonathas Judæorum princeps ac Pontifex, inquit sacer textus, *abijt cum gloria Ptolemaidem & occurrit ibi duobus regibus*. Ita Alexander nuptiarum pompam apud eam urbem celebravit, quæ Syriarum prima eundem novum regem exceperat. Rursus cap. 12 dicitur Jonathas iterum post aliquot annos Ptolemaidem profectus, ut eandem urbem, sibi a Tryphone promissam, Judæorum præsidio muniret; & v. 48 insidiæ eidem instructæ recitantur: *Uti autem intravit Ptolemaidem Jonathas, etanserunt*

runt portas civitatis Ptolemenses, & comprehenderunt eum &c. Verum civilibus Seleucidarum discordiis regno Syria debilitato, Ptolemais ab Alexandro Jannæo rege Judæorum, dein a Ptolemæo Lathuro obsessa, ac ab hujus matre Cleopatra regina Egypti capta, & tandem a Tigraue, quem ex Armenia ultro Syri acciverant, expugnata, varias calamitates pertulit, uti narrat Josephus lib. 13. Antiquitatum; donec Pompejus, victo Tigraue, Ptolemaidem cum universa Phoenice in Populi Romani potestatem redegit. Hanc postea urbem Imperator Claudius coloniam fecit, scribente Plinio lib. 5. cap. 19: *Juxta est colonia Claudii Ptolemais, qua quondam Acc.* Vlpianus apud Tyrum Ptolemaide M. P. XXXII distantem urbem natus, lib. 50. Digest. L. 1. de censibus num. 3 ait: *Ptolemensium enim colonia, qua inter Phoenicem & Palestinam sita est, nihil præter colonia nomen habet;* proxime autem notaverat Laodiceam in Syria Coele jus Italicum ab Imperatore Septimio Severo obtinuisse. Extant nummi Claudii ac Neronis in averfa parte inscripti: COL. PTOL. *Colonia Ptolemais*, cum colono boves agente, ac quatuor signis militaribus; unde & militum coloniam illuc a Claudio deductam intelligimus; nec vero simile videri potest, Claudium puro puto coloniam nomine Ptolemaidem donasse. Cum Pompejus provincias Syria Romano imperio adjecisset, *Syria tum primum facta est stipendiaria*, uti loquitur Vellejus lib. 2. Appianus in Syriacis ait: *Syri quoque ac Cilices quot annis persolvant centesimas.* Sed præter tributum soli, alterum etiam capitis Syros solvisse testatur Vlpianus in laudato lib. 50. Digest. tit. eod. de censibus, ubi L. 2. num. 3 ait: *velut in Syriis a quatuordecim annis masculi, a duodecimo feminae usque ad sexagesimum quintum annum tributo capitis obligantur.* In eo autem tit. XV. de Censibus recitantur plures coloniae, quæ ab Imperatoribus *jus Italicum* obtinuerant, de quo jure crudite disputat Gothofredus in notis ad tit. 13. de jure Italico urbis C-P. lib. 14. Codicis Theodosiani. Initio quidem duum generum erant coloniae; aliae enim erant civium Romanorum; aliae vero Latinae dicebantur. At cum Latini socii per universam Italiani armis sumptis, Romanam sibi civitatem dari contenderent, in quam illi spem a

Tiberio Druso erecti fuerant, Romani quamvis Latinorum vires pluribus prœliis contudissent, ne iterum rebellarent, Italos civitate donarunt; unde & *jus Italiae* derivavit. Paulus Juris consultus *L. 8 de censibus num. 7* ait: *Divus Vespasianus Caesarienses colonos fecit, non adjecto, ut & juris Italici essent: sed tributum his remisit capitis; sed Divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est.* Et antea num. 3 scripserat: *Divus Antoninus Antiochenes colonos fecit, salvo tributis.* Vtraque urbs, videlicet Antiochia ac Caesarea, erat in Syria, ac proinde earundem cives solvebant centesimas ac tributum capitis. Jus Italicum ab utroque tributo eximebat. Jam vero cum Caesarienses remissionem tributi capitis a Vespasiano, ac immunitatem etiam soli, nempe a centesimis, ab ejusdem filio Tito impetrassent, nequitiam tamen plene jus Italicum habuerunt; siquidem Vlpianus laudato loco *L. 1 de censibus num. 6* ait: *In Palaestina duae fuerunt coloniae, Caesariensis & Aelia Capitolina, sed neutra jus Italicum habet.* Hinc jus Italicum alia privilegia continebat, præter plenariam immunitatem soli ac capitis; quæ quidem consistebant in alienationibus, traditionibus nexi, mancipationibus, annali exceptione, in jure capiendi, aliisque actibus, qui in coloniis juris Italici fieri poterant eo jure, quo in Italico solo celebrabantur. Cum hoc jure Caesarea in Palaestina donata non fuisset, licet soli ac capitis immunitate frueretur, a Vlpiano dicitur non habuisse jus Italicum, quod, eodem teste, Severus Tyro ac Laodiceæ concessit. Cum vero scribit Ptolemaidem *nihil præter coloniae nomen habere*, jure Italico illam carere significat, quo immunitas a tributo soli ac capitis indicatur, de quo tantum privilegio Vlpianus eo in libro de censu scribit. Ita Antiochenes facti coloni, ut ex Paulo proxime notabam, nullam tributorum immunitatem a Caracalla acceperunt; quamvis tum hi, tum etiam Ptolemenses aliqua alia coloniarum privilegia obtinere, quæ tamen sola jus Italicum non præstabant. Ita quidem Vlpiani civis Tyrii de vicina Ptolemaide verba interpretor; nisi forte ob aliquot publicum crimen ea urbs privilegia coloniarum amiserit.

Vidi in scrinio D. Apollonii Bassetti, Serenissimo Magno Etruriae

truriæ Duci a secretis, nummum in antica parte inscriptum: IMP. CAES. NER. TRAJANUS AUG. GERM. & in postica: COL. PTOL. *Colonia Ptolemais*; cum figura genii urbis turrita, spicas dextra manu tenente ac monticulos insidente, cum supposita figura, quæ manibus expansis medio corpore exundis emergit, qua exprimitur descriptus Plinio lib. 36 cap. 26. *ferax nitri ad conflandum vitrum Belus amnis quinque mille passuum spatio in mare profluens, juxta coloniam Ptolemaidem.* Alterius nummi Ptolemaensium typum, ab erudito amico nostro Joanne Vaillantio acceptum, exhibeo.



Est numisma Imperatoris Elagabali, cum anteriori epigraphæ: *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus*; ac posteriori, *Colonia Ptolemais*, cum Fortunæ simulacro intra templum. Literæ Græcæ inferius positæ ΗΖC, signant annum CCLXVIII. Est Epochæ a Ptolemaensibus in honorem Julii Cæsaris decreta. Nam cum Scipio Proconsul in Syriam A. V. 705 venisset, ac suæ diœceseos urbes, bello jam civili flagrante, acerbissimis tributis afflisset, ut Dissert. 3 cap. 5 fusius exposui; ac postea Julius Cæsar A. V. 707 victor ex Ægypto per Syriam adversus Pharnacem partim classe, partim terrestri itinere exercitum duceret, *commoratus fere*, uti scribit Auctor libri de bello Alexandrino cap. 65, *in omnibus civitatibus, quæ majori sunt dignitate, præmia benemeritis & viri- tim & publice tribuit.* Cum enim Cæsar cum paucis copiis apud Alexandriam difficili bello premeretur, Syriæ ac Phœniciæ urbes certatim ad eundem milites ac commeatus transmiserunt. Hinc cum ille postea, bello feliciter profligato, ex Ægypto discedens,

scedens, per Phœniciam iter faceret, Ptolemenſes, quorum erga ſe ſtudioſum proximo bello expertus fuerat, pluribus beneficiis ornavit; nam & tributa lege Scipionis impoſita imminuit, atque urbis autonomiam Dictatorio edicto iterum ſanxit. Hinc cives in honorem Cæſaris, novam Epocham inſtituendam decrevere, cujus annum primum illum ipſum, qui tunc in curſu erat, eſſe voluerunt, qui nempe cœperat ab autumno A. V. 706, quod pariter Laodicenſes feciſſe in ſuperiori Diſſertatione c. 8 § 2 demonſtravi. Ex his facile exponuntur anni in laudato Elagabali nummo obſignati. Nam ab A. V. 706 annos numerando 268, horum poſtremus cœpit per autumnum anni Urbis 973, quo & tertius ejuſdem Auguſti annus labebatur, qui fuit Æræ Chriſti CCXX, ipſo Antonino Aug. III & Eutychiano Conſulibus. Cum enim Elagabalus annos tantum tres ac menſes IX imperaverit, palam intelligimus Æram Ptolemaidis, in ejus nummo ſignatam, eſſe Cæſarianam, & ab A. V. 706 colligendam, eamque pari annorum numero cum Æra Laodicenorum decurrere. Urbem Ptolemaidem Chriſtiani anno Salutis 1104 a Saracenorum tyrannide liberarunt, ac per annos 187 tenuerunt. Nam Veneti, Janueſes, ac Piſani, miſſis in eam urbem colonis, diſtinctas intra eandem regiones, ſive quod erant cum præſidio, caſtra poſſidebant; unde inter eaſdem nationes sæpe de maritimo imperio ſecum invicem vario Marte certantes, rixæ ac contentiones eruperunt. Et quamvis Chriſtiani continuis bellorum calamitatibus & adverſis caſibus fracti, Syriæ provincias amiſſiſſent, Ptolemaidem ac Tyrum diutius adverſus Saracenorum potentiam defenderunt, donec barbari cum maximis copiis Ptolemaidem obſidentes, eandem anno Domini 1291, die 18 Maji, feria ſexta, vi expugnatam everterunt, cujus nuncio perterriti qui cum præſidio Tyrum tenebant, urbem eodem die deferentes, Chriſtianorum in Syria regno tot Regum, Principum, ac nationum impendiis ac ſanguine, parto, finem nobis ſemper luſtuolum impoſuerunt. Ptolemais vero ad paucas caſas redacta, novo *San Giovanni d' Acri* nomine Italis mercatoribus nota eſt, qui e proximo litore arenas, quas Belus fluvius devolvit, vitris conficiendis, aſportant.

§. III.

EPOCHA ARADIORVM.

Aradus urbs Phœnicum a quonam condita. Reges proprios olim habuit. Mædonibus dein Romanis paruit. Epocha Aradiorum, capta A.V. Roma 495. Hoc ex nummis MEDICEIS demonstratur. Aradii ab Antiocho Seleuci Nicatoris nepote antonomia donati. Eorundem libertas in sacris literis indicata.


ARadus urbs Phœnicum insignis, sita erat in insula stadiis viginti a continente disiuncta. Ejusdem ambitus stadiorum septem definitur Straboni libro 16 ac Plinio lib. 5 cap. 20, quod totum parvæ insulæ spatium urbs occupabat. In Chronico Eusebii dicitur, condita anno primo Olympiadis V, nempe annis septem ante urbem Romam. Vuillelmus Tyriorum Archiepiscopus lib. 7 de bello sacro cap. 15 de Arado & Antarado scribit: *Harum utraque sita est in Phœnicia: & ejusdem civitatis unus & idem auctor fuit Aradius, videlicet novissimus natus filiorum Chanaam, filii Cham, filii Noe.* Verum Aradius Geneseos cap. X non postremus, sed nonus inter undecim filios Chanaam numeratur. Josephus lib. 1 Antiq. cap. 7, ac S. Hieronymus in quæst. in cap. X Geneseos, tradunt Aradium pronepotem & eam insulam habitasse, cui & nomen dedit. Quidam tamen apud Strabonem laudato libro putant Aradum a profugis Sidoriorum conditam fuisse. Ezechiel cap. XXVII, 8 Tyrum alloquens, ait: *Habitatores Sidonis, & Aradii fuerunt remiges tui.* Et V, 11: *Filii Aradii cum exercitu tuo erant super muros tuos in circumitu.* Itaque Aradii anno circiter sexcentesimo ante Christi Domini Natalem, erant subditi regi Tyriorum; sed postea sub Persarum monarchia proprios reges habuere, ut aliæ quoque Phœnicum urbes, ac Persis tributa solvebant. Idem Strabo ibidem, ait: *Aradii reges suos habebant, ut cetera Phœnicum civitates.* Auctor est Arrianus lib. 2 Alexandrum Magnum, cum in Phœniciam advenisset, Aradum & Marathum ex adverso urbem magnam & opulentam deditione accepisse; additque: *Erat is Gerostratus Aradiorum & quotquot insula finitimi sunt, rex.* Eadem postea urbs Seleucidis paruit. Idem Strabo rursus, *Aradii itaque, inquit, cum*

*universa Phœnicia, Syriacis regibus ut amicis obtemperabant. Postea duobus fratribus dissidentibus, Callinico Seleuco, & Antiocho qui Hierax cognominatus est, Callinico adhaerentes, pacti hoc sunt, ut ad se ex regno confugientes recipere liceret, nec tradere inviditos, sed nec injussu regis enavigare permittere. Ita Aradus jus Asyli obtinuit. Livius lib. 35 recitat orationem, qua legatus Antiochi Magni apud T. Quinctium Consulem, regiae classis potentiam exaggerabat: Dextrum, inquit, cornu Sidonios & Tyrios: sinistrum Aradios & ex Pamphylia Sidetas tenere, quas gentes nulla unquam nec arte nec virtute navali aquassent. At everso regno Seleucidarum, ac Phœnicia a Pompejo in provinciae formam redacta, Aradii deinceps in Romanorum potestate fuerunt. Exorto autem bello civili, Aradii jussi sunt a Q. Metello Scipione Syriae proconsule naves ad Pompeji classem augendam armare. Hinc Cicero lib. 9 ad Atticum epist. 13 queritur classem, quae Alexandria, Colchis, Tyro, Sidone, Arado &c. comparabatur, commeatus Italiae interclusuram. Altero postea bello civili Bruto ac Cassio, quorum partes Aradii secuti fuerant, extinctis, missos ab Antonio tributorum exactores facto tumultu, combusserunt; unde a Ventidio Antonii in Syria legato obsessi diutius resistere; quamvis fame, postea debilitati, C. Sosio Ventidii successori deditionem facere, coacti sunt. Eusebius in Chronico ait: *Curtius Salassus in insula Arado cum quatuor cohortibus vivus combustus est, quod tributa gravius exigeret.* Cum postea Aradus Christianam religionem recepisset, ejusdem Episcopi in Synodis memorantur. Notanda est subscriptio epistolae Synodicae Episcoporum Phœniciae maritimae ad Leonem Augustum 3 par. Concilii Calchedonenfis num. 37, ubi postremo loco legitur: *Atticus Episcopus Aradia Constantia*, quod alterum nomen ab Imperatore Constantio tulisse videtur. At Eusebius lib. 4 de vita Constantini cap. 39 scribit, innumera Deorum simulacra in ignem coniecta fuisse *in urbe quadam Phœnicum, quae Imperatoris nomine appellatur.* Sozomenus lib. 2 cap. 4 eadem referens, ait: *Simili etiam de causa Constantinam urbem, Phœnicia Imperatoris nomine appellatam cognovi.* Hanc urbem ex proxime recitata subscriptione Aradum fuisse puto, ibique pro*

Aradi

Aradi *Constantie*, Aradi *Constantina*, legendum videtur. Stetit Aradus ad annum usque Christi 649, quo Mavias Saracenorum princeps eandem acri obsidione oppugnatam cepit, murisque dejectis, incendit, uti scribit Cedrenus ad annum octavum imperii Constantis II, ubi ait: *fecitque ut insula in hunc usque diem habitatoribus careat.* Inter opera D. Hieronymi tom. 4 extat opusculum inscriptum: *De Actis Apostolorum*, ubi de Damasco urbe celebri scribitur: *nunc metropolis Saracenorum perbibetur, unde rex eorum Maurus famosam in ea sibi suaeque genti basilicam dedicavit, Christianis in circuitu civibus Baptista Joannis Ecclesiam frequentantibus.* Ex his patet Anonymum ejus libelli auctorem scripsisse post Saracenorum principatum Maviae delatum, qui Mahuvias ab aliis dicitur, cujus contra Christianos gesta medio septimo Aerae Christianae saeculo ab historicis recitantur.

Epocha Aradi in plerisque ejusdem nummis occurrit, cujus tamen initium non idem ab eruditis statuitur. Nam V. C. Vailantius pag. 345 Hist. Regum Syriae, scribebat Aera Aradiorum coepisse A. V. Romae 511, Seleucidarum LXX, unde & illorum nummum inscriptum: ΑΡΑΔΙΩΝ ΑΣ. ΕΡΡ. *Aradiorum Asyfi Anno 195, ait percussum fuisse A. V. 706 Scipione Syriae Praefule.* Joannes Harduinus in laudato mihi saepius volumine pag. 66 & 67 tradit Epocham Aradiorum eandem fuisse cum Aera Seleucidarum. Ejus verba sunt: *Inde porro efficias, quod alios habetenus fugit, Tripolitarum, Aradiorumque Aera eandem esse plane cum Aera Seleucidarum, atque ab A. V. C. CDXLII, una cum Seleuci Nicatoris principatu in Syria, duxisse initium.* Unum & alterum errorem errat. Nam Aera Seleucidarum initium cepit a principatu Seleuci apud Babylonem, non autem in Syria, quam anno tantum urbis Romae CDLIII post Antigoni eadem obtinuit, ut fusius ostendi Dissert. 2 cap. 1. Rursus Epocham Seleucidarum antiquior est Aera Aradiorum; hanc enim quinquaginta & amplius annis illa praecedat, ut ex nummis Mediceis jam demonstro.



Anticæ partis Inscriptio est: ΑΤΤ. ΤΡΑΙΑΝΟC ΑΡΙCΤ. ΚΑΙC. CEB. ΓΕΡ. ΔΑΚ. ΠΑΡΘ. *Imperator Trajanus, Optimus Caesar Augustus, Germanicus, Dacicus, Parthicus.* Posticæ autem: ΑΡΑΔΙΩΝ: *Aradiorum*; ubi visitur imago Fortuna, uti plane a Lactantio describitur lib. 3 cap. 29. *Nam simulacrum ejus cum copia cornu, & gubernaculo fingitur; tanquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat.* Additur in area nummi Epochæ Aradiorum ΑΟΤ, anno CCCLXXIV. Hunc nummum ex Cimeliis Serenissimi Magni Ducis Etruriæ appellat Holstenius pag. 42 notarum in Stephanum de Urbibus; ubi tamen in area aversæ partis legit ΑΟΤ, media litera erronee expressa. Eques Patinus pag. 187 in typo nummi persimilis exhibuit. ΟΤ, indicans priorem literam in suo numismate detritam esse. Harduinus pag. 67 putat scalprum ΟΤ, *Anno CCCLXX, ut nummum, inquit, Neronis esse verius putem.* At nummus Medicæus optime servatus, duraturis in omne ævum literis, Trajanum ibidem scalprum prodit anno Aradiorum ΑΟΤ, CCCLXXIV. Ex titulo *Parthici* qui eo in nummo Trajano desertur, propius ducimur ad initium Epochæ Aradiorum intelligendum. Nam differt. 3 cap. 8 § 2 ex nummis Laodicensium ac inscriptis lapidibus, ostendi Trajanum labente anno Urbis Romæ 868, Christi CXV, Ctesiphonte regia Parthorum capta, *Parthicum* ab exercitu vocatum ante Novembrem ejusdem anni eo cum titulo in nummis obsignatum fuisse. Cum vero Trajanus obierit inito Augusto A. V. Romæ 870, patet cum Aradiorum nummum percussum fuisse intra biennium, quod

quod fuit ab ætate A. V. 868 ad ætatem A. V. 870, ac proinde initium Epochæ Aradi non posse retrahi supra A. V. 494. Nam si cœpisset A. V. Romæ 493, annus abhinc 374 exiisset per autumnum A. V. 867, quo Trajanus nondum in lapidum ac nummorum Inscriptionibus *Partbicus* nuncupabatur. Rursus initium Epochæ Aradiorum nequit protrudi infra annum Urbis Romæ 496. Etenim ab A. V. 497 numerando annos 373, iidem exiissent per autumnum A. V. 870, ac annus Aradiorum 374 cœpisset Hadriano jam imperante. Vidi in scrinio D. Apollonii Bassetti, Serenissimo Magno Duci COSMO III a secretis, nummum in postica cum bove currente obsignatum: ΑΡΑΔΙΩΝ, & supra taurum ΕΟΤ, id est, *Aradiorum. Anno CCCLXXV*. Huic geminum possidet Illustrissimus ac Excellentissimus D. Joannes Dominicus Theopolus Venetus Patricius, qui uti magnis impensis veterum Numismatum thesaurum sibi comparavit; ita eorundem studiosos pari benevolentia ac patrocinio complectitur. In antica parte nummi visitur caput muliebre velatum sine epigraphie; & infra aliud minimum caput laureatum, quod plane nequit perspicui, num Trajani sit vel potius Hadriani ejusdem successoris. Et sane si Hadriani esset, initium Epochæ Aradiorum statuendum esset per autumnum A. V. 495. Nam annus inde 375 in laudato nummo sculptus, exiisset circa autumnum A. V. 870, Hadriano jam a die XI Augusti imperante; atque ita nummus recitatus Trajani cum Epochâ annorum 374 percussus fuisset apud Aradam anno postremo imperii ejusdem. Eques Patinus pag. 166 in Domitiano similem nummum recitat cum capite muliebri, & altero minimo laureato, in antica parte, & retrorsus: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΕΣΤ. *Aradiorum*. Annus tamen Epochæ incertus est, quod media litera numeralis Σ in mendo cubat. Harduinus pag. 67 loco Σ reponit notam numeri apud Græcos ΧC, ut sit annus Æræ Aradiorum CCCXCV, ac Domitiano nummum adscribit. Errat; siquidem in nummis Domitiani apud Aradam percussis, ut postea expono, visitur Epochâ annorum BMT. & BNT; nec media litera numeralis altera post N, nempe Π aut Q, nummis Domitiani convenire potest, quia utraque annos post necem Domitiani designat. Har-


duinus ex Epocha Seleucidarum Aradiis erronee afficta, mediam illam notam numeralem pro arbitrio reposuit. Qua in re alterum errorem errat. Nam nota illa, quæ est veluti G Latinorum media lineola inferius cadente, nondum id temporis apud Græcos in usu erat ad numerum nonagesimum designandum; sed passim adhibebant q, quam literam *Koppam* dicebant, ut erudite ostendit Scaliger in notis Eusebianis num. MDCXVII, ubi & Marius Victorinum laudat scribentem: *Sed q numero servire, atque nonaginta significare*; quod ex nummis Regum Syria intelligimus; ac binos etiam Antiochenorum Koppa obsignatos superius produximus. Beda etiam in libello de indigitatione tom. I pag. 179 ait: *Copbe quoque idcirco ponitur juxta literam P, quæ valet nonaginta*. Nam cum apud Græcos a K proxime sequentes literæ singulæ numeros decennio auctos exprimant, litera Π designat LXXX, postquam sequebatur q nempe Koppa, signum numeri XC. Hinc postea P est nota centesimi, Σ ducentesimi &c. Jam vero pag. 240 ostendi in nummis numerum XC tribus notis designatum fuisse, quarum prior fuit q, quæ postea superius aperta ut in nummis scalpta, diversam figuram prætulit. Interim constat notam numeri XC, quam ibidem Harduinus adponit, nunquam a Monetariis adhibitam fuisse; quippe quæ recentior est, ac ex prioribus notis derivat, ita tamen ut Latinorum potius G, quam vetustoris Græcorum Koppæ figuram præferat. Sed alios Aradiorum nummos producamus.



Hunc quoque nummum ex Cimeliis Mediceis laudat Holstenius pag. 42, ubi tamen Epocham omittit. Inscriptio antica Latine datur:

tur: *Imperator Caesar Marcus Aurelius Antoninus*. In averſa parte legitur: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΕΤΟΥΣ ΖΟΥ. *Aradiorum. Anno CCCCLXXVII*. Triftanustom. 2 pag. 230 ſimilem fere nummum tanquam Caracallæ recitat, ubi tamen arbor viſitur inter Taurum & Arietem. Eundem e gaza Regis Chriftianiſſimi producit Harduinus, addens ibidem, ut in Mediceo, ſignari Epocham: ΕΤ. ΖΟΥ. Anno CCCCLXXVII, aitque nummum eſſe *M. Aurelii Antonini* Philoſophi, ac deſignari A. V. Romæ DCCCCXVIII, qui fuit Aradiorum 477. Sed ſi vir oculiſſimus, quippe qui in præſatione jactat ſe *innumera in hoc genere doctrina animadvertiſſe, quæ nondum a quocumque animadverſa ſint*, nummum ipſum in regiis ſcriniis inſpexiſſet, non autem in eorundem indicibus, neutiquam in eam præpoſitam opinionem deſcendiſſet. Nam eo in nummo ſcalpta viſitur imago M. Aurelii Antonini Elagabali proſus imberbis, qui, teſte Dione, anno ætatis decimo octavo occiſus fuit. At M. Aurelius Antoninus, vulgo Philoſophus A. V. 918, quo eum nummum Harduinus ſcalptum putat, annum agebat ætatis XLV, ac Tribuniçæ poteſtatis XIX, & in nummis cum eo anno TR. P. XIX bene barbatus apparet. Sed neque idem nummus eſt Aurelii Antonini Caracallæ, ut Triftanus aliique exiſtimarunt. Nam cum in nummo Trajani proxime expoſito ſignetur annus Aradiorum 374, ac ex titulo *Partbici* ibidem expreſſo conſtet eundem nummum non fuiſſe ſcalptum ante A. V. 868, adde annos 103, habebis annum Aradiorum CCCCLXXVII, Urbis Romæ 971, quo Elagabalus imperabat. Prætereâ accepi a V. C. Vaillantio typum nummi, in cujus priori parte legitur: ΑΝΤΩΝΙΝΟC ΚΑΙ ΟΥΗΡΟC CΕΒ. *Antoninus & Verus Auguſti*. Et retrorſus cum Fortuna temonem ac cornu copix tenente, ut in Trajani nummo propoſito: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΑΚΥ. *Aradiorum. Anno CCCCXXI*. Extant huic ſimiles nummi in regia Gallorum Gaza ac theſauro Mauroceno cum capitibus M. Aurelii ac L. Veri, eademque epigrapha; & in altera parte cum bove corrente legitur: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΑΚΥ. *Aradiorum. Anno CCCCXXI*; qui numerus collectus ab A. V. Romæ 495 dat initium anni 421 per autumnum A. V. Romæ 915, eodemque altero imperii utri-

utriusque Augusti. In indice Patiniano pag. 125 prior nota numeralis A omiſſa eſt; ſiquidem Epochæ ΚΤ tantum exprimitur, Verum ibidem ſculptum eſſe ΑΚΤ, mihi teſtatus eſt laudatus alias Nicolaus Bon, qui centies Mauroceni Cimeliarchii nummos tractavit, ac in indicem retulit, quocum etiam ipſe ſemel & iterum, Domino ſuperſtite, eoſdem vidi. Hinc corrigendus alter error Harduini, qui in *Addendis* pag. 568 hunc M. Aurelii ac L. Veri nummum recitans, Epocham finxit ΑΠΤ, anno CCCCLXXXI, media nota numerali Κ in Π demutata, ut Aradiorum Æram eandem cum vetuſtiori altera Seleucidarum obtruderet. Alter etiam in iſdem Cimeliis nummus ſervatur anterieus ſimili epigrapha obſignatus: ΑΝΤΩΝΙΝΟC ΚΑΙ ΟΥΗΡΟC CEB, *Antoninus & Verus Auguſti*, cum capitibus eorundem adverſis. Retroſus vero: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΑΚΤ, *Aradiorum. Anno CCCXXI*, cum typo Fortunæ, ut ſuperius pag. 364 in nummo Mediceo; niſi quod in illo ſupra caput Fortunæ viſitur calathus. Cum Joannes Vaillantius, anno 1685 exeunte, Romæ eſſet, nummum emit, cujus hunc ad me typum tranſmiſit.



Epigraphæ anterieor Latine datur: *Cæſar Domitianus Auguſtus; & poſterior: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΒΝΤ. Aradiorum. Anno CCCLII. Quem annorum numerum ſi colligas ab A. V. Romæ 495, eundem habebis exactum A. V. 847, quo Domitianus Idibus Septembris annum imperii XIII complevit. Eques Patinus pag. 166 alium Domitiani nummum recitat inſcriptum: ΑΡΑΔΙΩΝ. ΒΜΤ. Aradiorum. Anno CCCXLII, qui cœpit A. V. 836 ac cum tertio principatus ejusdem Auguſti concurrat. Harduinus pag. 67 contendit eo in nummo legendum eſſe ΒCΤ, ut ſiſis annus Seleucidarum, Aradiorumque*

rumque 392, Urbis Roma 833 ac Domitiani primus. Sed viri Clarissimi errorem superius confutavi. Præterea Epocha Seleucidarum iniiit ab Hyperberetæo A. V. Capitolino 441. Quare annus ejusdem 392 exisset cum Septembri A. V. Capitolino 833, cum Domitianus duodevicesimum inii nuper imperii diem ageret, ut vix tam brevi spatio novi principatus nuntius in Phœniciam deferri potuerit.

Hactenus demonstratum est Epocham Aradiorum intra annos Urbis Romæ 494 & 496 initium cepisse, nullo numismate hucusque invento, vel saltem mihi noto, quod alterutrum ejusdem primum inductæ annum indicet. Interim probabiliter dicetur inita ab autumno A. V. 495. Cum vero per ea tempora ceteræ urbes Syriæ Seleucidarum Æra uterentur, investigandum est, cur Aradii omnium primi Epochæ Seleucidarum novam suæ urbis propriam substituerint. Antiochus cognomento *Θεός* Seleuci Nicatoris nepos, id temporis in Syria regnabat; Phœnice vero ad Ptolemæum Philadelphum Ptolemæi Soteris filium, Ægypti regem pertinebat. Sanctus Hieronymus, qui Porphyrii hominis apud Tyrum nati libros legit, & quamvis plerosque in eisdem errores notet, multas tamen easque præclaras inde etiam noticias rerum Seleucidarum exscripsit, quas tamen idem Porphyrius ex libris Callinici Sutorii magna parte decerpfit. Itaque S. Doctor in cap. XI Danielis paucis gesta regum Syriæ describens, ait: *Tertius & ipse Antiochus qui vocabatur Θεός, id est, Deus. Is adversus Ptolemæum Philadelphum, qui secundus imperabat Ægyptiis, gessit bella quam plurima, & totis Babylonis & Orientis viribus dimicavit.* Addit S. Doctor vetustas appellans historias, classem Ptolemæi habuisse naves mille ac quingentas, & alias in super mille ad comæatus deveniendos. Ptolemæus Soter ea conditione fœdus cum Seleuco perculserat, ut post devictum Antigonom, *Asia quidem universa dominatus Seleuco pararetur; Cæleste vero Syriam & Phœnicem propriam ut sibi faceret;* uti apud Polybium lib. 5 legati Ptolemæi Philopatoris loquuntur. Hinc Theocritus in Idyllo XVII inter gentes Ptolemæo Soteri subditas versu 86 nominat *Φοινίκας* Phœnices;

K k k

qui

qui cum proximo versu & Syros addat, Coele-Syros intellexit, non vero Syriæ superioris gentes. Ptolemæus etiam Philadelphus eandem Phœniciam possedit; siquidem hujus filius Ptolemæus Evergêtes in marmore Adulitano, cujus inscriptionem Leo Allatius etiam Latine publicavit; dicitur *Aegypti, Lybie, Syriæ, Phœnicæ, Cypri, Lyciæ, Cariæ, & Cycladum insularum imperium a patre accepisse*. Antiochus III cognomine Magnus regum Syriæ primus Phœniciam invasit, captis Beryto, Tyro, Ptolemaide, Botry, aliisque ejus provinciæ civitatibus, uti narrat laudato lib. 5 Polybius. Cum vero Aradii anno Urbis Romæ 495 ob acceptam autonomiam, novam exinde Epocham instituerint, in obscuro est, num id privilegii obtinuerint ab Antiocho cognomento Deo Syriæ rege, vel potius a Ptolemæo Philadelpho, qui in Ægypto ac Phœnicia etiam regnabat, uti ostendimus; quod etiam colligitur ex Josepho lib. 12 cap. 4, ubi ait Ptolemæum Evergetem Philadelphi filium collegisse octo millia talentorum ex annuis vectigalibus *Cœles Syriæ, Phœnicæ, Judææ, atque Samariæ*; ubi ait ad eundem Regem Alexandriam venisse *omnes Syriæ & Phœnicæ urbium principes ad emenda vectigalia, quæ singulis annis rex vendebat oppidanorum potentioribus*, ac eadem conduxisse Josephum nepotem Oniæ Judæorum Pontificis. Quod Polybius describens expeditionem Antiochi Magni in Phœnicia contra Ptolemæum Philopatorem susceptam, neque Tripolim neque Orthosiada ab eodem captas urbes memorat, suspicari possumus eam superiorem Phœniciæ partem versus Syriam Antiochenam intra regnum Seleucidarum fuisse. Porro Aradus distabat Balanea urbe Seleucidarum in Syria Antiochena M. P. XXVI, ac propterea ad regnum Seleucidarum fortasse spectabat. Hinc bello inter Antiochum & Ptolemæum Philadelphum exorto, cum Aradii maritimis viribus præpollerent, ab Antiocho autonomia donati sunt, ut adversus Ægyptias classes promptiori animo depugnarent. Vel forte iidem Aradii qui insulam incolebant, a potentissima mille ac quingentarum navium classe Ptolemæi sibi metuentes, ad ejus partes transierunt ea conditione, ut suis sibi legibus vivere liceret. Quare uti pene mihi certum est Aradiosejus belli occasio-

ne

ne autonomiam accepisse; ita incertum habeo, a quonam memoratorum regum eandem obtinuerint. Cum vero bello civili inter fratres Antiochos Hieracem ac Callinicum, Aradii huic adherentes; jus asyli ab eodem recepissent, formam quandam reipublice præferentes, res suas feliciter promoverunt. Extat apud Polybium lib. 5 in signe libertatis sive autonomiæ Aradiorum exemplum. Nam cum Antiochus Magnus laudati Callinici filius, contra Ptolemæum Philopatorem exercitum duceret, *Mactæum progressus*, inquit Polybius, *quum ad eum Aradii venissent de societate acturi, non solum illos in societatem accepit, sed etiam controversiam, qua insulanos Aradios & eos, qui continentem habent, invicem alienabas, sedavit, atque ut inter sese concorditer viverent, effecit.* Hæc contigere anno tertio Olympiadis CXL, urbis Romæ 536. Quare id temporis Aradii non erant subditi regibus Syriæ; subditis enim non societatis, sed obsequii erga reges cura inest. Præterea lib. 1 Maccabæorum cap. 15 recitantur literæ cum titulo: *Lucius Consul Romanorum.* Narratur in illis societas & amicitia, quam Judæorum gens per legatos cum S. P. Q. R. contraxerat. Et postea additur: *Hæc eadem scripta sunt Demetrio Regi, & Attalo, & Ariarathi &c. & in Coe, & in Siden, & in Aradom, & in Rhodom &c.* Neque Tyrus aut Sidon urbes in eadem Phœnice longe nobiliores nominantur, sed una Aradus, quia in illis literis Reges ac populi, sive urbes libertate potientes recitantur. Atque hoc alterum est illustre autonomiæ Aradiorum exemplum. Scriptæ sunt illæ literæ A. V. Romæ 615, quo Lucius Calpurnius Piso collega M. Popilio Lænatæ consulatum gessit. Antea vero iidem Aradii trecenta talenta obtulerant Ammonio regis Alexandri Balæ in Syria præfecto, ut ipsis Marathum ex adverso in contingente urbem traderet; ex Diodoro Siculo pag. 349 excerptorum Henrici Valesii. Alexander Balas occisus fuit anno Seleucidarum 167 ex libro 1 Maccab. cap. 11, qui annus partim concurrit cum A. V. Romæ 609. Ita Aradii quod erant liberi, res suas vel cum detrimento regum Syriæ promovere tentabant. Porphyrius apud D. Hieronymum in cap. XI Danielis scribit Ægyptum ab Antiocho Epiphane subactam fuisse, & sta-

tim de eodem ait: *unde & regrediens, capit Aradios resistentes, & omnem in litore Phœnicæ vastat provinciam, confestimque pergit ad Artaxiam regem Armeniæ, qui ab Antiocho Magno ejusdem Epiphanis patre ad Romanos defecerat, ex Strabone lib. II. Ita Aradii autonomiam jactantes, ab Antiocho Epiphane ad obsequium Seleucidis præstandum coacti sunt.*

§. IV.

EPOCHA PANEADOS.

Hæc urbs Lesen antiquitus appellata; dein a Philippo Tetrarcha Cæsareæ Augustæ, sive vulgo Philippi nomen tulit. Postea Neronias, denique Paneas sub Cæsaribus dicta est. Num a Panio monte, vel cultu ibidem Pane nomen sortita fuerit. Non fuit colonia ab Augusto deducta. Eusebius perperam scribit eandem in honorem Tiberii Cæsaream nuncupatam. Ejusdem Epochæ in nummis. Illius initium inter annos Urbis Roma 751 & 755 statuendum.

Hæc urbs sex nomina sortita est. Ejusdem initia vetustissima memorantur D. Hieronymo in cap. 48 Ezechielis, ubi nominat urbem Lesem in tribu Dan, *quæ, inquit, hodie appellatur Paneas.* Josue cap. XIX, 47 dicuntur filii Dan, eodem oppido expugnato, ibidem habitasse, *vocantes nomen ejus Lesem-Dan ex nomine patris sui.* Philippus postea Tetrarcha, Herodis regis filius, inquit Josephus lib. 18 Antiq. cap. 3, *Paneada sitam ad Jordanis fontes instruxit ædificiis, addito Cæsareæ nomine.* Et ut ab altera Cæsareæ Palæstinæ distingueretur, *Cæsareæ Philippi* de nomine conditoris vulgo dicta fuit. Ita Marci VIII, 27 legitur: *Et egressus est Jesus & discipuli ejus in castella Cæsareæ Philippi;* quod ipsum habetur Matthæi cap. XVI, 13. Holsenius pag. 154. not. in Stephanum, ex nummo colligit eam urbem dictam fuisse, Claudio imperante, *Claudiam Cæsaream*, qua de re inferius sermo redibit. Rex junior Agrippa, ut ait Josephus lib. 20 Antiq. cap. 8, *prolatis pomæriis Cæsareæ, quæ Philippi dicitur, mutato nomine, in Neronis honorem, vocavit eam Neroniadem.* Verum cum pessimo Neronis exitu, mali ominis nomen desiit; ac cives eandem *Cæsaream Augustam* nuncuparunt, quod ex nummis mox lau-

laudandis apparet. At hoc quoque, augusto fiet, nomine antiquato, *Paneas* per plura secula nuncupata fuit, quousque a Saracenis expugnata, *Belina* nomen accepit, uti produnt Vuillelmus Tyrius, Baldricus, Jacobus de Vitriaco, ac ceteri qui bella sacra pro recuperandis Hierosolymis descripserunt. Stephano nominatur *Paneas oppidulum Phœnicie*, ubi in notis Thomas de Pinedo ait: *Sane nullum novi hujus nominis Phœnicie oppidum*, cum Plinius, inquit, ac Josephus *Paneada* regionem nominent. Est supina Hebraei interpretis hallucinatio. In excerptis apud Valesium pag. 76. Polybius ostendit plura errata fuisse Zenoni historico in descriptione proelii, quo *Antiochus in Syria Cæle ad oppidum Panium cum Scopa conflixit*. At minus recte Valesius Polybii verba περί τὸ Δαρίον, ad *oppidum Panium* Latine reddidit; nullum enim, regnante Antiocho Magno, oppidum Panium eo loci ab Historicis memoratur. Stephanus latè dat *Δαρίον ὁ ὀνόμαζον Παλαιστίνης*, *Panium specus Palestina*, quod quidem specus erat ibidem veteri religione Gentilibus celebratissimum, ut proxime ex Josepho intelligemus. Vrbis *Paneas* apud Ecclesiasticos Scriptores occurrit. Eusebius lib. 7. Hist. Eccles. cap. 17 scribit: *Apud Cesaream Philippi, quæ nunc Phœnicæ Paneada nominant ad pedes Paniam montis, ex quibus profuit Jordanis &c.* D. Hieronymus in cap. 16 Matthæi de Philippo Tetrarcha ait: *qui in honorem Tiberii Cæsaris Cesaream Philippi, quæ nunc Paneas dicitur, appellavit: & est in provincia Phœnicæ*. Sozomenus lib. 5 cap. 20 de Juliano Augusto apostata loquens: *Cum, inquit, certior factus esset Cæsarem Philippi; est ea urbs Phœnicie, quam Paneadem vocant &c.* Eandem nominat Philostorgius, cujus mox verba recitabo. Ejusdem urbis Episcopi in Synodis etiam appellantur. Vnam proferam Calchedonensem, in cujus Act. IV. legitur: *Olympius Episcopus Πανεάδος ἐπαρχίας πρώτης φονίης*, *Paneados provincie prime Phœnicie*. In tabulis Peuringerianis legitur: *Sycepholi XIII, Tiberius XXXII, Cesareæ Paneas XXVIII ad Aumentem XXVIII Damasco*. Libanum montem inter Cesaream Philippi ac Damascum extendi tradit Vuillelmus Tyrius lib. 17 cap. 7. Plinius lib. 5 cap. 15 ait: *Jordanes amnis oritur e fonte Paneade, qui cognomen de-*

dit Casarea. At Philostorgius nomen Paneados a simulacro Panis ibidem culto derivatum autumat lib. 7 cap. 3 scribens: *Secutus autem temporibus Casarea Philippi cognominata est. Sed cum Gentiles Panis simulacrum in ea collocassent, in Paneados vocabulum transiit.* Spanhiemius contendit pag. 899, Paneadem nec a fonte, nec a Pane, sed a proximo Panio monte nomen accepisse. Polybius legat. 72 narrat Antiochum Magnam *τὴν Πανίαν*, apud Panium Aegyptiorum copias in introitu proelio profligasse, quod praerium Josephus lib. 12 cap. 3 ait gestum ab Antiocho *ad fontes Jordanis*. Idem vero Josephus lib. 15 cap. 13 scribit ab Herode dictum fuisse templum Augusto *prope Panium*. Hac mihi notandus est error Holstenii, qui pag. 24 not. in Stephanum ait: *Nec videtur Paneas a Gaza, cuius Polybius tanquam Panio vicina meminit, multum fuisse distita.* At Paneas erat vicina Tyro, quae ex itinere Antonini a Gaza distabat M. P. CLXIV, & inter Panium ac Gazam sitae erant Galilaea, Samaria, ac Iudaea. Idem Josephus eo loco haec addit de Panio: *Id spelunca est in monte amoenissima, eique subjecta in immensum bias terra de vexitas, plena aquis stagnantibus. Et ibi valde magnus imminet; sub spelunca autem scatent fontes Jordanis fluminis. Hunc locum, aliquin etiam celebre, ornavit templo extructo in honorem Caesaris.* Itaque Panium erat spelunca amoenissima, ubi Panis simulacrum vetusta religione colebatur, quod Numen erat tutelare loci, cui & nomen primitus dedit, ut non solum testimonio Philostorgii, sed plurium etiam ejusdem urbis numismatum Panis imagine obsignatorum evincitur; quamvis erret Philostorgius, dum nomen Casarea Philippi antiquius Dei Panis cultu pronuntiat; Panium enim laudat Polybius Scriptor longe Casarea Philippi nomine vetustior. Panmontium Deus dicebatur; juxta illud Statii carmen lib. 2 Sylv. in Surrentino Polli,

Dorida montani cupierunt prendere Panes.

Pan etiam apud Phornutum in libro de natura Deorum, *in montibus & ANTRIS vitam exigere* dicitur. Hinc in eo amoenissimo montis antro Pan vetusta superstitione adoratus, *Panii* nomen loco dedit, quo nomine totus postea mons appellatus fuit. Et quidem


dem antiquius illius montis nomen ex præceptore Hebræo prodit S. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis scribens: *Hebraus vero, quo prælegente Scripturas didici, affirmat montem Hermon Paneadei imminere, quem quondam tenuere Horus & Amorrhæi, de quo etiam effusa nives Tyrim ob delicias deferuntur.* In capite tertio lib. Judicum vers. 3; legimus *Hevæim qui habitabant in montibus Libani: de monte Baal Hermon usque ad introitum Emath*; quæ urbs erat in Cœle Syria ad Orontem, postea Epiphania nuncupata. Ex his intelligimus sitam Paneadem prope Tyrim, quæ Scriptori de locis in Actis Apostolicis tom. 3. Operum D. Hieronymi dicitur distasse *vicefimo prope millario a Caesarea Philippi.* Idem vero Hieronymus laudato libro scribit, quarto a Paneade millario versus Tyrum ad radices Libani, in viculo Dan fontem *Dan* pariter appellatum fuisse, qui versus Paneadem decurrens, ante urbis portam cum altero rivo, qui *Jor* communi apud Hebræos nomine dicebatur, commixtus, Jordānis nomen accipiebat. Josephus lib. 3 de bello cap. 18 ait: *Naturalis quidem pulchritudo Panii regis opibus & Agrippa divitiis magnificentius accurata est. Manifeste autem flumen Jordania ex hoc antro incipiens &c.* Quibus postremis verbis rivum *Jor* Hebraice dictum laudat, quem Plinius fontem Paneadam appellat. Itaque horum nominum etymologia hoc ordine deducta videtur, ut a cultu ibidem Panæ, antrum *Panii* nomen primitus tulerit, & ab antro tum fons inde erumpens *Panieas*, tum etiam totus mons *Hermon* quondam dictus, *Panius* postea appellatus fuerit, a quo denique e monte urbs *Panieas* nomen sortita est. Et sane Paneada non a fonte, ut Plinius putabat, sed a monte Panio proxime appellatam, produunt ejusdem nomeni mox exponendi, in quibus eadem dicitur *Cæsarea Augusta* & ΠΑΝΕΙΣ, *sub Panio.* Et enim quædam innumeralis urbs *capiam* fluminis proxima indicatur, inserta ibidem legitur præpositio *πρὸς prope*; non autem *ἐν*, id est, *sub*; ita enim in nummis leguntur Apamea ΠΡΟΣ ΜΑΓΙΑΝΑΡΟΝ, Antiochia ΠΡΟΣ ΕΥΡΕΑΤΗΝ, Nicopolis ΠΡΟΣ ΙΚΤΥΟΝ, apud V.C. Spanhemium Dissert. IX a p. 888, nempe *prope Myandrum; prope Baphræonem; prope Istrum.* Quæ urbes minus recte differuntur esse *sub Istro, sub Euphrate*

phrate etc. Quando vero urbs monti proxima designatur, dicitur sub monte, vel prope montem, nempe. Græce ὑπὸ vel πρὸς. Hinc Stephanus V. *Cæsarea*, tertiam hujus nominis urbem ait sitam πρὸς ὑψιπάρῳ: *prope Paneadon*, nempe fontem ex Panio monte erumpentem. Quare cum in nummis dicatur *Cæsarea Augusta sub Panio*, hac voce non Paneas fons, sed Panius mons exprimitur, a quo postea ea urbs proxime nomen habuit, ac Paneas dicta fuit. Sed jam mittamus horum nominum etymologias, in quibus expiscandis vel ipse Romanorum doctissimus Varro non semel deridiculus fit. Extat in Museo Mediceo mediocris nummus Paneados, quem tamen sculptor, ac si esset majoris moduli, hac forma expressit.



In priori parte numismatis epigraphæ Latine redditur: *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus Augustus*; in posteriori vero legitur: ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΓΓΛΟΤ ΤΗΣ ΠΑΝΕΙΩ, id est, *Cæsarea Augusta, sacra, & inviolata, sub Panio*. In area vero nummi visitur Pan̄ fistulam sive tibiam inflans, cum annis Epochæ Paneados hinc inde sculptis, P O B, nempe: *Anno CLXXII*. Proferunt hunc nummum e Cimeliis Mediceis illustres scriptores Holstenius pag. 154 not. in Stephanum de Urbibus, ac Spanhemius pag. 895, quorum posterior epocham omisit; prior vero non exposuit. Ibi tamen Holstenius nummum recitat e Gaza Barberina, in cujus priori parte legitur: ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩ ΗΡΩΔΗ: *Rex Herodes*, & in averfa: ΚΛΑΥΔΙΑ ΚΑΙΣΑΡΙΑ, *Claudia Cæsarea*, intra coronam; quem nummum ille refert ad Cæsaream sub Panio. Vix in hanc sententiam trahi possum. Nam Cajus Cæsar, teste

teste Josepho lib. 18 cap. 9, Agrippam seniore *tetrarchia*, *que Philippi fuerat, regem constituit*. Idem vero Agrippa Berenicem fratri Herodi junxit, *impetrato illi regno Chalcidis a Claudio*, ex eodem lib. 19 cap. 4. Quare imperante Claudio, *Cæsarea* sub Panio, quæ postea *Paneas* dicta est, intra regnum Agrippæ, non autem Herodis regis Chalcidicæ censebatur. Quamvis vero etiam Agrippa solo cognomine *Herodis* in Actis Apostolicis cap. 12 appelletur, in nummis tamen solo fortassis nomine Agrippæ obsignatus fuit; licet secus sentiat laudatus Spanhemius pag. 443. Num vero ibidem Agrippæ regis Judæorum, vel ejusdem fratris regis Chalcidensium effigies scalptra sit, unus nobis forsitan ostendet eruditissimus Nicolaus Toinardus in genealogia Herodiadum. Ceterum uti Agrippa Tiberiadem, abs se Galilææ metropolim constitutam, *Claudiam* penes cognomen appellavit, ut ex nummis Dissert. V. cap. 5 ostendam, & Gabem etiam Galilææ urbem *Claudiam* nuncupavit, ut § VI dicitur; ita ejusdem exemplo Herodes frater quampiam donati sibi ab Imperatore Claudio regni urbem *Claudiam Cæsaream* nominavit; quippe qui etiam in nummis ΦΙΛΟΚΛΑΤΙΔΙΟΣ *Claudii amicus* inscribitur apud Seguinum cap. 2 num. 13, quamvis V.C. Spanhemius eum nummum Agrippæ deputet. Quod alterum si dicatur, *Cæsarea* Palæstinæ metropolis *Claudia* cognomine ab eodem Agrippa donata probabilius censeferi poterit, quam altera *Cæsarea* sub Panio. Extant in Cimeliarchio Parisiensi insignis Antiquarii Francisci Dronii bina numismata, quorum hic iconas appendo.



In antica parte nummi minima magnitudinis nulla extat inscriptio, sed puerilis tantum vultus diadematus ibidem visitur, quem fortassis Commodi Caesaris esse indicat obsignatus annus idem qui in M. Aurelii patris nummo scalpus est. Epigraphæ alterius partis est: ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ ΠΑΝΙΑΔΩΝ. ΡΟΒ. *Cæsareæ Paniadis.* Anno CLXXII. Græca vox ΠΑΝΙΑΔΩΝ *Paniades* sine diphthongo legitur; ubi in priori nummo Mediceo ΠΑΝΕΡΩΝ cum diphthongo sculptum est. In laudatis Josephi locis *David Paniam* scribitur; at in lib. 3. de bello c. 33, qui in Latina editione est 18, *Πανέρων* non semel legimus; & doctissimus Valesius in notis ad cap. 17. lib. 7. Eusebii advertit eandem vocem in diversis MSS codicibus atroque modo exarata fuisse. Ptolemæo, qui sub Antonino Pio, Augusto & M. Aurelio Cesare scripsit, lib. 7. Geographiæ cap. 15. inter urbes Phœnicum *Καϊσαρία Πανίας, Cæsareæ Panias* recensetur, uti plane in eo parvo nummo legitur; ut proinde superflua sit correctio Holstenii pag. 240 not. in Stephanum, ubi contendit in Ptolemæi codice legendum *Πανίας*, non autem *Πανίας*. Itaque eodem tempore, ea urbs dicebatur *Cæsareæ Augusta sub Panio*, vel *Cæsareæ Panias*, quæ postea breviori appellatione *Panias* vulgo dicta est. Alter nummus, cujus postica tantum delineata est, Commodi Augusti imaginem laureatam exprimit cum hisce tantum literis KOM... *Com..* reliqua Inscriptione detrита. In area visitur figura Panis tibiæ infantis, cum notis numeralibus Ρ & Α, quæ postrema litera fortassis est Α, media transversa lineola temporis injuria detrита, vel artificis negligentia deficiente; quibus sane literis annus CXCI designatur. Media autem nota numeralis præter morem fere uti major Υ sculpta est, cum in aliis nummis ita Υ signetur, ut patet in nummis Ascalonis, Gaza, ac Neapolis in Samaria, quorum icones hoc in opere exhibeo. Porro in tribus propositis nummis Pan ejusdem urbis numen tutelare indicatur; illius enim symbolum est organum ex septem fistulis compositum, quod in minimo nummo expressum est. Maximus varum canit Ecloga II:

*Mecum una in sylvis imitabere Pana canendo;
Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit &c.*

EST

*Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Dametas dono mihi quam dedit olim.*

Quale septem fistularum organum nummus præfert. Poetæ enim finxerunt Syringa nympham insequentis Panis vim fugientem, in palustres calamos mutatam, ex quibus Pan organum conflavit. Habes fabulam apud Ovidium lib. 1 Met. a v. 711, ubi ait:

*Atque ita disparibus calamis compagine cera
Inter se junctis, nomen tenuisse puella.*

Servius in notis ad laudatam Eclogam Vergilii de Pane scribit: *Fistulam septem calamorum habet propter armoniam cæli, in quo septem soni sunt.* Plurimi enim putabant septem planetas perenni motu suavissimum concentum reddere; unde etiam dixere Mercurium lyram ex septem nervis seu chordis composuisse, ac Vergilius VI Æneid. v. 641 laudat *septem discrimina vocum.* Hæc de rebus passim obviis indicasse sufficiat.

Eusebius in Chronico ad annum primum Olympiadis ducentesiimæ primæ, qui fuit urbis Romæ 778 ac duodecimus imperii Tiberii Cæsaris, ait: *Philippus Tetrarcha Paneadem, in qua plures ades construxerat, Cæsaream Philippi vocavit, & Juliadem aliam civitatem.* Quem sequutus S. Hieronymus in comment. ad cap. 16 Matthæi de eodem Philippo scribit: *qui in honorem Tiberii Cæsaris, Cæsaream Philippi, qua nunc Paneas dicitur, appellavit; & est in provincia Phœnicia.* Scaliger in notis Eusebianis num. 2041 putat Eusebium pro arbitrio annum conditæ Cæsareæ Philippi, si-ve Paneados finxisse, cum Josephus nullum certum annum designet, quo ea urbs extructa fuit. Addit Paneadem ac Juliadem a Tetrarchis conditas videri *non procul initio imperii Tiberiani.* Harduinus pag. 112 ex Thesauro Goltzii nummum Augusti profert inscriptum: COL. CAESAREA PHILIPPI, ex quo intelligitur Paneas olim facta Romanorum colonia ab Augusto. Verum miror virum eruditum hæc ex Goltzio figmenta in suum certe insigne volumen deportasse. Equidem Goltzius novo commento in altero nummo, quem Tito imponit, satis ridicule legit: COL. CAESAREA PANIAE, quem itidem nummum Harduinus recenset. Nusquam in Cimeliis Latini Paneados nummi in-

venti sunt. Vlpianus apud Tyrum urbem M. P. XX Paneade distantem natus, suæ provincie Phœniæ colonias enumerans in lib. 50 Digest. tit. 15, *de censibus*, nusquam hanc Casaream sive Paneada nominat, cum tamen Berytū laudet, quam unam Augustus coloniam in Phœnice deduxit. Goltzius ex nomine *Casareæ* eam urbem coloniam putavit, ac Harduino factum fecit. Suetonius in Augusto cap. 60 scribit: *Reges amici atque socii & singuli in suo quique regno Casareas urbes donaverunt*; quarum tamen nulla tunc temporis erat colonia, quod non liberæ essent, uti coloniz, sed juri suorum quæque regum subjectæ. Casareæ Paneas erat antea in tetrarchia Philippi, postea fuit in regno Agrippæ, qui eandem etiam Neroniadem appellavit, ut superius ex Josepho prænotabam. Verum Goltzius non semel Vrbium, quarum nomina apud Stephanum legebat, numismata finxit, quæ uti nulli monetarii percusserunt, ita in nullis uspiam Cimeliis hætenus reperta sunt. Redeo ad Eusebium, cujus metachronisimus de condita, imperante Tiberio, Casareæ Philippi, ex Mediceo numismate confutatur. Nam cum in eodem annus ejus urbis CLXXII cum principe Marco Aurelio obsignetur, etiamsi idem annus fingatur fuisse Romæ a parilibus 933 ac postremus imperii ejusdem M. Aurelii, abhinc per annos 172 regredientes, erimus ad annum urbis Romæ 761 Casareæ Augusto imperante, qui sexennio etiam insuper vixit. Verum ex utroque nummo Commodi probatur ea urbs condita ante annum Urbis 758. Nam in nummo minimo Commodus tantum Casar sine laurea ac puerili vultu visitur, anno Paneados CLXXII, qui cum A. V. 929 creatus fuerit Augustus, ab hoc anno exclusive per annos 172 retro numerantes, devenimus ad A. V. 757. Et quidem, si ullus conjecturæ locus datur, possemus pronuntiare eos nummos M. Aurelii patris, & Commodi filii Casaris sculptos esse A. V. 929, cum uterque Syriam perlustraret. Verum obstat his alter nummus Commodi apud Paneada percussus cum Epocha annorum CXCI, vel saltem CXC, qui etiamsi ponatur V. C. 949 ac postremus vitæ Commodi, abhinc per annos CXC in nummo obsignatos retrograda numératione deveniemus ad A. V. 755, eundemque secundum vulgaris Æræ Christi

sti

ſſi Domini, P. Vinicio & Alfinio Varo Coſſ. In magnis Baronii Annalibus mors Herodis Aſcalonitæ recitatur A. V. 759 a parilibus, M. Emilio Lepido & L. Arruntio Coſſ. Hæc tamen opinio ab eruditis vulgo refellitur, & ex laudato nummo ejusdem metachroniſmus apparet. Nam Paneas ſive Cæſarea Auguſta ante annum Urbis Romæ 759 extructa fuerat a Philippo Tetrarcha, qui in partem regni poſt obitum Herodis patris ſucceſſit, ex Joſepho lib. 17 cap. 13; Tacito lib. 5 Hiſt. & quod ceteris antiſtat, Evangelio S. Lucæ cap. 3. Variæ ſunt ſcriptorum opiniones de anno obitus Herodis. Ipſe quidem in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 2 a pag. 146 ſcripſi Herodem ſævam animam inter acerbiffimos cruciatus projeciſſe A. V. 751 a parilibus. Joſephus vero lib. 18 cap. 6 tradit Philippum Tetrarcham, a quo Cæſarea condita fuit, obiſſe *anno viceſimo imperii Tiberii Cæſaris*, quem hic explevit A. V. 787, die 19 Auguſti, cum idem Philippus Tetrarchiæ *triginta ſeptem annis præuiſſet*, quos ab anno Urbis memorato 787 inclusive retro numerantes, habemus annum urbis Romæ 751, quo, teſte Joſepho, Philippus tertiam paterni regni partem obrinuit. Quare cum ex nummo Commodi Auguſti, in quo *Æra Paneados, ſive Cæſaræ Auguſtæ in Phœnicia* designatur annorum CXC, colligamus eandem extitiſſe A. V. 755, neque condi potuerit ante A. V. 751, quia eò jam magna parte exacto, Philippus obtenta ab Auguſto Tetrarchia, Roma in Palæſtinam rediit, conſequens ſit, ut intra triennium, quod intercédit inter annos ab urbe Roma condita 751 & 755, Cæſarea Philippi ſive Paneas condita fuerit.

Addo heic aliud numiſma Paneados, quod ſervatur in Cimeſiis Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi D. Hieronymi Corarii Veneti Senatoris, cujus erga bonas literas ſtudio non modo excelfior turris, quam intra ædes patrias variis aſtrorum motibus & aſpectibus commodius aſſequendis extruxit: verum etiam ingens numiſmatum maximi præſertim moduli collectio, ſummis impenſis eidem comparata, ſatis ſuperque manifeſtant. Uti vero ſpeculatióriam turrim non tam ſuo quam aliorum ſyderali ſcientiæ vacantiũ commo excita vit, ita & nummos non ad privati Muſei ornamentum, ſed eruditioni eorum, quibus eſt domi curta

do annos 202, erimus ad A. V. 980, qui fuit sextus imperii Alexandri Severi, Imperatore Geta ante annos quindecim occiso. Hic a Septimio Severo patre designatus fuit Augustus A. V. Romæ 961, a quo anno exclusive retro annos 202 numerantes, habemus annum Urbis 758, ac proinde Cæsarea Paneas condita fuit in honorem tum imperantis Cæsaris Augusti, non autem Tiberii, uti scribunt Eusebius, & ex eodem S. Hieronymus. Geta creatus fuit Cæsar A. V. 951, quo ejusdem frater Antoninus Caracalla Augustoriam dignitatem accepit, ex Spartiano cap. 16 de vita Severi. Diem vero delatæ eidem Getæ Cæsareæ dignitatis hætenus ignoratum produunt Acta passionis SS. Martyrum Perpetuæ & Felicitatis, quæ ipsamet Vbia Perpetua anno ætatis vicesimo secundo in carcere descripsit; ibi enim ait: *Munere enim castrensi eramus pugnaturi. Natale tunc Getæ Cæsaris.* Et inferius: *Quid utique non permittis refrigerari noxiis Nobilissimi Cæsaris scilicet, & Natalis ejusdem pugnaturis?* At illa cum sociis passa est die septimo Martii, Natali Getæ Cæsaris, cujus prior natalis genuinus contigit die 27 Maji ex Spartiano cap. 3 de vita ejusdem. Interim notatur antiquius, quam plerique existimarunt, titulum *Nobilissimi Cæsaris* delatum fuisse. Cum vero Geta per octennium Cæsar fuerit, neque ex laudato nummo potest colligi annus, quo primum Epocha Paneados inierit.

S. V.

EPOCHA DORORVM.

Dora non uno modo apud veteres scripta. Olim proprium Regem habuere. Dororum situs. Epistola Petronii Syria præsidis ad Dorienses. Ejusdem Urbis Epocha recentior inita A. V. Roma 691. Tempore D. Hieronymi erat deserta. Stephanus ibidem Episcopus ab Apostolica Sede vicarius totius Palestine creatus, interfuit Synodo Latranensi sub S. S. Martino Papa ac Martyre.

HÆc urbs non uno modo penes nomen scribitur. Nam D. Hieronymo & aliis *Dora* singulari numero ac feminino genere effertur. At Hecataeo & Stephano *Dorus* dicitur, uti Tharsus, Tyrus &c. Plinius lib. 5 cap. 19 *Doran* neutro gene-

re,

re, uti & Josephus non uno loco *Dora* plurali numero nuncupavit. Auctor est Claudius Iullus Phœnicorum lib. 3 apud Stephanum, quosdam scripsisse eam urbem a Doro Neptuni filio conditam fuisse, a quo & nomen accepit. Illius tamen antiquitatem sacræ literæ produnt Josue cap. XII, 23, ubi inter reges ab eodem debellatos nominatur *Rex Dor*, & *provincia Dor unus*. Nam antiquitus, ut ex Strabone, Arriano, aliisque prænotavi, singulæ Phœnicum urbes propriis regibus obtemperabant; unde & in laudato capite in una tantum Syriæ parte, quam Judæi occuparunt, unus ac triginta reges angustis ditionibus imperitabant. Eadem urbs Hebraice dicta est Naphat Dor, qua de voce scribit S. Hieron. in lib. de locis Hebraicis: *Dor naphet, quod Symmachus transtulit Dor maritima; hæc est Dora in nono milliario Cæsarea Palestina pergentibus Tyrum; nunc deserta, qua cum cecidisset in sortem Manasse, eam possidere non potuit, quia in ea habitatores pristini remanserunt*. Cum enim Hebræi naves non haberent, maritimam regionem non debellarunt, classibus Phœnicum prævalentibus. Josephus lib. 15 Antiq. cap. 13 scribit Herodem *Dora inter & Joppen* Cæsaream condidisse, a qua Dora M. P. IX distabant in confiniis Phœnices juxta postremam Syriæ divisionem, cum Josephus ibidem ipsam quoque Cæsaream intra Phœnicem collocet. Idem lib. 2 contra Apionem scribit: *Phœnicia vero juxta montem Carmelum Dora civitas nuncupatur, qua nihil commune habet cum Apionis nugamentis; quatuor enim dierum itinere distat ab Idumæa*. Eandem sitam in loco *Cbersonesi* formam habente, incipiente illinc monte Carmelo, tradit Artemidorus apud Stephanum in fragmentis. Post obitum Alexandri Magni diutius Ptolemæis cum maritima Phœnicia paruit. Antiochus Magnus A. V. 537, bello contra Ptolemæum Philopatorem suscepto, Dora obsedit; sed irrito conatu, cum locus esset natura munitus; erat enim urbs in peninsula, ac proinde una tantum parte oppugnari poterat, cum qua parte pelago cingebatur, subsidia in urbem inferrentur, ex lib. 5 Polybii. Illam tamen Antiochus Epiphanes Seleucidarum regno adjecit. Cum Tryphon, occiso Antiocho Alexandri Balæ filio, regnum Syriæ occupasset, bello postea ab Antiocho Sidete eidem illato,

De-

Doram fugiens per maritimam describitur lib. 1 Maccabæorum cap. 15, ubi hæc leguntur: *Et applicuit Antiochus super Doram cum centum viginti milibus virarum belligeratorum, & octo millibus equitum: & circumivit civitatem, & naves à mari accesserant.* Hoc Dororum obsidium dicitur ibidem contigisse anno Seleucidarum CLXXIV, qui juxta stylum Scriptoris ejus historiæ coepit a Neomenia Nisan A. V. Romæ 615 a parilibus. Rursus ibidem Vers. 25: *Antiochus autem rex applicuit castra in Doram secundo, admovens ei semper manus, & machinas faciens.* At navi postea fugiente Tryphone Orthosiada, urbs deditionem fecit. Cum vero fraternæ Grypi ac Cyziceni regum discordiæ Seleucidarum regni vires attererent, Zoilus quidam Dora ac proximam Stratonis Turrim per tyrannidem occupavit. Illo tamen e medio sublato, Alexander Jannæus Judæorum rex Dora invasit, ac Judaicos ritus civibus impetans, urbem penè desertam reddidit. Denique Pompejus A. V. 690 iterumque anno sequenti in Syriam veniens, Dora e Judæorum servitute vindicata, cum universa Phœnicia Romano imperio subdidit, eamque urbem libertate donatam suis legibus uti permisit. Quæ eidem Josepho narrantur lib. 14 cap. 8: *Similiter, inquit, & maritimas Gazam, Joppen, Dora, & Stratonis Turrim,* (quæ postea ab Herode magnifice restaurata, Cæsarea est appellata) *Pompejus liber ac esse jussit: easque omnes provincias contribuit.* Præterea Gabinus Syriæ proconsul, cum A. V. 698 provinciam lustraret, devastatas a Judæis urbes restaurandas jussit, quas inter Dora recenset Josephus ibidem cap. 10. Hinc postea cives veteri contra Judæos odio, imperante Claudio, ejusdem Principis statuas, Judaicam religionem irrisuri, in Synagoga collocarunt; quamvis eandem P. Petronius Syriæ Præses inde amovendam jusservit, data ea de re ad Dorienses epistola, quam Josephus recitat lib. 19 cap. 6 cum titulo: *Publius Petronius Legatus Tiberii Claudii Cæsaris Augusti Germanici Δωριέων τοῖς πρῶτοις λέγει: Doriensium primatibus dicit.* Ipse tamen Josephus proximo capite Δωριέων, *Doritarum* semel & iterum scribit; & in Græca editione epistolæ IX S. Martini Papæ ad Pantaleonem laudatur Stephanus Episcopus τῆς Δωριέων πόλεως, *Doritarum urbis.* Stephanus etiam no-

rat gentile ejusdem civitatis utroque modo scriptum apud veteres occurrere. In regia Galliarum Gaza hic Dorienſium nummus ſervatur, cui geminus prope etiam viſitur in Cimeliis Sere- niſſimi Principis Ludovici Auguſti Cenomanenſium Ducis.



In antica parte Inſcriptio Latine vertitur: *Imperator Caesar Nerva Trajanus Auguſtus, Germanicus, Dacicus.* In altera vero parte legitur: *ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΔΑΚΙΚΟΣ*, id eſt, *Dorienſium urbis ſacra, Aſyli, ſuis legibus utentis, Claffe.* Ibi viſitur caput Jovis laureatum; cujus tamen effigiem ſcalptor maluit delicatorem exprimere, cum in nummo truculentior appareat. Sanctus Hieronymus in epitaphio Paulæ, deſcribens ejusdem iter Beryto Hieroſolyma, ait: *Mirata ruinas Dor urbis quandam potentiffima; Et vice verſa Stratonis turrim ab Herode rege Judææ, in honorem Caſaris Auguſti, Cæſaream nuncupatam.* Ideo vero dicitur urbs Dororum *potentiſſima*, quod validas claſſes, uti ceteræ Phœnicum civitates, antiquitus inſtruebat. Hinc in alio nummo Trajani in eodemmet regio Cimeliarchio legitur ſupra triremem: *ΔΩΡΑ ΙΕΡΑ*, *Dora ſacra*; unde ob potentiam maritimam in altero nummo *Ναυαρχος* appellatur; quod ipſum prodit acroſtoli- um, quod infra mentum Jovis in nummo conſpicitur. In utroque autem nummo Epocha Dororum ſcalpta eſt. Nam in eo, quem delineatum produxi, legitur *ΕΡΩΒ*; ubi prior nota *ΔΩΡ* figuram præfert, qua veteres utebantur, ut priora verba a ſequentibus ſcripto diſtinguerent, ut ſuperius pag. 308 adnotavi, de cujus etiam notæ uſu variis que figuris agit Iſidorus lib. 1 Originum cap.

21. Si

21. Si quis tamen putet eam notam esse literam A dejectam, quæ vicem gerat usitatæ alias literæ sive notæ L ad annos significandos, haud equidem contentiosus repugnabo. Ceterum notæ numerales P O E, annum Epochæ Dororum CLXIV designant, ita ut majores numeri, secus ac in aliarum Phœniceis urbium nummis, minoribus præponantur. Harduinus in *Curæ secundis* pag. 600 recte initium Epochæ laudatæ colligit ab A.V. Romæ 691, quo Cicero Consul fuit; tunc enim Dorienses ob autonomiam a Pompejo regnum Seleucidarum in provinciæ formam redigente impetratam, novam suæ ipsorum urbis Epocham invexerunt. Ita annus ejusdem Æræ 175 cœpit ab autumno anni urbis Romæ 865, ac cum sequenti cucurrit, qui fuit decimus septimus imperii Trajani, quo Imperator bello contra Parthos suscepto in Syriam venit. Hinc in nummo nec *Optimus Augustus*, nec *Particus* nuncupatur; nondum enim eos titulos tulerat. Harduinus in nummo quoque cum trireme exhibet eundem annum Dororum P O E. At Andreas Morellius scribit eo in nummo infra triremem hæc literas apparere POP, ut tertia potius sit B parumper obtrita, ac proinde annus 172 indicetur. Rem dubiam in medio relinquo.

D. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis ait: *Dor est oppidum jam desertum in undecimo milliario Casaræa pergentibus Ptolemaidem; & antea ibidem scribit, ut prædixi, Dora in nono milliario Casaræa Palestina pergentibus Tyrum, nunc deserta &c.* Numeri IX & XI ex litera I transposita, a librariis variati leguntur. Quod Dora deserta essent, nulli ejusdem urbis Episcopi in vetustioribus Synodis memorantur. At V. C. Harduinus pag. 143 ait: *In Concilio Constantinopolitano V pag. 192 inter Episcopos Palestina subscribit Βαροχίος ἐπίσκοπος Δώρων: Barochius Episcopus Dororum.* Erratum tamen est viro erudito. Nam Barochius Dororum Episcopus legitur subscriptus in Synodica epistola Concilii Hierosolymitani celebrati a Joanne Patriarcha anno Christi 518, nempe annis triginta quinque priusquam Concilium V Constantinopoli cogeretur: cui unus Palæstinorum Joannes Metropolita Cæsariensis interfuit. Extat tamen longe præclarius Dorensis Ecclesiæ monumentum in Synodo Lateranensi habita a S. Martino Papa ac

Martyre anno Christi 649. Nam sub initium Secretarii sive Actio-
nis II laudatur Stephanus Episcopus Δάσων Dororum, qui etiam
dicitur πρῶτος τῆς ἐπὶ τῶν Ἱεροσολύμων ἀρχιερατικῶν θρόνων τελέ-
σης δικαιοδοσίας: *Primus diuturnus Patriarchali Hierosolymorum
throno contributa.* Cum enim Sergius Joppenſis Episcopus va-
cuam ob mortem S. Sophronii Hierosolymorum sedem invaliſ-
ſet, Stephanus Doreuſis Anacles jussus fuit a Theodoro Papa Apo-
stolicas vices in Palaestina provinciis contra Sergii rapinas exerce-
re. Hæc cum scripſiſſem, vidi in Cimeliis Mediceis hunc alte-
rum Dororum nummum, ejus hic typum appendo.



In antica parte legitur: ΑΥΤΟ. ΤΡΑ. ΑΔΙΑΝΩ CEB. *Impera-
tori Trajano Hadriano Augusto.* In altera vero: ΔΙΩ. ΙΕΡ. ΑCΤΑ.
ΑΤΤ. ΝΑΥΑΡ. ΗΡ. *Doreuſium, urbis, sacra, inviolata, suis legibus
utentis, Classica. An. CLXXX,* qui incit ab autumno A.V. Romæ 870;
quo Hadrianus in Syria imperium accepit, ubi pariter hiemem
exegit. In annis Epochæ, secus ac in priori nummo, minor nume-
rus majori præponitur, nempe octogesima centesimo.

§. VI.

EPOCHA GABENORVM.

*Varia Scriptorum opiniones de urbe Gabe. Erat in confiniis Phœni-
ces prope Casaream. Epochæ Gabenorum initia videtur A.V. Ro-
mæ 693. Ea urbs ab Agrippa rege Claudie cognomen accepit. Vſ-
ſerius eandem cum Sebaste perperam confundit.*

EXtant in regia Galliarum Gaza Gabenorum numismata,
quorum ectypa exhibeo; at ejus urbis situs prius quæren-
dus est. Nam Spanhemius pag. 898 Gabam in Palaestina col-

collocat. Stephanus eandem Galilææ adscribit. Plinio lib. 5. cap. 19 inter Tetrarchias cingentes, sive intercurfantes Syriam Decapolitanam, *Gabe* nominatur cum Paneade, Abila, & aliis. Vsserius tom. 2 Ann. pag. 500 Gabiniōs ac Sebastenos in Samaria eodem facit, quod Julius Africanus in Chronico Georgii Syncelli pag. 308 Sebastem vocat τῶν Γαβινίων πόλιν, *Gabiniorum urbem*. Cum enim Samaria ab Hyrcano Judæorum Pontifice ac principe olim destructa, Gabinii Proconsulis Syriæ jussu, restaurata fuerit, uti tradit Josephus l. 14 Antiq. c. 10, novæ ejusdem urbis incolæ *Gabiniani* dicti sunt. Hanc postea urbem Herodes splendidissime auctam, & ornatam, *Sebasten* appellavit. Stephanus scribit ex Josepho l. 5 Gabam urbem fuisse in Galilæa, cujus gentile eidem dicitur Γαβηνός, *Gebenus*. Pinedus in notis advertit eam urbem a Josepho ibidem c. 5 poni in tribu Benjamin, ac a LXX Interpretibus Gabaam nuncupari. Non aliter in vulgato Bibliæ sacre codice legitur Judicum XIX, 14: *Occubuitque Sol juxta Gabaa, quæ est in tribu Benjamin*. Errat tamen Pinedus; siquidem Tribus Benjamin loca possedit in ipsa regione Judææ, ubi & Jerusalem, a qua provincia Gaba in Galilæa sita distabat, cum media inter Judæam & Galilæam esset Samaria. Præterea urbs in tribu Benjamin a LXX Interpretibus & a Josepho dicitur Γαβαά, *Gabaa*, ac cives Γαβαηνοί, *Gabaeni*. Altera vero Γάβα *Gaba*, cives Γαβηνοί *Gabenii* vocantur. Hæc autem posterior urbs erat in mediterraneis inter confinia Cæsareæ ac Ptolemaidis, Josephus in libro de vita sua scribit, Ebutium regis Agrippæ junioris Decarchum, qui magni Campi in Galilæa præfecturam gerebat, cum intellexisset Josephum venisse in vicum Simoniada situm in Galilæa finibus, assumptis trecentis armatis, aliisque qui degebant ἐν Γάβα πόλει, *in urbe Gaba*, contra Josephum iter intendisse. Addit vero de semet Josephus: *Cumque venissem in urbem Besaram, ἐν μεθαρίοις τῆς Πτολεμαίδος κειμένην, εἴκοσι δ' ἀπέχουσιν σταδία τῆς Γαβᾶς: sitam in confiniis Ptolemaidis, a Gaba viginti distantem stadiis*, ubi Eubutius substiterat. Dein narrat Eubutium oblatam sibi a Josepho pugnam declinasse, ac εἰς Γάβαν πόλιν, *in Gabam urbem* rediisse. Idem Historicus lib. 2 de bello cap. 19 de Judæis a Roma-

nis rebellantibus scribit: *Etiam in Cedaſam Tyrriorum, & Ptolemaidem; Gabam quoque* (Græce Γαβαν) *Cæſareamque tendebant.* Ex utraque Joſephi narratione colligimus urbem Gabam ſitam fuiſſe inter Ptolemaidis ac Cæſareæ territoria, quibuſcum Gabenorum ager in mediterraneis jungebatur. Eusebius Cæſarienſis in libro de locis Hebraicis, quem auctum, ac Latio a Hieronymo donatum, tertio ejusdem Operum tomo inſertum legimus, ait: *Eſt quoque oppidum, quod vocatur Gabe, in ſextodecimo milliaro Cæſareæ.* Ita Gabe ſive Gaba, cujus gentile Γαβνός Gabenus, erat urbs prope Cæſaream, eademque una erat tetrarchiarum, quæ ab Occidente Decapolim, Plinio teſte, cingebat; quam quidem ab Imperatore Claudio dono acceptam, Agrippa ſenior *Claudiam* appellavit, quo etiam cognomine proximam Tiberiadem nuncupavit. Eadem poſtea a Nerone junioris Agrippæ regno cum Paneade, Tiberiade, aliisque Phœnices ac Galilææ oppidis addita fuerat; unde Gabeni Eubutio ejusdem regis duci favebant. Joſephus lib. 15 cap. 13 de Cæſarea ſcribit: *Sita eſt hac urbs in Phœnicia, qua in Aegyptum præternavigatur, Dora inter & Joppen.* Hinc Gabam proximam Cæſareæ urbem in Phœnicia locavi. Equidem poſtea Cæſarea Palæſtinæ adjecta fuit, uti etiam Gaba. In Synodo Hieroſolymitana anno Chriſti 536 a Petro Patriarcha celebrata, nominatur in editione Latina inter Episcopos *Anaſtaſius Gabenorum*, Γαβηνων Græce, quamvis Γαββαν ibi legatur, ut urbis potius, quam gentile nomen exprimatur. Itaque quouſque certiora prodantur, Gabenorum nummos ad Gabem ex Joſepho ac D. Hieronymo prope Cæſaream urbem revocandos cenſeo. Illorum typos propono.



. In

In priori nummo latine Inscriptio suppleta legetur: *Imperator Trajanus Hadrianus Augustus*; & in altera parte: ΓΑΒΗΝΩΝ ΚΑΑΤΑΙέων. ZOP. *Gabenorum Claudiorum. Anno CLXXVII.* Alter nummus ex eadem regia Gaza est Antonini Pii, in antica inscriptus: ΑΤΤ. ΚΑΙC. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC CEB. ETC. *Imperator Caesar Antoninus Augustus Pius.* Et in postica: ΓΑΒΗΝΩΝ. ΖΙC. *Gabenorum. Anno CCXVII.* In hoc verò visitur figura Dei Luni, cui similem dudum exposuit in nummo Valeriani doctissimus Seguinus pag. 94 de Nummis Select. nisi quod ibi in humeris, hic sinistrorsus in circulo nummi Luna bicornis conspicitur. Harduinus pag. 173 hunc ipsum Antonini Pii nummum recitat, aitque Epocham Gabenorum coeptam post concessam a Pompejo quibusdam Syriæ oppidis libertatem, quæ cum eandem obtinuerint A. V. Capitolino 690, colligit annum hunc *Gabenorum esse Antonini Pii decimum septimum, Urbis Romæ 906.* Verum si alterum numisma Hadriani in indice ejusdem regis Gazæ observasset, rectius Gabenorum Epocham exposuisset; siquidem in delineato Hadriani nummo annus signatur ZOP, nempe 177, quæ summa deducta ab A. V. 690, ejusdem annum 177 jungit cum anno Urbis 867, Trajano adhuc ad biennium superstite. In nummo Hadriani legitur annus Gabenorum 177, in altero Antonini Pii ejusdem successoris annus 217 quadraginta annorum discrepantia. Annus Romæ 913 fuit postremus imperii ac vitæ Antonini Pii; unde abhinc per annos quadraginta retrocedentes, erimus ad A. V. 874, qui fuit quartus imperii Hadriani usque ad diem XI Augusti. Hinc intelligimus Epocham Gabenorum initium habuisse intra annos Urbis Romæ 693 & 696. Nam ab A. V. 693 collige annos insuper 177, pervenies ad A. V. 870, qui fuit primus imperii Hadriani. Rursus ab A. V. 696 numerato annos CCXVII in Antonini Pii nummo scalptos, habebis annum Urbis 913 eumque postremum imperii Antonini Pii. Quare ex collatione utriusque nummi patet, Æram Gabenorum intra illud quadriennium coeptam fuisse. Enimvero quamvis Gaza libertatem a Pompejo A. V. 691 acceperit, suam tamen Æram post biennium inivit, cujus rei rationes suo inferius loco reddentur; ita licet Gabeni libertatem A. V. Romæ 691

691 ab eodem Pompejo impetraverint, novam tamen *Aram* post eum annum inchoarunt. Satis tamen probabile est eosdem initio statim imperii, ab Hadriano in Syria initii, laudatum nummum in ipsius honorem cudisse, ac proinde caput eorundem Epochæ deducendum ab A. V. 693, a quo & Gazenses suos annos exoriri sunt. Iosephus lib. 13 cap. 23 ait: *Per hæc tempora & Syrorum & Idumeorum, & Phœnicum urbes tenebant Judæi: ad mare Stratonis turrim &c.* & pluribus oppidis enumeratis, addit: *Possidebant & alias Syria non obscuras urbes, quas imperio suo noviter adjecerant.* Has inter erat Gabe sive Gaba, quæ in mediterraneis a Stratonis turri M. P. XVI tantum distabat. Idem vero scriptor lib. 14 Antiq. cap. 8 recensens urbes autonomia a Pompejo donatas, nominat turrim Stratonis, non autem Gabem; hæc tamen de Judæis ibidem scribit: *Urbes vero quas sibi subjungaverant in Syria Coele, ademptas illis jussit proprio parere Præsidi; & totam gentem prius elatam rebus prosperis, contraxit intra veteres terminos.* Ita Gabe a Pompejo e Judæorum servitute vindicata, libertatem accepit.

In priori nummo Hadriani Gabeni se *Claudios* inscribunt, quod novum urbi cognomen, uti dixi, a rege Agrippa seniori impositum fuit in honorem Claudii Augusti, a quo regnum avi Herodis accepit. Ex hæcenus dictis apparet perperam Gabenorum urbem eandem cum Samaria putari; siquidem utriusque urbis Epochæ in nummis diversæ leguntur. Nam annus Samariæ urbis CCXVI signatur in nummo Commodi Augusti, quem Dissert. V cap. 4 § 1 producam; annus vero Gabenorum 217 concurrat cum annis imperii Antonini Pii. Ex laudato tamen Julio Africano colligimus Samariam urbem *Gabiniorum* appellatam, quod cognomen ab Aulo Gabinio Syriæ proconsule desumptis, cujus jussu restaurata fuit, uti tradit Iosephus lib. 14 cap. 10.

§. VII.

EPOCHA BOTRYS.


Botrys urbs Phœnicum a rege Itabalo condita. Ejusdem situs. Perperam cum Bosor confunditur. Nomen gentile ejus oppidi in nummo expressum, veterum monumentorum testimonio firmatur.

Qui-

Quidam Episcopi Botrys nominati. Ejusdem civitatis Epocha ab A. V. Roma 705 probabiliter collecta.

Botrys urbs Phœnicæ, Roma ac Carthagine antiquior, ab Ithobalo I Tyriorum ac Sidoniorum rege condita fuit ex vetustissimis Phœnicum Annalibus, quos Menander Ephesius in Græcum sermonem transtulit. Hujus verba sunt apud Josephum lib. 8 Antiq. cap. 7 de rege Ithobalo: *Hic Botrym in Phœnicæ condidit.* Vbi hæc Josephus de Achab rege Israel scribit: *Vxorem præterea duxit filiam Ithobali Tyriorum ac Sidoniorum regis; cui nomen Jezabela.* Et in 3 Regum cap. XVI, 31 legitur de Achab: *Insuper duxit uxorem Jezabel filiam Etbbaal regis Sidoniorum.* Achab regnum iniit anno 918 ante Æram Christi. Botrys situm indicat Polybius lib. 5 pag. 411 edit. Casauboni, de Antiocho Magno scribens: *Deinde per Theoprosopon Syriam ingressus, Berytum venit, & in transitu Botrym occupavit.* Vox illa in Syriam, quæ in Græco textu non legitur, perperam ab interprete Casaubono inferitur; cum Antiochus ex superiori Syria, in qua regnabat, Botrym ac Berytum copias duxerit. Rectius in Phœniciam addidisset; siquidem Botrys erat urbs maritima Phœnicum inter Tripolim ac Berytum. Mela lib. 1 cap. 12 ait: *a Sidone ad promontorium Euprosopon duo sunt oppida Byblos & Botrys.* At legendum est *Theoprosopon.* Polybius loco laudato scribit *Θεοπρόσωπον*, uti etiam Ptolemæus lib. 5 cap. 16 ac sæpius Strabo lib. 16. Illud promontorium a recentioribus nautis *Capo Pagro* nuncupari scribit Maginus. Ea vero Græca vox *Dei faciem* Latine sonat. Pinedo in notis ad Stephanum V. *ΒΟΤΡΥΣ*, ait se existimare Botrym fuisse urbem illam, qua Josue cap. XXI, 36 dicitur *Betser*; septuaginta senibus *Βορώς*, inter civitates XLVIII Levitis assignatas. Est insignis Hebræi præsertim scriptoris hallucinatio. Nam Josue cap. XX inter sex civitates refugii v. 8 legitur: *Et trans Jordanem contra Orientalem plagam Jericho, statuerunt Bosor, qua sita est in campestri solitudine de tribu Ruben*, quod ipsum repetitur cap. 21 eo ipso textu, quem Pinedus laudat. Itaque Bosor urbs trans Jordanem in tribu Ruben perperam confunditur cum urbe Botry, quæ erat in litore Phœnicio extra terminos terræ promissæ, cujus fines in-

Tribu Afer fuere *usque ad Sidonem magnam*, Josue cap. XIX, 28. Hinc D. Hieronymus in Topicis, sive de locis Hebraicis, ait: *Sidon urbs Phœnices insignis olim Cbananaorum terminus ad Aquilonem respiciens, Et postea regionis Judææ. Cecidit autem in sortem tribus Afer, sed eam non possedit, quia hostes nequaquam potuit expellere.* Jacobus de Vitriaco cap. 44 de bello sacro, describens urbes Phœniciaæ a Tyro Aradum versus, Byblo recitata, ait: *Post hanc supra mare sita est civitas, que dicitur Botrum, vulgariter autem Betirom.* Vuillelmo Tyri Archiepiscopo lib. 13 cap. 3 *Botrium* vocatur. Nullos hujusce Urbis nummos vidi, quos nec ab Antiquariis laudatos legi. Vnius tamen ectypum ex Anglia acceptum ad me transmisit V. C. Joannes Vaillantius, cujus hic iconem adpono.



In antica parte visitur caput Imperatoris Elagabali cum epigraphe Latine reddita: *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus.* Et retro cum Idolo intra templum: *ΒΟΤΡΥΝΝΩΝ*, *Botryenorum*, & subtrus: *OC*, *Anno CCLXX*. Stephanus V. *Βότρυνος* scribit erronee a Pausania ejus Urbis gentile dici *Βότρυνος*, cum *Βότρυανός* scribendum esset, quod antea etiam docuerat V. *Αγκύρας*, dicens errari in formatione nominis *Βότρυνος*, si a *Βότρυς* genitivo sit. At domestica nummi apud Botrym sculpti auctoritas Stephano præferenda est, cum eadem etiam non unius aut alterius scriptoris, sed publico Tyrii populi testimonio confirmetur. In Act. V Synodi Constantinopolitanæ a Menna Patriarcha anno Christi 536 celebratæ, referuntur gesta Synodalia apud Tyrum sub Epiphanio Metropolitano, ubi ceteras inter populi acclamationes legitur: *Ἡλίαν τὸν Βότρυνεν ἀναθεματίζον: Heliam Botryenum anathematiz-*

2A;

2a; & rursus: *Per victoriam Augusti καθεκα τὴν Βοτρυνίον*, depone *Botryenum*. Erat hic ex secta Acephalorum, quem Severus Patriarcha hæreticus Antiochenus apud Botrym in Phœnice Episcopum consecraverat. Itaque recte Pausanias memoratæ urbis gentile formavit, cum eodem pariter modo tum cives Botrys, tum ceteri quoque Phœnices illud efferrent. In Synodo Calchedonensi Actione IV Photius Tyri Metropolitæ questus est, quod Eustathius Beryti Episcopus ob hanc urbem ab Imperatore Theodosio metropolitano titulo insignitam, sibi in prima Phœnicia *Byblum, Botrym, Tripolim*, tresque alias urbes usurpasset.

Epocha Botrys in laudato nummo scalpita, est annorum 270. Cum Antoninus Elagabalus, qui ibidem obsignatus legitur, imperium a militibus in Syria acceperit A. V. Romæ 971, Christi 218; τῆς τῆ Μαρίου ἐκκαδεκάτης, *decimoseptimo* (XVI perperam vertit Interpres) *Kal. Junias*, abhinc per annos 270 retro numerantes, erimus ad A. V. Romæ 701, citra quem eadem Epochæ retrahi nequit. Rursus cum idem Elagabalus occisus fuerit mense Martio A. V. a parilibus 975, Christi 222, initium laudatæ Epochæ nequit protrahi ultra A. V. Romæ 705, quo si dicatur Botryenorum Æra cœpisse, idem initium habuisset cum Epochæ Juliana Antiochenis, de qua superius prolixè disputatum est. Enimvero si nummus ille reapse præferat annos 270, iidem probabiliter ab A. V. 705 deducti videntur. Veruntamen valde suspicor, eas numerales nummi notas fortassis aliquantisper detritas, ac proinde minus rectè exscriptas fuisse, ita ut tutius sit, iudicium interim suspendere, quousque alii Botrys nummi, qui plane rarissimi occurrunt, maiorem ejusdem Epochæ notitiam præbeant. Hinc in titulo hujusce capitis ceteras inter Epochas, hanc Botrys, ac alteram, proxime sequentem Bybli neutiquam inscripsi, quod neutrius nummos vidi, ac earundem urbium Æræ nulla certa ratione constabant.

§. VIII.

EPOCHÆ BYBLI.

Byblos a Saturno condita. Quidam ejusdem reges. Byblii in sacris literis Giblii nuncupati. Byblos ab Alexandro Magno pat-
Nnn 2 *Etioni-*

Elionibus capta; dein regibus Aegypti, postea Seleucidis parvis. Pompejus ejusdem urbis tyrannum neci tradidit. Isidis apud Byblum templum, eademque in nummis Bybliorum obsignata. Adonis Cynere. Bibliorum regis filius, ibidem cultus. Ab eodem proximum Byblo flamen nomen sortitum. Epocha Bybliorum in medio relinquitur.

BYBLOS sive Byblus urbs Phœnicum maritima, inter Tripolim ac Berytum, quatuor a Botry milliariis, in eminenti colle sita erat. Sanchoniatho historicorum vetustissimus, cujus libros e Phœnicio sermone in Græcum transtulit Philo Byblius, apud Eusebium lib. 1 de præpar. Evang. cap. 7 scribit Saturnum a Cœlo ac Terra genitum fuisse; dein: *Aedes suas, inquit, Saturnus mœnibus cinxit, urbemque condidit primam, Byblum a Phœnicibus nuncupatam.* Plutarchus in libello de Iside & Osiride, ex vetustis Aegyptiorum commentariis narrat Isidem Byblum venisse, ut ejectum e pelago intra arcam conjugis Osiridis cadaver inveniret, eamque humaniter a Malcandro rege ac Astarte sive Saosî regina tum apud Byblum regnantibus exceptam, quæsitum mariti cadaver sub altaerica latens, reperisse, quod postea in Aegyptum translatum, ac in partes discissum, in diversis urbibus tumulavit. Lucianus de Dea Syria scribens, ait: *Sunt autem ex Bybliis nonnulli, qui dicunt apud sese humatum esse Osirim Aegyptium;* cui inde rei fidem facere conabantur, quod singulis quibusque annis caput super undas enatans ex Aegypto, statim annis diebus, Byblum deferebatur. Et hoc, inquit Lucianus, *me præsentem tum Bybli factum est, & caput ipsum spectavi e papyro effigiatum.* Hoc Osiris caput in manu Deæ in variis urbium Phœniciae nummis spectatur. Hæc tamen omnia ad vetustatem urbis Bybli jactandam fictis fabulis prodiderunt. Sanctus Hieronymus in libro de locis Hebraicis ait: *Byblos civitas Phœnices, cujus meminit Ezechiel, pro qua in Hebræo continetur Gobel.* Nam in cap. XXVII, 9 Ezechielis inter navales Tyrionum socios nominantur *senes Giblii*, qui a LXX Interpretibus *πρεσβύτεροι τῶν Βυβλίων* *senes Bybliorum* nuncupantur. Et in 3 Regum c. V, 18 jubente Hiram rege Tyri, *Giblii præparaverunt ligna & lapides ad adificandam*

dam domum, quam Deo Salomon maximam dicavit. Vti vero Byblus Hebræis dicebatur Gobel; ita Syris *Gibelet* etiamnum vocatur; varias vero nominis Byblii etymologias producit Stephanus in libro de Urbibus. Byblii uti ceteræ Phœnicum urbes, cum a Tyriis rebellassent, proprios sibi reges imposuerunt, qui Persarum postea Monarchis tributa persolvebant. Arriano lib. 2 *Enulus Bybliarum rex* memoratur, qui cum Byblum ab Alexandro Magno pactionibus captam intellexisset, cum Bybliorum navibus a Darii regis classe ad navales Alexandri copias transfugit. Extincto postea Alexandro, Byblus Ptolemæis Ægypti regibus paruit, quousque Antiochus Magnus anno tertio Olympiadis CXL, qui fuit urbis Romæ 536, bello adversus Ptolemæum Philopatorem suscepto, Phœnicem provinciam Seleucidarum regno adiecit, uti fufius narrat lib. V Polybius. At Syriæ regno sub Antiochis fratribus Grypo ac Cyziceno, horumque filiis civilibus discordiis everfo, Tigrane Armeniorum rege superiorem Syriam occupante, quidam tyrannidem apud Byblum invalfit, cujus rei auctor est Strabo lib. 16 scribens: *Byblus fuit Cynera regia, in qua sunt sacra Adonidis. Eam tyranno securi percusso, Pompejus liberavit.* Cyneras fuit e vetustis Bybli regibus, qui ex Zmyrna conjugè Adonim puerum formosissimum suscepit; unde Adonis Ovidio in fine libri 10 Metam. *Cynireius beros* appellatur. Lucianus loco laudato ait: *Ceterum ascendi & in Libanum ex Byblo, itinere unius diei, cum audivissem ibi antiquum templum Veneris esse, quod Cyneras dedicasset.* Hoc fortasse templum fuit, quod Veneri Aphacitidi circa montem Libanum & Adonim studium sacrum, ac impuris caremoniis Idololatrarum pollutum, Constantini Magni jussu dejectum fuisse post Eusebium scribit Sozomenus lib. 2 cap. 4. Byblus in divisione provinciarum Syriæ sub Christianis Imperatoribus, Phœniciæ primæ sive maritimæ attributa fuit, ejusque Episcopi Basilides in Concilio Constantinopolitano primo, & Rufinus in Calchedonensi recitantur; & in hujus quarta Actione Photius Tyri metropolita inter urbes suæ diocesi ab Eustathio Berytensi Episcopo, ut alias dixi, surreptas, *Byblum* recensuit. Cum postea eadem urbs in Saracenorum potestatem venisset, an-

no Christi 1106 Januenses cum LXX triremibus ad sacrum bellum profecti eandem recuperarunt; cumque Ecclesiæ Botrys ac Archarum sub uno Tripolis Episcopo constitutæ fuerint, Byblos proprius Antistes impositus fuit, ad quem extat Innocentii III epistola lib. I num. 516, & altera apud Vuillelmum Tyrium lib. 14 cap. 13. Lege eundem lib. II cap. 9. Denique cum Guido rex Hierosolymitanus anno Domini 1187 ingenti prælio a Salahadino victus fuisset, Byblus, Berytus, aliæque urbes in Saracenorum iterum potestatem venerunt, uti narrat Jacobus de Vitriaco cap. 95 de bello sacro. Vetus Bybliorum numismata in Cimeliis servantur, quorum unum & alterum hic delineatum exhibeo.



Prior nummus visitur in Gaza Medicea cum epigraphe in antica parte: ATT. M. AT? KOMMOΔOC ATT. *Imperator M. Aurelius Commodus Augustus*, & retrorsus: BTBAOT IEPAC, *Bybli sacra*, cum Iside velum navis expansum tenente. Hyginus fabula postrema, quæ numero est 276, ait: *Velificia primum invenit Isis. Nam dum quarit Harpocratem filium suum, rate velificavit.* Plutarchus in laudato opusculo de Iside & Osiride, scribit ex erica, intra quam Isis apud Byblum Osiridis cadaver in arca clausum invenit, lignum confectum, quod sua etiam ætate colia *Byblii in fano Isidis* testatur. Ita Byblij, quod Isis suam quondam in urbem advenerat, eandem dicato templo, ejusque imagine nummis ob signatis, eximie coluerunt.

Alterius nummi typum ad me transmisit vir insignis Joannes Vaillantius, cum anteriori epigraphe: ATT. KAI. ANTΩ
NEI-

NEINOC. *Imperator Caesar Antoninus*, cum radiato ejusdem capite. In posteriori autem parte inscribitur: ΒΥΒΛΟΥ ΓΕΝΕΑ, *Bybli sacra*. Ibi visitur intra templum tetrastylum Genius urbis Bybli capite velato ac turrato, reliquo corpore veste obducto, monticulos insidens, cum imagine fluvii ex undis partim emergentis. Cardinalis Baronius tomo quarto magnorum Annalium ad Annum Christi 362 nummi typum producit cum epigraphe: GENIO ANTIOCHENI; ubi Genii figura eodem prorsus modo formata visitur, ut in allato Bybliorum numismate. Idem vero Baronius imaginem, inferius media sui tantum parte apparentem, ad Daphnem refert, quæ dubio procul est Orontis Antiochiæ alluentis, ut harum rerum periti norunt. Ita in hoc Bybli numismate figura fluminis Adonis, per Bybliorum agrum decurrentis, exprimitur. Adonis filius fuerat Cyneræ apud Byblum regis, ut ex Plutarcho & Ovidio prænotavi; ac Byblii dicebant Adonim ab apro in Bybliensi agro percussum interiisse, uti narrat laudato loco Lucianus, ubi etiam annua sacra Adonis in templo *Veneris Byblia* describit. Hinc ab eodem Adone fluvium, aliquot infra urbem milliariis in mare sese exonerantem, Adonim nuncuparunt; qui cum rubro Libani montis pulvere ventorum vi, statò anni tempore, in ipsum decidente, infectus, veluti cruentus laberetur, Bybliis lugendi Adonis tempus indicabat, ex eodem Luciano. Ceterum notæ CKΔ, quæ in infima parte expositi nummi visuntur, *annum* CCXXIV designant; cujus quidem Epochæ caput & origo mihi plane ignoratur, cum præsertim V. C. Vaillantius scripserit, nescire se, num hic nummus Antoninum Caracallam adhuc juniorem, vel Antoninum Elagabalum potius exprimat. Equidem si dicatur Bybliorum Epochæ initium cepisse ab A. V. Romæ 734, quo Augustus in Syriam adveniens, Byblios peculiaribus beneficiis affecit, annus ejusdem *Æræ* 224, in nummo signatus, concurrit cum A. V. Romæ 958 usque ad autumnum, quo Imperator Antoninus Augustus alterum consulatum gessit una cum fratre Geta Cæsare. Hanc tamen Epocham in medio relinquo, quam uti etiam alteram Botrys tanquam appendices adjectas volo.

DISSERTATIO QUINTA, DE EPOCHIS VRBIVM PA- LAESTINAE.

CAPVT I.

Palastini antiquitus Philistiim nuncupati. Palastina pars Syria, a cuius diœcesi adulsa, a peculiari Caesarum Legato propretore administrata fuit. Constares, dein Proconsules eidem praefecti. Erat una civilis provincia. Arcadius Palastinam in tres provincias dissecuit, quarum tertia Salutaris appellata, ex Arabia Petraea parte constabat.



Palastina ultima Syriarum dicitur Ammiano Marcelino lib. 14 per intervalla magna portenta, cultis abundans terris & nitidis. Clauditur a Septentrione Phoenice, ab Ortu Coele Syria, a meridie Arabia Petraea, uti partim etiam ab Aegypto, ab occasu vero mari Syriaco. Hieronymus in quaest. super Genesim ad cap. 10 ait: *Casloim qui deinceps Philistiim appellati sunt, quos nos corrupte Palastinos dicimus.* Hinc ubi Geneseos XXI dicitur Abraham habitasse juxta LXX Interpretes ἐν τῇ γῇ τῶν φυλιστίμ in terra Philistiiorum, vulgata cum Hieronymo habet, in terra Palastinorum. Hæc ore Amos cap. IX, 7 inquit Deus: *Nunquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti, & Palastinos de Cappadocia, ubi in Hebræo textu legitur: & Philisteos ex Caphtbor.* Quod ipsum scribit Moyses in cap. 2 Deuteronomii V, 23. Cappadocia Hebræis Caphtbor dicebatur, unde Philistæi sive Palastini ortum traxere, qui Hevæos, ut ibidem legitur, ab Haferim usque Gazam habitantes, expulerunt. In lib. 1 Reg. cap. VI, 18 memorantur urbes Azotus, Gaza, Ascalon, Geth, & Accaron, secundum numerum urbium Philistiim quinque provinciarum. Quæ Palastinorum ditio etiam Josue 13 describitur. Ex quo Hebræi promissas sibi divinitus terras occuparunt, in eos angustiores limites Palastino-

stinorum ditio redacta fuerat. Herodotus lib. 7 scribit: *Hi Phœnices, ut ipsi memorant, quondam mare Rubrum accolebant; illinc transgressi, maritima Syria habitant. Is autem tractus Syria & quicquid Aegypti tenuis est, Palaestina vocatur.* Verum de Palaestinarum origine secus ex sacris literis sentiendum. Et lib. 1 Ascalonem Palaestina urbem vocat. Dio vero lib. 37 ait: *Hac eo tempore in Palaestina gesta sunt; ita enim antiquitus universa ea gens vocabatur, quae a Phœnicia ad Aegyptum usque juxta mare mediterraneum extendit. Habent autem aliud ascriptum nomen; regio enim ipsa Judaea: gens Judaei appellantur.* At Judaea una erat regionum Palaestinae; neque enim Gaza, Ascalo, aut Azotus aliaeque iis proximae urbes Palaestinarum ad Judaeam pertinebant, uti neque Samaria, quae ipsa sub Caesaribus erat intra Palaestinam. Cum Judaei, Nerone imperante, a Romanis defecissent, Imperator Fl. Vespasianum legatum propraetorem belli gerendi, ac juris etiam dicendi causa, universae Palaestinae praefecit. Nam antea, partim fuerat sub regno Herodiadum, eoque deficiente, sub Procuratoribus; partim sub imperio Praesidum Syriae, quibus ipsi quoque Procuratores parebant. Tacitus lib. 15 ait: *Syriaeque executio Cincio, copia militares Corbuloni permissa.* Ita jurisdictio ad priorem legatum: imperium militare ad posteriorem in eadem Syria spectabant. At Vespasianum, utriusque potestatis exercenda causa, Palaestinae impositum fuisse colligo ex eodem Tacito, qui lib. 2 Hist. de Vespasiano ac Muciano scribit: *Ceterum hic Syria, ille Judaea praepositus, vicinis provinciarum administrationibus, invidia discordes, exitu demum Neronis positus odiis, in medium consulvere.* Et inferius: *Haud dubia destinatione discessere, Mucianus Antiochiam, Vespasianus Caesaream. Illa Syria, hac Judaea caput est.* Vbi Judaeam accipit pro Palaestina, siquidem Caesarea a Josepho lib. 19 cap. 13 dicitur *urbs sita in Phœnicia*, quae everfis Hierosolymis, totius Palaestinae metropolis evasit. Cum vero Vespasianus a Romanis legionibus in Oriente Imperator creatus, in Italiam redisset, ac postea Titus Hierosolyma expugnasset, Caesennius Paterus Legatus Propraetor in Syriam venit, in Palaestinam vero Lucilius Bassus itidem Legatus missus fuit, ut Judaicum bellum prosequeretur,

ret, ex Josepho lib. 7 de bello Jud. cap. 21 & 25. Lucilius Bassus a Vitellio classi praefectus, eandem Vespasiani ducibus prodiderat, uti narrat Tacitus in fine lib. 2 Historiarum. At Bassus in provincia de mortuo Fulvius Silva in Palaestinam successor venit, qui Massada oppido munitissimo capto, Judaico bello finem imposuit. Itaque cum Caesennius Pætus Syriam administraret, Bassus ac dein Silva Palaestinam rexere. Hanc vero suos deinceps peculiare Legatos habuisse, videntur probare vetusta monumenta, dudum Valesio in notis Eusebianis observata. Nam Eusebius lib. 3 cap. 32 narrat, S. Simeonem secundum Hierosolymorum Episcopum imperante Traiano, *coram Attico Consulari*, accusatum, crucis supplicio extinctum fuisse. Cum ætate Eusebii Consulares vocarentur, qui Palaestinam regebant, ut mox ex Hieronymo ostendo, eo vocabulo Atticum designavit, qui tamen Legatus Augusti iure praetorio Palaestinam moderabatur. Auctor est Dio in excerptis a Valesio editis, Lusium Quietum ob praeclara facinora, bello altero Dacico ac postea Parthico edita, consulatum a Traiano obtinuisse, quem etiam, Judæis passim rebellantibus, Legatum Palaestinae praefecit; quod pariter narrat Eusebius lib. 4 cap. 2, qui in Chronico scribit Judæos rursus sub Hadriano arma contra Romanos cepisse, ac Palaestinam depopulatos, *tenente provinciam Tinius Raso, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum*. Is Tinius Rufus Legatus Proprætor Thraciam etiam administravit, ut ex nummo Hadriani in regis Cimelii intelligimus, in cujus postica legitur apud Harduinum pag. 93: ΒΙΖΥΗΝΩΝ ΕΠΙ ΤΙΝ. ΡΟΤΦΟΤ. *Bizyensium. Sub Tinius Raso*, videlicet Legato Augusti in Thracia, in qua erat Bizya. Hæc tamen, producta a Valesio testimonia indicant, bello tantum ingruente, peculiarem Palaestinae Legatum proprætorem impositum. Nam Traiano imperante, bellum adversus Petros Arabas Cornelius Palma Syriae præses summo cum imperio administravit. Hinc nondum Palaestina a speciali Legato Augusti proprætore regebatur; alias eidem, utpote proximam Arabiae provinciam tenenti, bellum Arabicum commissum fuisset. At Petris & Bostrenis in potestatem Romanorum ab eodem Palma redactis, tum pri-

mum

mun Palæstinæ & Arabiæ Legatus proprætor impositus fuisse videtur. Nam una Palæstina angustior regio, ac tot bellis Judaicis devastata, neutiquam tantæ dignitatis ac potestatis præsidem exigebat. Spartianus cap. 14 de vita Hadriani ait: *Antiochenſes inter hæc ita odia habuit, ut Syriam a Phœnice ſeparare voluerit.* Solam Phœnicem nominat, quia jam antea Palæstina a jurisdictione Syriæ Præsidis avulsa fuerat, nempe post Arabiam Petræam in provinciæ formam redactam. Vetus Inscriptio Gruteri pag. 495 prodit quendam, cujus ibi nomen detritum est, ΠΡΕΕ. ΑΝΤΙΕΤΡΑΤΗΓΟΝ ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗΣ, *Legatum Proprætorem Syria Palæstina.* Hinc patet, mediæ ætate Romanorum Cæsarum Palæstinam a peculiari proprætore administratam. Dio lib. 55 enumerans Romanorum legiones sub Septimio Severo, laudat Legionem II Scythicam in Syria, Tertiam Gallicam in Phœnice, Sextam Ferratam in Judæa, Tertiam Cyrenaicam in Arabia. Ita id temporis quatuor illæ provinciæ a suis quæque Legatis Augusti regebantur. Suetenius in Vespasiano capite 8 ait: *Cappadocia propter assiduos Barbarorum incurſus legiones addidit, Consularemq; rectorem imposuit pro Equite Romano.* Soli enim Legati proprættores provincias cum legionum præsidio tenebant.

Eusebius in lib. de Martyribus Palæstinis scribit imperante Diocletiano, Vrbani Palæstinæ præsidem Christianos sævissime persecutum fuisse, illumque cap. 7 vocat ὁλὴ τῆ τῆ Παλαιστίνης ἑνὸς ἡγεμόνα: *totius Palæstinorum gentis Præsidem*, cui Firmilianus successit, tñ scribit cap. 8. Hieronymus in vita S. Hilarii narrat nobilem Francum ab Imperatore Constantio publica erectione impetrata, & acceptis ad Consularem quoque Palæstinæ literis, ad Hilarionem Gazam prope advenisse. Quare id temporis rector Palæstinæ dicebatur Consularis. Extat in Cod. Theod. Juliani L. 55 de decurionibus missa Leontio Consulari Palæstinæ, anno Christi 363. Verum paullo post Proconsul Palæstinæ præpositus fuit. In ejusdem Codicis lib. II recitatur Lex 28 quorum appellat. a Theodosio Magno lata anno Christi 383, cum titulo: *Euchario Proconsuli Palæstina.* Et anno proximo 384 data est L. 42 de Appellat. ad Agrestium Proconsulem Palæstinæ; ac anno 385 indibj

10 lex 4 *de fisci debet*. inscribitur *Florentio Proconsuli Palaestina*. Zosimus lib. 4 narrans gesta anni 388, scribit ab eodem Theodosio Hilarium Παλαιστίνης ἀρχόντης totius *Palaestina* rectorem designatum. Sanctus Hieronymus describens in epitaphio Paulæ iter ejusdem in Palaestinam, quod in magnis Annalibus recitatur anno Christi 385, ait: *Cum proconsul Palaestina, qui familiam ejus optime noverat, promissis apparitoribus, jussisset parari pratorium, elegit humilem cellam*. Justinianus in Novella 103 ait Palaestinam a Proconsule administratam fuisse, *cum una prius tota Palaestina esset*, quod ex laudato Zosimo patet; quamvis etiam una ac tota fuerit etiam sub Consularibus imperantibus, Constantio ac Juliano. Verum cum Arcadius post Theodosium patrem, imperium Orientis solus teneret, Orientales provincias in plures divisit. Ita Syriam, Ciliciam, ac Phœnicem in primas ac secundas distinxit; Palaestinam vero in tres provincias dissecuit; nempe in primam Consularem, in secundam præsidalem, ac tertiam itidem præsidalem, quæ *Salutaris* etiam dicta est. Extat in lib. 7 laudati Cod. L. 30 *de erogat. milit. annonæ*, qua pro speciebus annonariis jubentur tradita ipsa precia militibus limitaneis *per primam, secundam, & tertiam Palaestinam*. Est sanctio Theodosii junioris emissæ anno Christi 409 ac primo imperii ejusdem, qui cum nondum octavum ætatis annum exegisset, non ipse, sed ejusdem pater Arcadius divisæ in tres provincias Palaestinae auctor censendus est. Sed hoc ipsum insigni S. Hieronymi testimonio comprobatur, qui in quaest. super Genesim ad cap. 21 scribit Isaac natum *in Geraris, ubi & Bersabee usque hodie oppidum est, qua provincia ante non grande tempus ex divisione præsidum Palaestina, Salutaris est dicta*. Hunc vero librum scriptum ante annum Christi 411 patet ex præfatione, in qua tacto nomine Rufinum contra se grammientem perstringit, quem anno Christi 411 diem obiisse ostendilibro 1 Hist. Pelagianæ cap. 3. Et sane illa verba Hieronymi *ante non grande tempus*, aliquot jam elapsos annos designant. In Notitia imperii, qui liber imperante eodem Theodosio juniore scriptus fuit, tres Palaestinae recensentur. Tunc autem limites Palaestinae latius ad Ortum prolati sunt, magna Arabiae

Pe-

Petræ parte eidem adjecta. Nam ejusdem metropolis Petra cum universa circumquaque regione Palæstinæ tertiæ attributa fuit, cujus iidem metropolis constituta fuit eadem Petra. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis ait: *Ailat in extremis finibus Palæstina juncta meridiana solitudini & mari Rubro: unde ex Aegypto Indiam, & inde ad Aegyptum navigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento Decima, & olim quidem Ailat a veteribus dicebatur, nunc vero appellatur Aila.* In Notitia imperii Orientis sub Duce Palæstinæ legitur *Præfectus legionis Fretensis Aila.* In cap. 6 indicis Gruteriani plures Inscriptiones notantur, in quibus LEG. X FRETENSIS memoratur. In Act. IV Synodi Calchedonensis legitur *Beryllus Episcopus Aila tertia Palæstina.* Erat autem Aila ultra Petram, ut scribit ibidem Hieronymus V. *Amalecites.* Itaque usque ad mare Rubrum Palæstina tertia protendebatur; imo ex laudata Notitia imperii colligimus, eam tertiam Palæstinæ provinciam extra veteres Palæstinæ terminos fuisse, ac fere totam ex Arabiæ Petræ parte compositam. Hinc Theodosius Imperator in L. 29 de Judæis anno Christi 429 memorat Judæorum primates, qui in utriusque Palæstina Synedriis nominantur; nempe in prima ac secunda Palæstina, in quarum utraque, uti avita regione, Judæi Synedria sive curias suas habebant: quæ tamen Synedria nullæ illis erant in Palæstina tertia sive Salutari, quod hæc ex parte Arabiæ, in qua nullæ Judæis curiæ antea erant, veteri Palæstinæ adjecta fuerat. In tabula geographica Patriarchatus Hierosolymitani apud Carolum a S. Paulo, Palæstina prima dicitur SALVTARIS, sed hoc nomine tertia Palæstina designabatur. In Synodo Ephesina Actione I subscriptus legitur Suidas Episcopus *Phanus τῆς Σαλutarίας Παλαιστίνης, Salutaris Palæstina.* Phanon autem dicitur Hieronymo in libro de locis Hebraicis oppidum inter Zoaram & Petram, quæ a Ptolemæo L. 5 cap. 17 in Arabia Petræa urbes collocantur. Et in Notitia imperii sub dispositione Comitatus Orientis recensentur provinciæ *Palæstina; Palæstina secunda; & postremo loco Palæstina Salutaris.* Hinc Pancirolus in notis ad eandem Notit. ac Carolus a S. Paulo errant, dum Eliam Capitolinam sive Hierusalem vocant metropolim Palæstinæ Salutaris, cum Petra

urbs vetusta Arabiae fuerit ejus provinciae metropolis. Præterea intra Palæstinam secundam continebatur Decapolis Syriae, in qua erant Scythopolis, Pella, Gadara, Capitolias, aliaeque urbes, quæ a Ptolemæo in Syria cava extra Palæstinam recitantur. Denique Dora, quæ a Plinio ac Ptolemæo intra limites Phœnices ponuntur, ad primam Palæstinam translata sunt. Ipse quidem hoc in opere Palæstinam eos intra terminos describam, quos antiquitus habuit, cum ejusdem urbes nummos, quos exponam, scalpere. Quare omittam Epocham urbis Petrae, quam Auctor Chronici Alexandrini initam tradit anno primo Olympiadis CCXXI, Urbis Romæ 858, quod sequiori ævo ea urbs ab Arabia avulsa, tertiae Palæstinæ metropolis evasit. Cornelius Palma Syriae præses eo anno Urbis 858, victis Arabibus, Petram ac Bosfram Romano imperio adjecit, uti scribit Dio in Trajano. Hinc utraque urbs novam Aeram induxit, quod hic tantum indicasse sufficiat.

C A P V T I I

Gaza urbs vetustissima Philistinorum. Ejusdem situs. Ab Alexandro Magno expugnata, novos colonos accipit. Menses Macedonicos juxta formam anni Aegyptiorum servabat. Diagramma Anni Gazensium. De initio ejusdem Scaligeri ac Samuelis Petiti errores refelluntur. Josephi textus exponitur.

GAza Syriae Palæstinæ urbs fuerat antiquitus una ex quinque Philistinorum satrapiis, ac memoratur ab historicorum vetustissimo ac veracissimo Moyse in cap. X Geneleos v. 19. Et Josue cap. XIII, 3 legitur: *Terra Chanaan qua in quinque regulos Philistiim dividitur, Gazeos, & Azotios, Ascalonitas, Gethæos, & Accaronitas.* Et Zacharias cap. 9 vaticinatur: *Et peribit rex de Gaza.* Vti enim in proximis urbibus Phœniciae, ita & in oppidis majoribus Palæstinæ regum angustis terminis imperabant. Situm Gazæ describit Arrianus lib. 2. *Distat, inquit, Gaza a mari stadiis summum viginti; accessu quidem propter arenam altitudinem, difficillimo. Ad hæc mare urbi propinquum limosum est; urbs ipsa ampla & spatiosa, & in colle sita, validoque muro cincta est.* Cum Per-

Persæ in Syriam irrupissent, cunctis ejus provinciæ urbibus dedicationem potentissimis hostibus statim facientibus, inquit Polybius in excerptis apud Valesium pag. 87, *soli Gazæ resistere ausi, obsidionem pertulere*. Alexander postea bello Persico, bimestri obsidione, in qua & vulnus accepit, Gaza expugnata, cives internecione delevit, aliosque ex finitimis oppidis colonos vacuum in urbem deduxit, ut ibidem narrat Arrianus. Extincto vero Alexandro, Antigono regi paruit, donec eodem ingenti prælio in Phrygia victo & interempto, anno quarto Olympiadis CXIX, urbis Romæ 453, Gazæ cum Palæstina, Phœnicæ, ac Cœle Syriæ in Ptolemæi Soteris, qui primus post Alexandrum in Ægypto regnavit, potestatem venit; siquidem inter regiones eidem subditas recensentur Theocrito in Idyllio XVII Ægyptus, Phœnicia, Arabia, Syria &c. Antiochus Magnus Syriæ rex Seleucidarum regnum aucturus, Cœlesyriam ac Phœniciam invasit. Ptolemæus Philopator avitam ditionem defensurus, cum validis copiis contra hostem movens, inter Gazam & Raphiam Antiochum acie victum, Phœnicia ac Cœlesyria recuperatis, intra veteres Seleucidarum regni fines compulit, uti describit Polybius lib. 5. Anno postea tertio decimo mortuo Ptolemæo Philopatore, ac Ptolemæo Epiphane adhuc pupillo succedente, idem Antiochus, uti loquitur Justinus initio libri 31, *Phœnicem ceterasque Syriæ quidem, sed juris Ægypti civitates cum invasisset, legatos ad eum Senatus misit, qui denuntiarent ei, abstineret a regno pupilli*. Gazenses in regis Ægypti fide manentes, ab Antiocho obfessi & expugnati, ingentem cladem, acceperunt, ex Polybio in excerptis Valesianis p. 77 & 86. Quamvis autem postea Antiochus bellum contra Romanos meditans, pacem cum Ptolemæo rege fecerit, data eidem in uxorem filia Cleopatra, ac Cœlesyria, Phœnicia, Samaria, simulque Judæa, nomine dotis, eidem regi Ægypti promissis, ex Josepho lib. 12 cap. 3, ac nuptias apud Raphiam, quæ M. P. XXII supra Gazam Ægypto erat contermina, regia pompa celebrasset, Epiphanis tamen adolescentia contempta, neutiquam memoratas provincias reapse eidem tradidit; siquidem bello adversus Asiam minorem & Romanos, urbium Asiæ libertatem defendentes, suscepto, fuere

in

in classe Antiochi Tyriorum ac Sidoniorum naves; quorum maritimam potentiam ac in navalibus proeliis virtutem altius apud Romanum Consulem regis Antiochi legatus exaggerabat, ex laudato alias Livio, qui lib. 37 scribit ab eodem Antiocho Hannibalem in Syriam missum *ad Phœnicum accersendas naves*. Polybius legat. 72 de Antiocho Epiphane scribit: *Erat autem illo tempore Antiochus in Cœle Syria & Phœnice rerum dominus. Nam postea quam Antiochus pater illius, de quo nunc loquimur, regis, ad Panium duces Ptolemai devicit, ex illo tempore omnia commemorata loca Syria regibus parnerunt.* Hinc in lib. 2 Maccabæorum cap. III, 5 Apollonius iussu Seleuci Antiochi Magni filii, *dux Cœlesyria & Phœnicis* constitutus memoratur, uti etiam cap. IV, 4, ubi versu 18 Antiochus Epiphanes, Seleuci demortui frater, dicitur quinquennalem agonem apud Tyrum celebrasse, & V, 23 inquit sacer textus: *inde venit Joppen, & inde Hierosolymam.* Erat Joppe inter Gazam & Cæsaream Palæstinæ. Præterea idem Antiochus Epiphanes Legatis Græcorum, qui ipsum pacis inter eundem & Ptolemæum Philometorem restaurandæ causâ convenerant, cum plura respondisset, non destitit etiam, inquit Polybius legat. 81, *postremo negare verum esse de pactis, quæ legati Alexandrini facta dicebant inter Ptolemaum, nempe Epiphanem, nuper mortuum & Antiochum patrem, quibus pactis nomine dotis concedebatur Ptolemao Cœle Syria, quando in uxorem duceret Cleopatram ejus, qui jam regnat, matrem.* Itaque pactam nomine dotis ab Antiocho magno Phœnicis ac Cœlesyriæ cessionem, ejusdem filius Epiphanes pernegabat, ut palam constet eandem nunquam effectam.

Ex his colligimus Gazam, quæ ad annum usque urbis Romæ 556 regibus Ægypti paruerat, profligatis apud Panium sive fontes Jordanis Ptolemæi Epiphanis ducibus, ab Antiocho Magno regno Seleucidarum adjectam fuisse, ac deinceps cum ceteris Phœniciæ urbibus Æram Seleucidarum adhibuisse. Arrianus lib. 2 de Gaza scribit: *prima occurrit ex Ægypto in Phœnicem euntibus; & Marco Diacono dicitur civitas Palestina in confinio Ægypti.* Quare quod erat Ægypto finitima, ac diutius Ptolemæis Ægypti regibus subdita fuerat, typum anni Ægyptiorum etiam sub Romanis ser-

servavit; quamvis nominibus mensium Syromacedonum uteretur. Thebani in Ægypto jam inde a vetustissima ætate annum Solarem servantes, eundem ex 365 diebus componebant, ita ut omnes menses tricenarios haberent, qui dant dies 360, in exitu vero anni communis quinque dies addebant; & quamvis in potestatem Macedonum venissent, nec annum Macedonicum, nec iidem nomina mensium ejusdem receperunt, quemadmodum victoribus adulantes Chaldæi, Syri, Phœnices, ac Asiatici fecerant. Anni Gazensium urbis typum prodidit Marcus Diacorus Gazensis Ecclesiæ in vita S. Porphyrii ejusdem urbis Episcopi, apud Surium tom. I ad diem 25 Februarii, ubi ait: *Cum autem pergeret Deus non pluere primo mense, qui ab eis vocatur Dius; deinde etiam secundo, qui dicitur Apellæus.* Et inferius de Gazensibus scribens: *Est autem, inquit, apud eos Audyna, apud Romanos Januarius; precedunt autem quinque diebus eorum menses Romanos. Undecimo autem die peregrinimus festum Theophaniorum Domini N. Jesu Christi.* Ita solemnitas Epiphaniæ, quæ apud Romanos die 6 Januarii agebatur, ab Ægyptiis undecimo Tybi, & a Gazensibus undecimo die Audynæ celebrabatur. Denique idem Marcus ait: *Navigavimus Gazam vicefimo tertio Xanthici, qui apud Romanos est decimus octavus dies Aprilis.* In Annalibus Baronianis ad Annum 401 ad hæc Marci verba, in margine notatur: *Aprilis XXIII,* quasi Xanthicus Gazensium una cum Aprili Romanorum initium summisset; cum tamen Xanthicus die 27 Martii Romani inchoaretur, ut mox expono. Euthalius Diaconus in vita S. Pauli, quæ legitur præfixa scholiis Oecumenii in Acta Apost. ait Doctorem gentium martyrium subiisse *quinto die juxta Syromacedones Panemi mensis, qui apud Ægyptios dici potest Epiphi: apud Romanos vero tertio Kalendarum Julii, nempe vicefimo nono mensis Junii.* Syromacedones Gazenses aliosque in Palæstina intellexit, quorum menses cum Ægyptiorum mensibus inchoabantur, ut ex hoc diagrammate apparet.

DE EPOCHIS STROMACEDONUM
DIAGRAMMA ANNI GAZENSIVM.

Menses Gazensium & *Aegyptiorum*. Dierum. Ineunt juxta Rom.

I	Dius	3	<i>Atbyr</i>	30	Octobris	XXVIII.
II	Apellæus	4	<i>Choiac</i>	30	Novembris	XXVII.
III	Audynæus	5	<i>Tybi</i>	30	Decembris	XXVII.
IV	Peritius	6	<i>Mecbir</i>	30	Januarii	XXVI.
V	Dystrus	7	<i>Phamenoth</i>	30	Februarii	XXV.
VI	Xanthicus	8	<i>Pharmuthus</i>	30	Martii	XXVII.
VII	Artemisius	9	<i>Pachon</i>	30	Aprilis	XXVI.
VIII	Dæsius	10	<i>Paynus</i>	30	Maii	XXVI.
IX	Panemus	11	<i>Epiphi</i>	30	Junii	XXV.
X	Lous	12	<i>Mesori</i>	30	Julii	XXV.
XI	Gorpiæus		<i>Epagomena</i>	30	Augusti	XXIV.
XII	Hyperberetæus			30	Septembris	XXIII.

Dies quinque Epagomenarum.

In anno Gazensium inibant die 23 Octobris: exibant die 27. At in anno *Aegyptiorum* incipiebant die 24 Augusti, desinebant die 28, unde novus in *Agypto* annus ejusque priores duo menses erant

1. *Thoth* 30 Augusti die 29.

2. *Paophi* 30 Septembris die 28.

Hic typus anni apud Gazenses colligitur ex laudatis testimoniis Marci Diaconi Gazensis. Nam dies XI Audynæi concurrit cum sexto die Januarii; & dies XXIII Xanthici cum die XVIII Aprilis, ac quintus Panemi, cum 29 Junii, uti alter Diaconus Euthalius utrumque diem componit. Idem Marcus scribit S. Porphyrium obiisse *die secundo mensis Dystri*; illius vero annua memoria in menologio Græcorum, nec non Romano Martyrologio die 26 Februarii celebratur; & in posito diagrammate dies secundus Dystri correspondet diei 26 Februarii. Hinc apparet menses Gazensium fuisse omnes tricenarios, atque illos in exitu anni communis quinque dies adjecisse, ut annum solarem ex 365 diebus componerent; cui tamen anno sequente Bissextili, sextam diem Epagomenarum, more *Aegyptiorum*, addebant. Quod Gazenses diutius sub regno Ptolemæorum fuerant, quo cum proximis

ximis Ægyptiis convenirent, decem priores anni menses una cum mensibus Ægyptiorum inchoabant. Verum cum more Syromacedonum, quorum mensibus utebantur, annum ab autumno deducerent; cum Ægyptii annum suum a die 29 Augusti auspiciarentur, ac proinde diversis mensibus dies Epagomenarum superadderent, Gazenses Gorpizum & Hyperberetæum non exordiebantur una cum mensibus Thoth & Paophi Ægyptiorum. Dies prima Epagomenarum Gazæ erat 26 Paophi Ægyptiorum ac 23 Octobris Romanorum; quinta ac postrema Epagomenarum erat dies 30 Paophi ac 27 Octobris in anno simplici, seu communi. At sequente anno Bissextili sexta quæ intercalabatur dies, erat 28 Octobris, ac proinde annus cum mense Dio Gazæ die 29 inchoabatur, quousque ob additum apud Romanos diem intercalarem 29 Februarii, menses a Xanthico, ut in anno simplici, iisdem diebus mensium Romanorum inibant.

Josephus Scaliger lib. 1 canonum Ifagog. pag. 144 tradit annos Gazensium fuisse Actiacos, ac initium habuisse a Gorpizo, quem inibant die prima Thoth Ægyptiorum, ac 29 Augusti Romanorum. Hinc dies Epagomenarum Gazæ additos ponit sub exitum mensis Loi. At Samuel Petitus lib. 4 cap. 23 annum Gazensium auspicatur ab Hyperberetæo, ac die 28 Septembris Romanorum; Epagomenas orditur a die 23 Septembris, additque: *Optime convenit cum Marci Gazensis calculo*, quem etiam Scriptorem Scaliger laudat. Ita quidem non semel contingit viros eruditos saltuatim & calamo ad alia properante libros legere. Etenim Marcus Diaconus disertè scribit: *Cum autem pergeret Deus non pluerè PRIMO mense, qui ab eis vocatur Dius; deinde etiam SECUNDO, qui dicitur Apellus &c.* Igitur in anno Gazensium primus mensis erat Dius; non Gorpizus; uti Scaliger; nec Hyperberetæus, ut Petitus imaginantur. Pejus vero erratum est Scaligero, qui ab æstiva tempestate annum Gazensium inchoat, cum ab adulto jam autumno ille initium traheret. Petitus investigans ibidem annum, quem primum Gazenses ex Lunari in Solarem demutarunt, prænotat Gazam, quanquam esset religionis Græcicæ, & Judaicæ averfaretur, ab Augusto tamen Herodis regno addi-

eam fuisse, teste Josepho lib. 15 cap. 11, ac rege eodem defuncto, concessam fuisse huius filio Archelao; *qua de re*, inquit, *insignis est locus Josephi* lib. 17 cap. 13, ubi cum dixisset ab Augusto traditas fuisse Archelao Tetrarchæ Casaroam, Sebastem, Joppem, & Hierosolyma, addit: τὰς γὰρ καὶ Γάδαρα, καὶ Ἰάπων. Ἕλληνίδες ἐστὶ πόλεις ἀποφύζας αὐλῆς τῆς ἀκρας εἰς Συρίας προσδήκην ποιεῖται. Quorum verborum sensum reddit: *Has urbes Gazam, Gadara, & Hippon, quæquam essent Græcæ religionis, permissas fuisse ab Augusto imperio Archelai*, ex quibus infer Petitus, Archelao in exilium postea post Augusti anno decimo Æra Christi, urbis Romæ 763, Viennam Allobrogum deportato, Gazenses Syriæ provinciæ adjectos, annum solarem receperisse; siquidem eo anno Cyclo Lunæ XI, Solis XIX, lit. F, Hyperberetæus cœpit die 28 Septembris, a qua delinceps die Gazenses annos Solates auspicati sunt. Hæc Petitus, quæ partim falsa sunt, partim incerta. Etenim falsum est, Augustum Gazam, Gadara, & Hippon post mortem Herodis, Archelao ejusdem filio concessisse, Josepho diserte oppositum testante. Nam libro 2 belli cap. 6 Græcæ editionis, Latine vero cap. 4 ait: τὰς γὰρ Ἕλληνίδας Γάζαν, καὶ Γάδαρα, καὶ Ἰάπων ἀπολειμμένους τῆς βασιλείας προσέθηκε Συρία: *Urbes vero Græcicas Gazam, Gadara, & Joppem a regno separans, Syria contriavit.* Nec diversa scribit eo lib. 17 Antiquitatum, quem Petitus laudabat; ibi enim in codice Mediceo num. 77, in Pluteo LXIX post vocem πόλεις, ait: ἀποφύζας αὐλῆς (non αὐλῆς, uti ex vulgato ait Petitus) τῆς ἀκρας εἰς Συρίας προσδήκην ποιεῖται: nempe, *ipsas avulsas ab extremo, videlicet limite regni nuper demortui Herodis, Syriæ adjecit.* Hinc ex falso principio Petitus initium anni Solaris Gazensium colligit ab anno V. 763, quo eorum urbs Syriæ provinciæ attributa fuerit, cum id post mortem statim Herodis contigerit. Porro incertum est, num Gazenses, cum ab Antiocho Magno ab Ægyptiorum imperio avulsi, Seleucidarum regno additi fuerunt, una cum nominibus mensium Macedonicorum, annum etiam Lunarem periodicum admiserint, vel potius Solarem annum Ægyptiorum retinuerint. Hoc alterum probabilius faciunt Epagomenæ in exitu anni apud Gazenses ser-

servata, quæ anno Lunari nullatenus conveniunt, sed tantum Solari ex mensibus tricenariis. Romani, Græci, Asiatici, Syri, Phœnices, alique cum annos Lunares in Solares mutarunt, ex mensibus dierum 30 & 31, vario licet ordine dispositis, annum dierum 365 instituerunt; nec Epagomenas admiserunt, quæ nullum antea locum in annis ipsorum periodicis habuissent. Quare Epagomenæ in anno Solari Gazensium satis indicant diu antea formam anni Ægyptiaci apud Gazam servatam. Si quis vero velit affirmare, eosdem cum ceteris Palæstinis ac Phœnicibus annos Lunares adhibuisse, ac in iisdem in Solares commutandis maluisse proximorum Ægyptiorum annum imitari, nullo certo testimonio redargui poterit. Veruntamen concedant necesse est, Gazenses in anno Solari disponendo duo præsertim observasse, videlicet ut annum cum ceteris Syris per autumnum auspicarentur, & ut menses ejusdem una cum mensibus Ægyptiorum, quibus cum commercia ob finitimos agros exercebant, pari dierum numero decurrerent, quod in prioribus decem mensibus Gazensium & Ægyptiorum ex descripto diagrammate patet.

CAPUT III.

Varia Scriptorum opiniones de initio Epochæ Gazensium. Ea cæptæ A. V. Roma DCXCIII. Insigne Marci Diaconi Gazensis testimonium expenditur. Idem initium probatur ex nummo Plautilla Augusta. Ex eodem aliisque nummis Fulvia familia Plantiani demonstratur. Quo anno Plautilla nupta Antonino Caracalla. Initium ac finis Episcopatus S. Porphyrii apud Gazam ostenditur. Cur Gazenses biennio post obtentam a Pompejo autonomiam, Epocham inierint? Nummi eadem obsignati produciuntur. De Marna apud Gazam culto, ejusque templo jussu Arcadii Imperatoris dejecto. Nota diversæ numerales una simul in Gazensium nummis signatæ variè exponuntur. Numerus XC. bisce notis ϣ vel γ in nummis Gaza aliarumque in Syria urbium promiscue expressus. Aliis Gazensium nummi eadem Aera notati. Io Gaza culta. Ex nummo Caracalla initium laudatæ Epochæ iterum confirmatur. Nummus Faustine junioris ac Lucilla explicatur.

MArcus Diaconus narrat S. Porphyrium Gazensis Ecclesiæ Episcopum, cujus ille vitam describit, obiisse *die secundo mensis Dystri, anno, ut est Gazensium computatio, quadringentesimo octogesimo; Episcopatus ab eo gesti vicesimo quarto, mense undecimo.* Si nota Consulatus aut labentis tunc Indictionis, annum obitus S. Porphyrii designasset, initium Epochæ Gazensium, quam appellat, palam indicasset, quæ tamen nullis characteribus chronologicis alias notis expressa, non ab uno eodemque anno a Scriptoribus deducitur. Nam Scaliger lib. 2 can. Ifagogic. pag. 120 illam inchoat ab anno Periodi Julianæ 4651, qui fuit urbis Romæ 691. Hinc in fine totius Operis comparat annum Christi 1604 cum anno Gazensium 1666. In eadem sententia est V. C. Harduinus, qui pag. 177 Epocham Gazæ auspicatur A. V. Romæ Capitolino 690, *quo, inquit, Cicero Consul fuit.* Spanhemius Dissert. IX pagina 869 eandem Æram exorditur ab A. V. Romæ 692, L. Junio Silano & L. Licinio Murena Coss. At Vsserius illius initium in annum proximum protrahit, id est Urbis 693. Denique Bollandus in notis ad vitam S. Porphyrii sub die 26 Februarii, putat annos Gazensium initium cepisse A. V. 696. Certa tamen mihi sententia stat, Epocham urbis Gazæ inchoatam fuisse anno Periodi Julianæ 4653, Urbis Romæ 693, Olympiadis CLXXIX anno quarto, ante Æram Christianam 61, Cyclo Solis V, Lunæ XVII, M. Pupio Pisone & M. Valerio Messalla Consulibus. Auctor vetustus Chronici Alexandrini ad annum IV Olympiadis 179 ait: *Hinc Gazenses sua tempora numerant.* Antequam hanc veram chronologiam nummorum testimoniis confirmo, eandem ex Marco Gazensi Diacono illustro. Etenim scribit S. Porphyrium obiisse *die secundo Dystri anno Gazensium 480, Episcopatus ab eo gesti vicesimo quarto, mense undecimo.* Quare Porphyrii consecratio contigit anno Gazensium 455 vere circiter ineunte. Idem vero Marcus narrat mortuo Andrea Episcopo Gazæ, ob exorta de novi Episcopi designatione dissidia, communi consilio quinque ex Clero ac totidem e laicis electos, qui ad Metropolitam Palæstinæ profecti, *peterent ab eo Episcopum &c. Pontificatus autem munus tunc obibat Joannes, qui ipse quoque erat vir probus.* Tum narrat Joan-

Joannem Cæsareæ Archiepiscopum re intellecta, Porphyrium Hierosolymis, ubi degebat, ad se evocasse, cui idemmet Marcus sese comitem addidit. *Ille autem*, inquit, *die profecti sumus Cæsaream &c. Cum autem id audivisset beatus Joannes Archiepiscopus, cursu ad nos accessit*; statimque Porphyrii ordinationem recitat. Nondum Antistes Hierosolymitanus jus Patriarchicum usurpaverat, sed & ipse erat subditus Metropolitæ Cæsariensi, uti etiam diserte testatur S. Hieronymus in epistola ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani. Hæc autem Porphyrii ordinatione contigit post annum Christi 394, siquidem in Synodo celebrata Constantinopoli in controversia de Episcopatu Bostreno in Arabia, hæc initio leguntur: *In consulatu religiosissimorum & Deiamantissimorum Imperatorum N. N. Flavii Arcadii, Augusti III, Honorii II tertio Kal. Octobris &c. sedentibus sanctissimis Episcopis, Nestorio Constantinopolis, Theophilo Alexandrino, Flaviano Antiocheno, Palladio Cæsareæ Cappadocia, Gelasio Cæsareæ Palæstina, Gregorio Nissa, &c.* Consulatus tertius ac secundus Augustorum fratrum est index anni Christi 394, urbis Romæ 1147, quo die 29 Septemb. Gelasius Archiepiscopus Cæsareæ in Palæstina memoratæ C-P. Synodo interfuit. Hinc patet exeunte Septembri anno Christi 394 nondum Joannem fuisse Metropolitam Cæsareæ in Palæstina, ejusdem decessore Gelasio adhuc superstite, quem etiam viventem laudat S. Hieronymus in catalogo Eccles. Scriptorum. Ex his manifeste colligimus Epocham Gazensium initium habuisse post A. V. Romæ 692. Nam a die 28 Octobris hujusce anni numerando annos 455, quorum postremo sub initium veris Porphyrium a Joanne Metropolitæ Cæsariensi ordinatum ostendi, erimus ad annum Urbis 1147, Christi 394, quo Gelasius, exeunte Septembri, adhuc erat Cæsareæ in Palæstina Episcopus, ac præsens aderat Constantinopoli in Synodo.


In maximo Christianissimi Regis Cimeliarchio visitur insignis Plautillæ Augustæ nummus apud Gazam scalptus, cujus typum ad me Andreas Morellius, vir magni apud eruditæ rei nummarie cultores nominis, transmisit. Illius jam antea iconem exhibuerat Trifstanus tom. 2 pag. 248, ubi tamen annos Epochæ nec recte expressit, nec plane intellexit.

An-



Anterior epigraphæ Latine vertitur: *Fulviam Plautillam Augustam*. Posterius autem legitur: ΓΑΖΑ. ΔΖC. *Gaza. Anno CCLXIV*. In primis ex hoc nummo, uti scite prænotavit laudato loco Trifan-
 discus, nomen familiæ, in qua Plautilla nata est; erat enim Ful-
 via, cum feminæ passim sine prænomine nomen familiæ ferrent,
 addito cognomine ut plurimum apud Romanos diminutivo. Ex-
 tant alii nummi in eadem regia Gaza *Fulviam* Plautillæ familiam
 prodentes. Hos inter unus cum epigraphæ: ΦΟΥΛΑ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ
 CEB: *Fulvia Plautilla Augusta*; & retro cum Diana Ephesia cum
 cervis &c. ΑΚΡΑΣΙΩΤΩΝ, *Acrasiotarum*. Hanc urbem Spanhemius
 pag. 899 nusquam apud Scriptores inventam tradit. Trifan-
 discus tom. 2 pag. 94 ac Patinus pag. 262 eandem suspicantur esse Acram
 in Isthmo veteris Sarmatiæ. Harduinus pag. 338 Acrasum *Ly-*
cia urbem obtrudit, quæ pag. 25 errore Typographi *Lybia* depu-
 tata fuerat. Verum urbs Lyciæ non Acrasus, sed *Acarassus* dice-
 batur. Stephanus ex Capitone scribit: Ακαρασσὸς πόλις Λυκίας:
Acarassus urbs Lyciæ. In subscriptionibus Act. VI Synodi Cal-
 chedonenensis legitur: *Stephanus Episcopus Limyrensiū desinens*
subscripsi per Nicolaum Episcopum Ακαρασσέων πόλεως, Acarassensi-
um civitatis. Erat Limyra urbs Lyciæ, ac proinde ejusdem Episco-
 pus per collegam in Lycia Episcopum subscripsit. Deinde post se-
 ptem ejusdem Lyciæ Episcopos subscriptus nominatur Nicolaus
 Episcopus πόλεως Ακαρασσῆ, *urbis Acarassii*. At Acrasus erat in
 Lydia. In Notitia Ecclesiarum pag. 45 apud Carolum a S. Paulo
 sub

sub titulo: *ἐπαρχία Λυδίας*, *Provincia Lydia*, recitatur Episcopus *Ἀκρασῦς*, *Acrafi*. In Concilio VII Oecumenico inter Antistites Lydiae nominatur Constantinus *Ἀκρασῦς*, *Acrafi*. In notitia urbium Imperii apud eundem pag. 29 recensetur sub Consulari Lydiae *Ὀκράσιος*, *Ocrasus*, ubi prior litera in A mutanda, ut sit *Acrafius*, qua in urbe Lydiae laudatus nummus sculptus est. Alium nummum Fulviae Plautillae ex Gaza Medicea Gabalis in Syria percussum produxi Dissert. 3 cap. 8 § 3, alterum servant locupletissima quorumcunque veterum monumentorum, si statuas excipias, Cimelia quae Veronae in patria nostra visuntur in aedibus Illustrissimi Comitum Francisci Moscardi. Ecce nummi typum!



Est numisma majoris moduli, cujus epigraphae in antica parte Latinae redditur: *Fulvia Plautilla Augusta*. Posterior autem: *Sub primo Pontifice M. Aurelio Antonino. Byzantiorum*. Hanc autem Inscriptionem etiam in nummo Antonini Caracallae recitat Harduinus pag. 105. Ita ex hoc quoque nummo discimus familiam Plautillae ejusque patris Plautiani, quem, Panvinio praeeunte, ceteri in Fastis vocant *Septimium Plautianum*, qui *Fulvius* dicendus est. Et sane Spartianus cap. 6 de vita Severi ait: *Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit*; & in vita Pescennii c. 5 scribit: *Fulvium autem ad occupandos Nigri liberos a Severo missum*. Ex quo utroque collato testimonio Casaubonus recte Fulviam gentem, e qua natus Plautianus, omnium primus intellexit, quam postea tot etiam nummi nobis prodiderunt. Praeterea idem Spartianus initio vitae Severi vocat ejusdem matrem *Fulviam Piam*, & avum maternum *Fulvium Pium*. Quare Fulvia gens erat Leptae

in Africa, ex qua urbe tum Imperator Severus, tum etiam Plautianus Plautillæ pater oriundi erant. Herodianus lib. 3 scribit: *Plautianus erat Severi municeps, Afer natione, & ut quidam putant, consanguineus*; quippe qui erat e gente Fulvia, e qua in eadem urbe, Severi Augusti pater Fulvia Pia ortum duxerat. Ex his suppleri potest insignis Inscriptio Gruteri pag. CCLXX, 6 eidem Plautiano dicata, in qua ejusdem postea occisi nomen jussu Severi detritum fuit. Baronio ad Annum Christi 205 nominantur Consules *Plautianus Sillanus & Geta Cæsar*. Sed nec Sillani alterum Plautiani cognomen uspiam legitur, nec Plautiani collega fuit Geta. Cæsar Severi Augusti filius, sed P. Septimius Geta ejusdem Severi frater, quod scite Panvinius monuerat.

Hinc stylum verto ad alteram partem delineati nummi Plautillæ, in qua visitur Magnas cum Diana, de quorum apud Gazam cultu proxime dicam. Epochæ ibidem signatur ΔΖC, *anno ducentesimo sexagesimo quarto*, qui exiit die 27 Octobris, quæ postrema dies erat Hyperberetæi apud Gazenses, A. V. Romæ 957, imperii Severi XII & Caracallæ, cujus Plautilla uxor, itidem imperii Augustei VII Severus tertium ac Marcus Antoninus filius primum, ex Spartiano cap. 16 de vita Severi, *in Syria consulatum, inierunt*, A. V. Romæ 955, Christi 202. Inde Severus per Palæstinam in Ægyptum profectus, Memphim usque se contulit, vetusta gentis monumenta ac templa ingenti curiositate perlustrans. Cum vero Romam rediisset, anno sequenti V. C. 956, Christi 203, vota Decennialia celebravit, decimo imperii anno, mense Majo, exacto, cum annum undecimum principatus inisset. Extant nummæ ejusdem inscripti: VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. Dio narrat eundem vota Decennialia solvisse, addito congiario ac donativo, qua largitione. *tot aureos, quot annos imperaverat, dedit*. Et statim addit: *Eodem anno celebrata sunt nuptiæ Antonini filii Severi, & Plautillæ Plautiani filia*. Herodianus etiam lib. 3 de Severo scribit: *Ipse interea rebus ad Orientem gestis Romam revertebatur, & postea narrans gesta Severi in Vrbe ait: Tum Bassiano filio qui tunc M. Antoninus dicebatur, ac major natu erat, uxorem dedit filiam Plautiani Præfecti cohortibus*

bus Vrbanis. Itaque teste Dione scriptore amico ipsius Severi Augusti, Plautilla A. V. 956 nuptias cum M. Antonino celebravit, ac titulum Augustæ tulit. Jam vero si Epocha Gazensium inisset ab A. V. 691, quæ est Scaligeri & Harduini sententia, annus ejusdem 264, in Plautillæ nummo obsignatus, exisset die 27 Octobris A. V. 955, Christi 202, cum nondum Plautilla esset uxor Antonini. Notandum est Dionem annos per Consules digessisse, ac proinde illos inchoare a Kalendis Januariis; quamvis Xiphilinus in Epitome Consules omisit, qui in prioribus integris libris Dionis semper recitantur. Quare cum Dio scribat Severum Romæ vota Decennalia celebrasse, & *eodem anno* Plautillam uxorem filio Antonino dedisse, utrumque contigit anno Christi 203, V. C. 956, Fulvio Plautiano Plautillæ patre iterum & P. Septimio Geta Coss. Hinc ex laudato nummo probatur Epocha Gazensium cœpta post A. V. 691. Præterea alter insignis error Harduini intelligitur. Nam cum in nummo ejusdem Plautillæ Augustæ apud Tristanum pag. 248 & Equitem Patinum pag. 213 legatur: ΓΑΖΑ ΑΖΕ, reposuit ΓΑΖΑ ΑΖΕ, *Gaza Anno CCLXI, qui annus*, inquit, *incidit in Urbis Annum DCCCCL, Severi sextum, cum jam Caracalla Plautilla nupsisset.* At Plautilla teste laudato Dione scriptore synchro, eodemque Senatore Romano ac Severi Augusti familiari, *eodem anno* Caracallæ nupsit, quo idem Severus, exacto anno decimo imperii, Decennalia celebravit. Præterea anno quo Severus sextum imperii inivit, Caracalla die VIII Aprilis inchoaverat annum ætatis undecimum; cum enim occisus fuerit anno Urbis Capitolino 969 a parilibus inchoando, die Natali, anno ætatis XXIX eodem die exacto, anno Urbis Capitolino 950 die 8 Aprilis annum XI ætatis inivit, adhuc impubes adolescens, ac uxori ducendæ ineptus. Non sum nescius apud Spartianum, cap. 9 legi, Caracallam *vixisse annis XLIII.* Sed librariorum errorem idem Spartianus emendat cap. 16 in vita Severi, ubi cum dixisset Antoninum Caracallam post captam Ctesiphontem *annum decimum tertium agentem*, a militibus participem imperii acclamatum, ait eundem in reditu ad hiberna Syriæ virili toga sumpta, consulem cum patre designatum; & *statim*, inquit, *in Syria con-*

fulatum inierunt, nempe, ut superius notabam, A. V. 955, Christi 202. Quare anno superiori V. C. 954, Christi 201, die octavo Aprilis Caracalla annum ætatis decimum tertium expleverat. Adde annos exactos XVI, eris die octavo Aprilis ad annum V. C. 970 sive Capitolinum 969, Christi 217, ætatis vero Antonini Caracallæ XXIX, ea ipsa die exactum. Itaque Spartianus Dionem similiter loquitur. Ex his patet Caracallam A. V. Capitolino 956, seu Varroniano 951, die 8 Aprilis annum ætatis XI inchoasse, ac proinde non potuisse eo anno, defectu ætatis, uxorem ducere Plautillam. Porro nullus dubito, quin regius Plautillæ nummus, in quo laudati scriptores legebant AZE, vel AZC, sit idemmet nummus, quem produxi; cum nummi id temporis ab eruditissimo Patino possessi, & edito præclaro volumine expositi, in regiam postea Gazam translati, eandem locupletati auctario nobilitaverint. Quare literæ numerales nummi sunt AZC, nempe anno 264, quemadmodum, qui nummum ad me transmisit, doctissimus Morellius observavit. Si vero caput Æræ Gazensium, uti putat Spanhemius, figatur in A. V. 692, annus 264 exisset die 27 Octobris A. V. 956, Plautilla eodem anno Caracallæ juncta. Hanc tamen opinionem redarguunt ea, quæ superius de anno ordinationis S. Porphyrii Episcopi ex Diacono Gazensi produxi. Hinc fit, ut cum Auctore Chronici Alexandrini Epochæ Gazensium deducenda sit ab ante diem V Kal. Novembris A. V. Romæ 693; inde enim annus ejusdem 264 cœpit die 28 Octobris A. V. 956, quo anno, teste Dione, Caracalla Plautillam uxorem duxit. Ex eodem etiam nummo refellitur Bollandus, qui initium laudatæ Epochæ refert ad A. V. 696. Nam annus in nummo signatus 264 cœpisset memorata die Octobris A. V. 959, Plautiano ante illum annum occiso, ac filia Augusta Plautilla in exilium deportata. Et sane cum illa vix biennio cum marito vixerit, priusquam ab eodem ex aula pulsa relegaretur, initium Epochæ Gazensium nequit protrudi post A. V. 694. Ex hæcenus disputatis intelligimus initium & exitum Episcopatus S. Porphyrii. Gelasio Archiepiscopo Cæsareæ in Palæstina, exeunte anno Christi 394 vel sub initium anni insequentis, vita defuncto, Joannes eidem subrogatus fuit,

fuit, qui anno Christi 395, V. C. 1148 a parilibus, Epochæ vero Gazensium 455 mense circiter Martio, S. Porphyrium Gaza Episcopum consecravit, qui cum obierit *secundo mensis Dystri, anno, ut est Gazensium computatio, quadringentesimo octogesimo, Episcopatus ab eo gesti XXIV mense undecimo*, uti scribit Diaconus Gazensis, contigit ejusdem sancti Episcopi obitus die 26 Februarii, anno Christi 420, V. C. 1173 a parilibus, Impp. Theodosio IX & Constantio III Consulibus.

Viri eruditi superius mihi laudati putant Epocham Gazensium eo anno initam, quo Pompejus, Judæis cum regia urbe Hierosolymorum subactis, Palæstinam ordinavit. Etenim hæc Josephus scribit lib. 14 cap. 8: *Marissimas vero Gazam Joppen, Doræ, Stratonis turrin &c. has omnes Pompejus liberas esse jussas provincie contribuit*; nempe Syriæ, ut ait lib. 1 de bello c. 6. Itaque Gazenses ab anno acceptæ libertatis sive autonomiæ, novam Epocham suæ urbis induxerunt. Cum vero, inquit Harduinus, Pompejus eo anno quo Cicero Consul fuit, nempe V. C. Varroniano 691, qui huic Scriptori est Capitolinus 690, autonomiam Gazensibus concesserit, victis eodem anno Judæis, a quibus Gaza jugo servitutis premebatur, ab eodem quoque anno Epocham laudatam colligenda eidem dicitur. Hæc illi, quibus ut faciam satis, res mihi altius repetenda est. Gaza, quod erat Judæis finitima, eisdem semper infestos habuit; nunquam tamen eorum vim passa est, donec Syriæ regno intestinis Regum discordiis debilitato, Simon Judæorum princeps ac pontifex Seleucidarum jugo excusso, vicinos populos armis aggressus, Gazam quoque obsidens, eandem ad deditionem compulsit, ea conditione, ut omnes cives urbe excederent. Hæc in lib. 1 Macc. cap. XIII, 47 leguntur: *Et flexus Simon, videlicet Gazensium precibus, non debellavit eos: eiecit tamen eos e civitate; & emundavit ades, in quibus fuerant simulacra, & collocavit in ea viros qui legem facerent &c.* Hanc vero victoriam tanti fecerunt Judæi, ut illam in sacros festos relatam annua solemnitate recolerent; siquidem in ipsorum Calendario die 23 mensis Jiar, qui partim Aprili ac partim Majo correspondet, legitur: *Solemnitas. Simon capta Gaza, mandat arcem.* Verum Simone anno

Seleucidarum CLXXVII, urbis Romæ 619 a parilibus, Ptolemæi generi insidiis sublato, Antiochus Sidetes Syriæ rex cum validis copiis Judæam ingressus, Hierosolyma obsedit, diuque oppugnatam urbem ad deditionem compulit, jussis civibus mœnia dejicere ac vestigalia urbium extra Judæam regio fisco cedere, uti narrat Josephus lib. 13 capite decimo sexto. Judæorum viribus attritis, Gazenses suam in patriam rediere, vetera semper odia contra eodem Judæos exercentes. At Alexander Jannæus memorati Simonis nepos, cum Antiochum Cyzicenum non una clade affecisset, ac regium titulum usurpasset, indignatus Gazensibus, quod Ptolemæi Lathuri filii Cleopatraz, quæ in Ægypto regnabat, exercitum accivissent, urbemque eidem tradidissent, Gazam annua obsidione oppugnatam Lysimachi cujusdam prodicione cepit, ac civibus omnibus interfectis, *Et diruta insuper urbe, reversus est Hierosolymam*, uti scribit Josephus ibidem c. 21. Ceterum anno postea tricesimo quarto, qui fuit V. C. 691, Cicerone Consule, Pompejus expugnatis Hierosolymis, ac Judæorum gente intra veteres terminos coercita, Gazam, Raphiam, aliaque Palæstinæ oppida Judæis abstulit, eaque libertate donata, sive suis legibus vivere permissa, Syriæ abs se in provinciam P. R. redactæ contribuit. Verum Gaza ob clades a Judæis acceptas raro habitatore incolebatur; at ob autonomiam urbi concessam, qui inde erant oriundi, avitos penates repetere cœperunt. Itaque cum Gaza post biennium novis incolis eo confluentibus, ædibus restauratis, templisque restitutis, ac curia ordinata, speciem urbis resumpsisset, cives tum primum eo anno urbis Romæ 693 novam a reparata patria Epocham instituerunt. Josephus lib. 14 cap. 10 de Aulo Gabinio A. V. 698 Syriæ proconsule scribit: *Quot inveniebat urbes dirutas, adificari jubebat; atque hoc pacto instaurata sunt Samaria, Azotus, &c. Gaza & alie non pauca; idque mandante Gabinio, quarum habitatio posthac tutapermanfit; cum ante longo tempore deserta fuissent.* Ita Gazenses Epocham deductam voluere non ab anno acceptæ a Pompejo autonomiæ, quod tunc urbs erat deserta; sed cum magna ædium parte restaurata, curiam primum ordinaverant; quamvis acceptarum cladum imagines, ac non tantum vestigia, Gabinio post sexennium

pro-

proconsule Syriae, adhuc in urbe passim apparerent. Hæc probabilis causa redditur dilatae ad A. V. 693 Gazensium Epochæ, quæ in aliis etiam nummis Cimeliarchii Regis Christianissimi subnotatur. Ecce cum illos!



Nummus medius maximi moduli est Hadriani cum epigraphæ in antica: T P A I A N. A Δ P I A N O C... *Trajanus Hadrianus*; alterius partis inscriptio Latine redditur suppleta, quæ initio deficit, priori litera Γ, *Gaza Marna*. Huic geminum nummum possidet Bononiæ amicus noster officiosissimus Joseph Magnavacca, in quo legitur cum iisdem figuris Γ A Z A. . A P N A. Et hic una litera deficiente, quæ tamen ambæ ex utroque nummo restituuntur. In hoc nummo, uti in superius delineato Plautillæ, in templo distylo videntur simulacra Dianæ cum arcu ac breviori veste, & Marnæ, sive ut alii putant, Apollinis. Marcus Diaconus in libro de vita S. Porphyrii, Episcopi Gazæ, ait: *Erant autem in civitate simulacrorum publica templa octo: nempe Solis, & Veneris, & Apollinis, & Proserpina, & Hecates, & quod dicebatur Hieron, seu sacerdotum, & Fortuna civitatis, quod vocabant Tycheon, & MARNION, quod dicebatur Critæ* (hæc mox corrigam) *generis Jovis, quod existimabant esse gloriosius omnibus templis, quæ sunt ubique*. Ita etiam, Arcadio imperante, Apollo in templo a Gazensibus colebatur, cujus etiam antiquior, memoria extat apud Josephum lib. 13 cap. 21, ubi narrat, capta Gaza

ab

ab Alexandro Jannæo rege Judæorum, quingentos Senatores, qui in Apollinis adem confugerant, jussu ejusdem trucidatos fuisse. De Diana ibidem culta, quædam notabo in explicatione alteritis nummi Faustinae & Lucillæ imaginibus signati. Marnæ Gazensium non semel meminit S. Hieronymus, ut post magnum Baronium observavit cum ceteris Illustrissimus Spanhemius pag. 870, quæ nuper etiam exscripsit Harduinus pag. 178, & quidem tanta religione, ut cum apud Spanhemium errore Typographi notetur in margine alterum testimonium de Marna legi apud Hieronymum in *vita Hilarii*, eadem omnino verba Harduinus reposuerit; cum in *vita Hilarionis*, quam S. Doctor in literas misit, scribere debuisset. Hæc ibi ait Hieronymus: *Sed & Italicus ejusdem oppidi municeps Christianus adversum Gazensem Duumvirum, MARNÆ idolo deditum &c.* Sanctus Epiphanius in Anchorato scribit: *Marnas servus Asterii Cretensis apud Gazaos colitur.* Dioscorus vero Siculus lib. 4 narrat, Asterio in Creta regnante, Jovem raptam ex Phœnicia litore Europam in Cretam detulisse. At Gazenses nomine *Marna* ipsummet Jovem se adorare profitebantur. Hæc Marcus Diaconus Gazensis scribit: *Congregati autem Idololatra in MARNEO, multa sacrificia & preces faciebant ea de causa; dicebant enim Marnam esse dominum imbrum. MARNAM vero dicunt esse Jovem.* Stephanus ubi de Gaza urbe, scribit: *Vnde & Cretensis Jovis templum apud ipsos est, qui a nobis vocatur Marnas, quod interpretatur a Creta natus.* Ridiculam Stephani interpretationem dudum exploserunt Seldenus Syntag. 2 de Diis Syris cap. 1, & Bochartus lib. 1 Geogr. sacra Chanaan cap. 15, & lib. 2 cap. 12. Nam *Marnasb*, sive *Marnasba* apud Syros idem sonat ac apud Latinos *Dominus hominum*. Philo in libro contra Flaccum narrat adolescentes Alexandrinos Agrippam regem Judæorum, qui illuc appulerat, irrisuros, quemdam hominem mente captum, papyraceo diademate coronatum, ac storeo ornatu amictum, & arundineum sceptrum stringentem, *Μάρην Μαρίν* magnis clamoribus subinde editis nuncupasse, *quod nomen*, inquit, *Syris significat Dominum; norant enim Agrippam Syrum genere.* Vocem *Mar* Syriace *Dominum* significantem, Græco modo inflectens,

ctens, *Marim* reddidit. Divus Augustinus quæst. 16 in lib. Judicum scribit: *Baal Punici videntur dicere Dominum; unde Baalfamen quasi Dominum cœli intelliguntur dicere; Samen quippe apud eos cœli appellantur.* Ea vox Baal a Phœnicibus, a quibus Carthaginenses ortum duxerunt, desumpta; illi enim summum Deorum *Baal*, hoc est, *Dominum* nuncupabant, ut patet ex 3 Regum cap. XVI, 31. Syri vero eundem *Mar* appellabant, ita ut *Mar-nash* Dominum hominum indicaret. Ceterum ex laudato Stephano intelligitur error interpretis libri de vita S. Porphyrii. Quod enim apud Gazenses erat templum *Jovis Cretensis*, qui in nummo Titi apud Tristandum tom. 2 pag. 250 dicitur ΖΕΥΣ ΚΡΙΤΑΓΕΝΗΣ, *Juppiter in Creta natus*, idem interpres scribit fuisse apud ipsam, Gazam templum *Marnion*, quod dicebatur *Crita generis Jovis*, Quam erroneam Græci codicis, qui interiit, interpretationem, emendans Tristandus, ait ibidem scriptum fuisse ΚΡΙΤΑΓΕΝΗΣ ΔΙΟΣ. *Critagenis Jovis.* Athæc quoque correctio a Grammaticis castigabitur. Nam cum ΔΙΟΣ, *Jovis* sit vox genitivi casus, ΚΡΙΤΑΓΕΝΕΟΣ vel contracte ΚΡΙΤΑΓΕΝΟΥΣ, scribendum erat, qui est genitivus a recto Κρηταγενής. Itaque reponendum est: *Marnion, quod dicebatur Jovis in Creta nati.* Cicero in lib. 3 de Nat. Deorum narrat tres fuisse Joves; *primum ac secundum in Arcadia natos; & insuper tertium Cretensem Saturni filium, cujus in illa insula sepulchrum ostenditur.* Hinc Vergilius Æneid. III:

Creta Jovis magni medio jacet insula ponto.

Gazenses Jovem in Creta natum colebant, quem Syria voce, Græce tamen inflexa, per autonomasiam *Marnam*, id est, *Dominum hominum* nuncupabant, ejusque nomine nummos obsignabant. Auctor est Marcus S. Porphyrium Constantinopolim profectum, legem ab Arcadio impetrasse de claudendis apud Gazam Deorum templis, quod Hilario a Principe misso factum est, Hieronymo ad Latam scribente: *Marnas Gaza luget inclusus.* Narrat deinde Porphyrium post triennium iterum ad Arcadium reversum, legem de Marnæ templo evertendo obtinuisse, cujus incendium ibidem describit, Basilica de nomine Augustæ uxoris Arcadii *Endoxiana* in area destructi templi Marnæ ab eodem S. Episcopo extructa.

R r r

Hinc.

Hinc idem Hieronymus in comm. ad cap. 17 Isaia postea scribebat: *Scrapion Alexandria, & Marna templum Gaza, in Ecclesiis Domini surrexerunt.* Quæ summus Historicus in magnos Ecclesiæ Annales retulit.

In inferiori parte nummi, quem hætenus exposui, legitur: ΕΠΙ ΔΡΡ, quas Græcas literas Harduinius in *Addendis* pag. 572 ex indice prioris regii Cimeliarchii ita exhibet: ΕΠΙ ΑΡΡ, id est, inquit, *sub Agrippa*. At nullus ibi Agrippa exprimitur. Sunt notæ numerales Epochæ Gazensium. Nam media litera non est ρ, sed ρ nota numeri XC. Enimvero superius pag. 366 ostendi antiquitus regnantibus Seleucidis, in eorundem nummis nota q, quam Koppam dixere, numerum nonagesimum designatum fuisse. At posteriori ætate eandem notam superius apertam hoc plane modo γ scalperunt. Beda in libello de Indigatione, tom. 1 pag. 179 notat Græcos sui alphabeti literis, quod & Romani fecerunt, numeros designasse; at tres insuper notas numerales adhibuisse, quæ in ipsorum alphabeto non erant; harum, inquit, *secunda est γ, quæ vocatur copbe, & valet in numero nonaginta.* Hæc nota numeri nonagesimi eo plane modo formata, visitur in delineato nummo Gazensium, in quo duæ figuræ muliebres scalptæ sunt; itemque in duobus aliis, uno quidem Domitiani scalpto apud Ascalonem, quem cap. 4 § 1 proferam, ac altero Faustinae junioris Neapoli in Palæstina percusso, cujus typum exhibebo inferius cap. 5 § 2. Verum eadem nota aliter etiam formata in nummis occurrit, nempe ut lineola inferius descendens, non sinistra, sed dexteræ ejus notæ parti jungatur, ita ut hanc figuram ρ præferat. Hoc plane modo scalpta est in nummo Laodicensium, quem pag. 249 ære expressum produxi, uti etiam in hoc majori Hadriani apud Gazam percusso. Itaque notæ illæ ΔΡΡ, annum CXCIV Epochæ Gazensium designant. Ceterum in eo regio nummo ante præpositionem ΕΠΙ una litera detrита est; siquidem in simili nummo apud Josephum Magnavaccam Bononiensem legitur: Α ΕΠΙ ΓΥΡ. Et sane prioris literæ defectus colligitur ex alio delineato nummo inscripto: ΑΥ. ΚΑΙ. ΤΡ.. ΑΔΡΙΑΝΟΣ, *Imperator Caesar Trajanus Hadrianus*; posterius vero: ΓΑΖΑ ΕΙΩ, cum dua-

duabus figuris muliebribus, & subtus: Δ ΕΠΙ ΓΥΡ. Præterea in eodem Regis Christianissimi Cimeliarchio servatur parvus nummus cum antica epigraphe: ΑΤ. ΤΡ. ΑΔΡΙΑΝ.. & retrorsus cum Hercule innixæ clavæ: ΓΑΖΑ. Γ ΕΠΙ ΒΥΡ. Ex quibus in nummo regio maximæ moduli, quem hic expono, litera E reponenda colligitur. Itaque hoc annorum ordine tres illi nummi apud Gazam scalpti, recensendi sunt; in priori quidem parvo, Γ ΕΠΙ ΒΥΡ; in altero, Δ ΕΠΙ ΓΥΡ; in tertio denique maximo, Ε ΕΠΙ ΔΡΡ. In primo signatur annus Epochæ Gazensium *centesimus nonagesimus secundus*, qui una cum mense Dio cœpit die 28 Octob. A. V. Romæ DCCCLXXXIV decimo quinto imperiæ Hadriani; unde & duo alii descripti nummi cum annis ejusdem Epochæ 193 & 194 optime intelliguntur.

Nemo id genus nummos hactenus aut protulit, aut exposuit. Et sane haud ita facile assequi possumus, quid literæ illæ præpositioni ΕΠΙ præpositæ significant. Ipsa quidem præpositio ΕΠΙ tempus ibidem indicat. Dionysius Halicarnassensis lib. 2 scribit Romam conditam ἐν τῇ ἑβδόμῃ Ὀλυμπιάδῃ, *septima Olympiade*. Unde ΕΠΙ ΔΡΡ, idem est, ac Epochæ Gazensium *anno centesimo nonagesimo quarto*. At priores literæ negotium faciunt. Equidem facilius earundem explicatio est, si dicantur esse notæ monetarii, qui singulis easdem annis ordinatim variabat, ex quo cuedendæ apud Gazam monetæ munus susceperat. Hujusmodi literas in nummis Laodicensium vidimus Dissert. 3 cap. 6. Vir eruditus putabat prioribus illis literis signari annos, quo Hadrianus Palæstinam ac Phœnicem a diœcesi Syriacæ ac jurisdictione Legati apud Antiochiam residentis avulsas, speciali Præsidi regendas commisit. Ipse quidem pedibus in hanc amici nostri sententiam irem, nisi allatis superius cap. 1 testimoniis, ante imperium Hadriani Palæstina a peculiari præside administrata monstraretur. Rursus posset quis tertio reponere Gazenses, Hadriano Syriacas provincias perlustranti adulantes, novam quandam annorum Epocham instituendam decrevisse eo anno, quo idem Imperator Gazam primum adveniens, eandem urbem novis exemptionibus ac beneficiis ornavit. Hic vero observandum est, eos annos prioribus

ribus literis indicatos cœpisse numerari anno Epochæ Gazensium CXC, urbis Romæ 882. Hoc ex recitato nummo regio demonstratur, in quo legitur Γ ΕΠΙ ΒΥΡ, ubi cum annus Gazensium Æræ 192 cum litera Γ copuletur; si hæc nota sit numeralis anni tertii, annus primus litera numerali Α expressus, jungendus est cum anno Epochæ ejus urbis 190, qui cœpit die 28 Octobris A. V. Romæ 882. Hoc vero anno mense Martio Hadrianum fuisse Romæ, colligo ex lib. V Digest. tit. 3 L. 20 de *heredit. petis.* ubi numero 6 hæc recitantur: *Pridie Idus Martias, Q. Julius Balbus, & P. Juventius Celsus, T. Aufidius, Arrius Severianus Consules verba fecerunt de his, qua Imperator Caesar Trajani Parthici F. Divi Nerva N. Hadrianus Augustus Imperator maximusque Princeps proposuit quinto Nonas Martias, qua proxima fuerunt, libello complexus, qua fieri placuit &c.* Q. Julius Balbus & P. Juventius Celsus II. Coss. signant in Fastis A. V. a parilibus 882, Æræ Christi 129, & ambo memorantur in veteri Inscriptione A. D. XII. K. MART. Gruteri pag. 573, ubi & Hadrianus dicitur TRIB. POTEST. XII, quam primum iniit A. V. 870 die XI Augusti. Ita ambo fuere Consules ordinarii. Idacius in Fastis eò anno scribit: *Marcello & Cello*; Prosper vero, & ex eodem Victorius Aquitanus ac Cassiodorus: *Cello & Marcellino*. Imo & in veteri lateritia Inscriptione mihi a V. C. Fabreto indicata, in vinea Rondenina, via Tiburtina, legitur:

MARCELL. ET CELS II. COS

EX PR. VLP. VLP. IANIS. AL

Quæ allata Inscriptiones ac Fasti recte conciliantur, si alterum cognomen, quod passim id temporis in usu erat, priori Consuli additum fuisse dicatur, ut nempe vocatus fuerit *Q. Julius Balbus Marcellus*. Itaque A. V. a parilibus 882 die 3 Martii Hadrianus in Senatu de quibusdam ad rem hereditariam pertinentibus P. C. sententiam rogavit. Imperator paulo post in Asiam profectus est; siquidem Eusebius, qui libros Chronologicos Phlegontis liberti Hadriani legit, scribit Antinuum in Nilo semet submersisse, morante in Ægypto Hadriano, anno primo Olympiadis CCXXVII, imperii autem Hadriani XIII, qui fuit urbis Romæ 883. Dio vero scribit eundem Imperatorem *ex Judæa in Ægyptum venisse.*

niffi. Gaza in itinere ex Judæa in Ægyptum, distabat Rhinocoruribus prima Ægypti urbe M. P. XXXIV. Quare cum Hadrianus labente anno Gazensium CXC, qui exiit cum Octobri A. V. Romæ 83, Gazam adveniret, ob collata ab eodem civibus beneficia, iidem Principi assentantes, novam ab adventu illi us Epocham instituerunt: Suetonius in Augusto cap. 19 ait: *Quadam Italia civitates diem, quo primum ad se venisset, initium anni fecerunt.* At Gazenses non quidem anni, sed novæ Æræ initium ab adventu Hadriani Gazam cepisse videntur. Hanc tamen mortuo Hadriano, a Gazensibus omissam fuisse eorundem nummi demonstrant; siquidem in nummis Antonini Pii ibidem sculptis non legitur, ut mox apparebit. Hæc mihi de prioribus illis literis in Gazensium nummis rudi Minerva excogitata, eruditorum censura propono.

In altero Hadriani nummo sinistrorsus delineato legitur: ΓΑΖΑ ΕΙΩ. Vir amicus ΓΑΖΑ ΕΙΩΝ legebat, id est, *Gazaorum* five *Gazensium*. Verum litera N in fine deest, & E est superflua; juxta enim gentile ejus urbis scilicet fuit: ΓΑΖΑΙΩΝ, uti cum capite Tiri, vere an ficto, legit in nummo Goltzius pag. 215. At in nummis qui in Cimeliis majoribus servantur, passim in recto tantum casu ΓΑΖΑ legitur. Neque aliter in laudato numismate legendum esse censebat Antonius Maria Salvinus, publicus in Florentina Academia Græcarum literarum professor, cum eidem illam epigraphem ostendissem. Ille sane ΓΑΖΑ in sinistra parte circuli cum figura muliebri turrita ac sinistra cornu copiae tenente legit; ibique ipsam urbem Gazam designatam interpretabatur. Dextrorsus Io eidem sculpta videbatur, quæ cum prope Gazam e navi descendisset, *Ionis* nomen oppido dedit, uti tradit Stephanus, qui de urbe Gaza scribit: ἐκλήθη δὲ καὶ ΙΩΝΗ, ἐκ τῆς ἰῶς προσπλευσάσης, καὶ μενώσης ἐκεί: *Appellata vero est & Ione, propterea quod illuc Io adnavigaverit, ibique morata fuerit.* Vti vero Marna Gazensium tutelare Numen in ipsorum nummis scalpebatur, ita Io eisdem adorata, in nummis exprimebatur. Quamvis vero Græce ΙΩ scribatur, Gazenses priorem literam cum diphthongo EI efferebant, ac proinde in nummo retro figuram ejus-

dem legitur ΕΙΩ. In nummis promiscue legimus: ANTONINOC & ANTONEINOC, ΦΑΥΚΤΙΝΑ & ΦΑΥΚΤΕΙΝΑ, cujusmodi alia exempla videtis apud Spanhemium pagina 907. In Græco epigrammate Gruteri pag. 75, ΙΕΙCΙΑΙ pro ΙCΙΑΙ legitur, quæ Aegyptiorum Dea. Plurima id genus habes in cap. 19 indicis Operis ejusdem Gruteri. Hæc laudati Salvini interpretationem illustrant, quam me hic semet nesciente inferuisse haud ægre ferret vir, quem doctrinæ excellentia, morum nitor, ac quod rarum est, in multa eruditione modestia ac humanitas domi forisque etiam atque etiam commendant. Porro in inferiori parte hujusce Gazensium nummi legitur: Δ ΕΠΙ ΓΥΡ, *anno quarto*, Epochæ Gazensium *centesimo nonagesimo tertio*, qui initium cepit die 28 Octobris A. V. Romæ 885, ac decimo sexto imperii Hadriani, qui in anteriori parte obsignatur.

Denique tertius nummus dextrosus sculptus, est Antonini Pii cum epigraphe: ΑΙΑ. ΑΔΡΙΑΝΟC ΑΝΤΩΝ.. *Aelius Hadrianus Antoninus*, & in averſa parte cum capite velato ac turrato urbis: ΓΑΖΑ. ΖC. *Gaza. Anno ducentesimo septimo*; qui iniiit eadem die Octobris A. V. Romæ 899, imperii autem Antonini Pii anno IX. Alius in Cimeliis Mediceis visitur ejusdem Principis nummus, in cõjus antica parte tantum legitur: ANTONEIN.. in posteriori vero cum eodem capite velato ac turrato: ΓΑΖΑ ΓC, *Gaza. Anno ducentesimo tertio*, qui cõepit per autumnum A. V. Romæ 895 eodemque quinto imperii Antonini Pii. Rursus in alio nummo regiæ Gazæ cum capite ejusdem Pii, retrorsus cum figura muliebri turrata ac stante legitur: ΓΑΖΑ. ΑΙC. *Gaza. Anno CCXI*, qui initium duxit ab autumnno A. V. Romæ 903. Denique aliud Antonini Pii numisma in indice Thesauri Mauroceni pagina 123 recitat Patinus cum epigraphe: ΓΑΖΑ ΘC. *Gaza. Anno CCIX*, qui cõepit A. V. Romæ 901, undecimo principatus Antonini Pii. Cum vero in tot hujus Augusti nummis nusquam sculptæ appareant notæ numerales, quæ in nummis decessoris Hadriani annis Epochæ Gazensium præponebantur, patet illas cum ejusdem vitæ exitu defuisse, ac proinde in gratiam tantum Hadriani ob collata Gazæ beneficia scalptas fuisse.

Extat

Extat in eodem regio Galliz Museo M. Antonini Caracallæ nummus hinc inscriptus: ATT. K. M. ATPH. ANTONEINOC, *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus*, cum juvenili capite ejusdem laureato; illinc vero cum Diana & Marna, ut in delineatis nummis, in templo distylo: ΓΑΖΑ ΘΝC. *Gaza. Anno CCLIX.* Nummi typum ichthyocola expressum ab erudito regii Cimeliarchii custode Petro Rainssantio accepi, in quo videtur sculptum APH, pro ATPH; sed prioris literæ A linea sinistrorsus oblique cadens cum proxima litera P inferius fere jungitur, ut utrimque Y compendiarie resultet. Est insigne hujusce nummi testimonium ad ostendendam Epocham Gazensium anno urbis Romæ 691 usque ad exitum Decembris, posteriorem. Nam Antoninus Caracalla titulos *Imperatoris & Augusti* a Severo patre accepit ante mensem Aprilem A. V. a parilibus 951, ut ostendi in Dissertatione de votis Decennalibus cap. 4. Joseph Suarez Episcopus Vasionensis in comment. de Arcu Septimii Severi, & ex eodem Sponius sect. V Miscell. pag. 158 hanc Anagninæ dicatam Inscriptionem laudant:


IMP. CAES. L. SEPTIMI. PII. PERTINACIS
AVG. ARAB. ADIABENICI. PARTHICI. MAXIMI
FORTISSIMI. FELICISSIMI. P. P. FILIO. M. AVRELIO
ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. TRIBVNIC. POTEST
III. COS. PRO. COS. S. P. Q. ANAGNINVS

Præterea apud Comitum Mediobarbum in Occoniano auctario pag. 286 nummus Caracallæ producitur cum epigraphe: M. AVREL. ANTONINVS PIVS AVG. PONTIF. & in averfa parte: TR. P. III. COS. DES. Cum in hoc nummo Antoninus inscribatur *Consul designatus*, idem sculptus fuit A. V. Romæ 954, Christi 201, cum anno insequenti consulatum cum patre gesserit, quo anno in laudato epigrammate dicitur CONSVL. Rursus cum idem anno Christi 201 ac 202 vocetur TRIB. POT. III; consequens fit, ut anno Christi 198, urbis Romæ a parilibus 951, idem Antoninus Tribuniciam potestatem cum Augusteo imperio a Septimio patre receperit. Jam vero si Epocha Gazensium initium duxisset ab autumno A. V. Romæ 691 quo Cicero Consul fuit, ut Scaliger

ac

ac Harduinus opinati sunt, annus ejusdem *Æræ* CCLIX, in Antonini nummo apud Gazam scalpro signatus, exiisset die 27 Octobris A.V. Romæ 950, Christi 197, quum id temporis Antoninus nondum titulos *Imperatoris & Augusti* a patre tulisset; siquidem eosdem annis tantum proxime insequenti accepit, ut laudatæ Inscriptiones lapidis ac nummi luculenter ostendunt.

Quæ hæcenus de initio Epochæ Gazensium demonstrata sunt, in dubium revocare videtur *Faustina matris nummus*, ut ait Spanhemius pag. 870 laudatissimi voluminis de præst. & usu Numismatum. Nam idem nummus in Cimeliis Reginæ Christianæ in averfa parte signatur: ΓΑΖΑ ΘΚC. *Gaza. Anno CCXXIX.* Faustina senior, Antonini Pii uxor, obiit ex Capitolino cap. 6 de vita Antonini Pii, anno tertio imperii ejusdem, qui exiit mense Julio A. V. 894, a quo anno retro numerantes annos 229 in Faustinae nummo scalptos, deveniemus ad A.V. Romæ 665, ac proinde Epochæ Gazensium viginti & octo annis antiquior statuenda esset. Hinc vir doctissimus dubitat, num illæ literæ ΘΚC alio referendæ sint quam ad aliquam Epocham indicandam; an vero reapse sita in regio nummo signatæ sint. Cum non possem hac de re judicium ferre, nisi clariori ejus nummi notitia comparata, ejusdem typum ab augusta Regina petivi, quem Joannis Petri Bellorii, viri editis voluminibus Orbi Literario notissimi, industria tum accurate delineatum, tum etiam sulphure expressum accepi, eumque in ære incisum exhibeo.



In antica parte non una Faustina, sed duæ Augustæ scalptæ apparent, quarum altera sinistrorsus expressa ex proxima Inscriptione

Φ Α Τ -

FAUSTINA, *Faustina* esse intelligitur. Huic adversa imago Luellam representat ejusdem Faustinae ac M. Aurelii Augusti filiam, eandemque Imperatoris L. Veri uxorem. Nomen quidem illius fere detritum est, sed priores ejusdem literarum Λ O T, & postea altera Λ haud obscure videntur. Quod in summitate capitis Faustinae sive sculpturae defectu, sive cujusplam ætuscatoris ignava arte, quaedam cavitas in gyrum ducta apparet, exuberans ille crinium circulus, qui in vertice Faustinae matris visitur, primo aspectu ab Antiquariis putatus est; unde & seniori Faustinae nummum perperam deputarunt. Rem extra dubium ponit alter utriusque, pariter Augustae nummus, qui in regio Galliae Cimeliarchio servatur, cujus descriptionem ab eruditissimo Toinardo mihi transmissam adpono: ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ ΛΟΥΚΙΑΛΛΑ CEB. *Faustina, Lucilla Augusta*, cum utriusque capitibus; & in averſa parte: ΡΑΖΑ ΗΚΚ. *Gaza. Anno CCXXVIII*, qui coepit ab autumno A. V. Romae 920, Christi 167. Et quidem Epòcha Gazensium in delineato ex Reginae Cimeliis numismate, cum clare exprimitur ΗΚΚ, annum proximum Gazae CCXXIX notat, qui iniit ab autumno A. V. Romae 921, Christi 168. In area nummi visitur Diana venatrix eo plane habitu, quo a Claudiano lib. 2 de raptu Proserpinae hinc describitur:

*Brachia nuda nitent, levibus projecerat auris
Indociles errare comas; arcuque remisso,
Ocia nervus agit: pendent post terga sagittae.
Crispatur gemino vestis Cortynia cinctu
Poplite fusa tenus.*

Cervus qui pone pedes Dianae cernitur, eidem Deae sacratus erat. Idem Claudianus in panegyri III de Stilichone, fingens Dianam, per aera vectam, ait:

*- - - cervi currum subiere jugales,
Quos decus esse Dea primi sub lamine caeli
Roscida secundis concepit Luna cavernis.*

Cum Sertorius cervam in castris aleret, barbaris Lusitanis dicebat eandem sibi oblatam divinitus, & instructam Diana numine, colloqui secum, monereque & docere quae utilia factu essent. Gellii ver-

ba sunt lib. 15 cap. 22, quæ pariter prodit Plutarchus in Sertorio. Hæc obvia ac trita sunt, nec erudito Lectori cum temporis jactura ingerenda.

CAPVT IV. EPOCHAE ASCALONIS AC RAPHLAE EXPONVNTVR.

EPocham Gazensium præmissi, quod illorum anni ac mensium cum Romanis mensibus comparatio ex Marco Gazensi Diacono certis characteribus colligebatur. In præsentia Ascalonis ac Raphiæ, quas inter Gaza sita, Eras exponam. Antoninus in Itinerario Cæsarea Palæstinæ Jamniam usque numerat M. P. LII. Jamnia vero

<i>Ascalonem</i>	M. P. XX.
<i>Gazam</i>	M. P. XVI.
<i>Raphiam</i>	M. P. XXII.
<i>Rhinocorura</i>	M. P. XXII.

Itaque ad proximam utramque Gaze urbem stylum convertam, ut diversas earundem Epochas explicem. Quamvis autem incompertum sit qualem anniformam Ascalonitæ ac Raphiotæ servarent; sit tamen satis probabile, eosdem cum finitimis Gazensibus in mensibus disponendis convenisse, ac proinde habuisse omnes menses tricenarios cum diebus Epagomenarum in exitu anni, quem & ipsi ritu Syromacedonum ab autumno inchoabant. Galenus in comment. ad lib. 1 Epidemior. Hippocratis, cum dixisset Macedonas ac Asiaticos proconsulares annum Solarem servare, ait: *Uti vero Palæstini computant, duodecim menses efficiunt dies trescentos quinquagenos quaternos*; ubi tradit Palæstinos annos Lunares adhibere. Verum eo nomine Judæos intelligit, quorum regio cetetarum in Palæstina celeberrima, ipsaque gens toto passim Orbe sparsa erat. At Syromacedones Palæstinos anno Solari usos quæ de anno Gazensium proxime scripsi, manifeste demonstrant.

§. I.

EPOCHA ASCALONIS.

Ascalonis vetustas ex sacris literis. Reges ibidem. Epochæ ejusdem caput A.V. Roma 650. Hoc ex vetustis Scriptoribus ac nummis Ascalonitarum demonstratur. Derecto ibidem culta monstrofi corporis. Apnus ab autumno ibi inchoatus. Origo novæ Epochæ ostenditur. Herodes Rex Judæorum Ascalonita vulgo dictus. Eiusdem erga Ascalonem munificentia.

VRbium vetustissimarum initia ad Heroas fictis fabulis vulgo Græci scriptores retulerunt. Xanthus qui Lydorum res in literas misit, ac Nicolaus Damascenus, qui totius Orbis historias in plures librorum decadas digestas Herodi Judæorum regi nuncupavit, scribunt apud Stephanum de Urbibus, Ascalum alterum Hymenæi filium ab Aciamo Lydorum rege cum exercitu in Syriam missum, virginis amore captum, urbem ibidem condidisse, quam de sui ipsius nomine Ascalonem nuncupavit. Verum fabulosis, aut fabulis proximis Ascalonis primordiis omissis, ex Sacris literis ejusdem urbis antiquitas demonstratur. Nam Josue cap. XIII, 3 legitur: *Terra Chanaan quæ in quinque regulos Philistiim dividitur, Gazaos, & Azotios, Ascalonitas, Getbaos, & Accaronitas.* Quare Ascalo annis ante Epocham Christi 1500 & quod excurrit, suo Principi parebat, eratque una ex quinque satrapiis Philistinorum, uti diserte legitur i Regum VI, 17. Post obitum Josue, ejus successor Judas Ascalonem cepit ex cap. i lib. Judicum, sed paulo post Judæi eandem amiserunt; id ita volente Deo, cujus rei ratio redditur ibidem initio cap. 2. S. Hieronymo in lib. de locis Hebr. dicitur *Ascalon urbs nobilis Palestina, quæ & ipsa antiquitus una fuit de quinque Satrapiis Philistinorum.* In cap. i Amos 8 legitur: *Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone.* Quæ Dei comminationes recitantur etiam in cap. 9 Zachariæ vers. 5. Justinus lib. 18 Sidonios ante Trojam incensam a rege Ascaloniorum expugnatos memorat. Verum Ascalo cum in Assyriorum ac dein Persarum ditionem venisset, una cum universa Syria ab Alexandro capta, post ejusdem obitum, a Ptolemæo Lagi Aegyptiorum

regno adjecta fuit. Ascalonem Ptolemæo Evergeti subditam fuisse tradit Josephus lib. 12 cap. 4, quam tandem Antiochus Magnus cum reliqua Palæstina Ptolemæis ablatam ad regem Syriæ imperium transtulit. Cum verò inter Alexandrum qui Antiochum Epiphanem patrem jactabat, cujus filius appellatur initio cap. 10 lib. 1 Maccabæorum, ac Demetrium Demetrii Soteris filium, de regno Syriæ bellum exarsisset circa A. V. Romæ 607, Ascalonitæ res suas citra partium studia curarunt. Nam cum Jonathan adversus Apollonium præfectum Demetrii regis in Coele Syria, proximisque oppidis, expeditionem suscepisset, Joppen occupavit ac Azotum, quam etiam cum templo Dogon incendit; inde verò motis castris, ut legitur 1 Maccab. cap. X, 86, *applicuit eam Ascalonem, & exierunt de civitate obviam illi in magna gloria. Et reversus est Jonathan in Hierusalem cum suis &c.* Rursus idem Jonathan honorifice ab Ascalonitis exceptus dicitur ibidem cap. XI, 90. Hinc cum Judæi Joppen ac Gazam proximas Ascaloni urbes tenerent ex lib. 1. Macc. cap. XV, 28, nunquam tamen, ruente licet regno Seleucidarum, Ascalonem armis invadere tentarunt. Josepho loco modo laudato dicitur Ascalo *Judeis semper invasa, eademque validissimo muro praeincta.* Alexander Jannæus Judæorum rex Gazam, Anthedonem, Raphiam, & Azotum subegit, nusquam tamen memoratur Ascalonem mediam inter easdem urbem expugnasse. Erat teste Strabone lib. 16 urbs non magna, ac situ adeo depresso condita, ut veluti in fovea jacere videretur, uti scribit Vuillelmus Tyrius lib. 17 de bello sacro cap. 22, ubi eandem civitatem describit, *qua per annos, inquit, quinquaginta & amplius post captam Hierusalem, nostris resistebat*, quousque Balduino regi anno Christi 1154 die 12 Augusti post semestrem obsidum a Saracenis eandem incolentibus dedita fuit.

Epocha Ascalonitarum in Chronicis Eusebii & Alexandrino recitatur, eademque in pluribus illorum nummis obsignata est; quamvis ejusdem caput a diversis annis viri eruditi deduxerunt. Scaliger enim in notis Eusebianis num. 2293 tradit *Æram* Ascalonis cœpisse anno secundo Olympiadis CLXIX, qui fuit urbis Romæ 651, C. Mario Nepote III, L. Aurelio Oreste Coss. ubi

cr.

errore vulgari Mario *Nepotis* cognomen attribuit, uti pluribus ostendit a p. 20 Epistolæ Consularis ad amicum meum V. C. Antonium Pagy. Spanhemius Diss. IX p. 868 scribit Epocham Ascalonis initam Mario II & Fimbria Coss. vel anno sequenti Mario III & L. Aurelio Oreste Coss. *sen annis*, inquit, *ante Aetam Christi* Cl. Denique Joannes Harduinus pag. 78 sæpius mihi appellati voluminis scribit de eadem Era: *cœpisse necesse est A. V. DCLII, C. Mario IV, 2. Lutatia Catulo Coss.* Hi tamen Scriptores tardius laudatam Epocham inchoarunt. Nam Eusebius in Chronico ad annum primum Olympiadis CCLXIV comparat alterum annum Probi cum diversis annis variarum gentium; ibi autem secundus annus ejus Principis dicitur *Ante Ascalonitas trecentessimus octogessimus*. Jam vero superius Dissert. 2 cap. 3 § 1 invictis argumentis demonstratum mihi est, annum alterum imperii Probi componi cum anno primo Olympiadis 264, V. C. 1030, Christi Domini 277, Probo Augusto ac M. Aurelio Paulino Coss. Quare cum hic annus dicatur ab Eusebio Ascalonitarum 380, si per totidem hosce annos ab A. V. 1030 retro numeremus, veniemus ad A. V. Romæ 650, quo per autumnum cœpit annus primus Epochæ Ascalonitarum, C. Mario II, C. Flavio Fimbria Coss. Periodi Julianæ 4610, Cyclo Solis XVIII, Lunæ XII. Quod autem V. C. Harduinus appellata proxime pagina scribit annum secundum Probi fuisse ab urbe Roma cœndita 1031, pluribus in Dissert. 2 confutatum est; nec vacat seram per eandem lineam reciprocare. Auctor vero vetustus Chronici Alexandrini ad annum primum Olympiadis CLXIX scribit: *Ascalonita hinc sua tempora numerant*. Hoc ipsum ex nummis evincitur, ut mox apparebit. Extant in Museo Mediceo, ex collectione Cardinalis Leopoldi, bina hæc Ascalonitarum numismata.



In

In neutro nummo nomina Imperatorum scalpita sunt, & quamvis iidem sint optime conservati, Ascalonitæ monetarii tam rudi arte utriusque Principis vultus scalpservunt, ut eorundem imagines neutrum plane expriment. Symbola retrorsus obsignata inferius expono. In priori nummo, qui est Cæsaris Augusti, legitur CEB. *Augustus*; & in averſa parte: A C K A A Q. TIT. *Ascalo. Anno CXIII*, qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 762, C. Poppæo Sabino, Q. Sulpicio Camerino Consulibus. Alter nummus est Imperatoris Domitiani cum eodem *Augusti* titulo. In postica parte legitur: A C K A. . . P. *Ascalo Anno CXC*, qui iniit ab autumno A. V. Romæ 839 ac cum sexto imperii Domitiani concurrat. His addo binos nummos e regia Galliarum Gaza, cujus iconem Ichthyocola expressas accepi ab humanissimo æque ac erudito viro Petro Rainſantio, regii Cimeliarchii nummarii Custode.



Utrumque nummum insignes Antiquarii dudum vulgarunt; sed Epochas omiserunt. Prior est Neronis cum epigraphæ CEBAC. TITOC, *Augustus*. Retrorsus vero legitur: A C K A A Q, *Ascalo*; cui addenda Epochæ aliis aut neglecta, aut non visa, AOP, *Anno CLXXI*. Alter nummus est Titi, ut ex inscriptione TITOC CEBAC. *Titus Augustus*, apparet. In postica parte cum eodem symbolo ac nomine urbis legitur Epochæ B TIT, *Anno CLXXXII*, quam æram omifere Tristanus pag. 304, Patinus pag. 151. Eo autem symbolo mulieris turrizæ, quæ in Ascalonitarum nummis passim visitur, ipsamet urbs Ascalo designatur cum rostris navium. Diodorus Siculus lib. 2 narrat Dercetum partus pudore suffusam, puellam, quam invidia Veneris, Deæ sibi iratæ, conceperat, in deserto quopiam loco exposuisse; columbas vero lacte primum, dein caco

feo ex pastorum attegiis rostro deportatis ac in os puellæ instillatis eandem pavisse, quousque pastores, re ex corrosis cascis observata, infantem formæ decore insignem repertam, cuidam Simmæ pecudum ductori tradiderunt, *qui abs se adoptata Semiramidis nomen imposuit, Syrorum lingua a columbis derivatum, quas Syrorum exinde natio ut Deas perpetuo veneratur.* De etymologia nominis Semiramidis videlicet Bochartum lib. 2 part. 2 Geogr. sacræ cap. 11 pag. 281. Dercetum vero in lacum Ascaloni proximum, semet misisse, ac insigne templum ab Ascalonitis eidem dicatum tradit ibidem Diodorus, cujus verba mox dabimus. Philo Hebræorum Plato, apud Eusebium lib. 8 de præpar. Evang. cap. 5 narrat se, cum Hierosolyma sacrificandi causa pergeret, Ascalonem venisse, ubi scribit: *magnam columbarum multitudinem videns, admirabar; interrogantique mihi, quamobrem ea ades omnia pene loca illa occupassent, responsum fuit lege apud eos columbarum esum esse prohibitum;* ne videlicet Deos suos devorare viderentur. Hinc patet cur in Ascalonitarum nummis columba obsignata fuerit. Sed his omissis, utriusque nummi regii Epochæ considerandæ sunt. In nummo Neronis, cujus imaginem, uti & aliorum Cæsarum, rudiori Monetariorum arte sculptam videmus, signatur annus Ascalonitarum CLXXI. Cum vero hæc Æra inchoata fuerit per autumnum A. V. Romæ 650, annus abhinc 171 cœpit ab autumno A. V. 820, Christi 67, ac decimo quarto eodemque postremo imperii Neronis, qui initium habuit die 13 Octobris ejusdem anni. Ex hoc autem numismate refelluntur memorati superius Scriptores, qui Epocham Ascalonis post A. V. 650 deducebant; siquidem juxta illorum opiniones annus ibi sculptus 171 cum imperio Galbæ, aut Vespasiani concurreret; Nero enim semet interfecit A. V. 821, die decima Junii. In altero nummo Titi legitur annus Ascalonis ВПР, CLXXXII, quem annorum numerum, si deducas ab A. V. 650, annus 182 definit per autumnum A. V. 632, quo Titus die 24 Junii demortuo Vespasiano patri successit. Ex hoc etiam nummo colligimus annum apud Ascalonitas non cœpisse a verna tempestate; siquidem annus eorundem CLXXXII exiisset, priusquam Titus, mortuo patre, Augusti titulum accepisset.

pisset. Exstat hic idem nummus Bononiæ in Museo Pollacio, ut vir harumce rerum peritissimus Josephus Magnavacca mihi per literas significavit, misso etiam ectypo ejusdem nummi, in cujus parte anteriori cum laureato capite Imperatoris legitur CEBAC, & retro caput sola litera T apparet, aliis prorsus detritis. At non TITOC, sed tantum TOC ultima scilicet syllaba vocis CEBAC ex adverso scalptæ legendum esse, cetera ejusdem Ascalonis numismata persuadent, in quibus propriis Imperatorum nominibus passim omissis, quilibet Cæsar communi tantum titulo CEBACTOC, *Augustus* nuncupatur, quorum tamen imagines ob sculptorum Ascalonitarum imperitiam, alios quoque potius quam ipsos Augustos repræsentant. Hinc illi ex annis notatæ in iisdem nummis Epochæ designandi sunt. Quare cum in eo numismate Musei Pollacii, teste laudato Magnavacca, signetur Epochæ ΒΠΡ, *Annus* CLXXXII hic desiit sub autumnum A.V. Romæ 832, quo Titus Vespasianus patri, die 23 Junii defuncto, Augustus successerat. Bina hic adjiciam numismata ex ditissimis Regis Christianissimi. Cimieliis.



Priorem nummum cum epigrapha CEBACTOC *Imperator*, Claudio adscribendum prodit Epochæ 5NP, nempe: *Ascalo. Anno* CLVI, qui coepit per autumnum A.V. Romæ 805 ac duodecimo principatus Claudii Augusti. Harduinus pag. 78 notat Epocham 5MP, decennio minorem, quam sit in eodem nummo. Prior litera nota numeri senarii formatur ut alia in Inscriptione Athletica Romana, quam figuravi pag. 88 Epistolæ Consularis; est enim litera r inferius sinuata. Hinc factum est, ut Latini posteriori ætate numerum VI litera G exprimerent, & ea pariter inferius sinuata, uti patet in Cyclo Ravennate, quem huic operi postea adjicio;

jicio ; itemque in nummis Justini II & successorum apud doctissimum Comitem Mediobarbum in insigni Auctario Oconiano pag. 571, 574 & sequentibus. Alteri nummo pretium addit nomen præter morem, Imperatoris Severi ibidem sculptum, nempe: A.K.A.C. CEOTH. *Imperator Caesar Lucius Septimius Severus*; & retrorsus: A K A A Ω. A T. *Ascalo. Anno CCCI*, qui cœpit ab autumno A. V. 950 ac quinto imperii Severi. In hoc nummo Derceto diverso situ exprimitur, ac in altero Elagabali, quem pag. 433 exhibui, ac præterea Venus celestis dextera tenet columbam, cum in altero typo coronam præferat. Harduinus in *Addendis* pag. 568 de illo regio Severi nummo scribit: *Palladem is præfert cum noctua*; cum reapse Venerem prodat cum columba, quæ A-
scalonitis sacra erat. In eadem Regia Galliarum Gaza bini servantur nummi Ascalonitarum eadem Epochâ notati Θ Π Ρ, *Anno CLXXXIX*, qui in Regio indice Cimeliarchii Tiro Augusto adscribuntur, quamvis antè *CEBACTOC Augustus* tantum legatur. Verum utrumque nummum non ad Titum, sed ad Domitianum pertinere, clare demonstrat laudatum proxime numisma Imperatoris Severi. Nam cum Titus biennii imperium cum vita finiverit A. V. Romæ 834, Christi 81, die 13 Septembris, si annus ille fuisset Ascalonitarum Θ Π Ρ, 189, additis annis insuper 112, fit annus A T, 301 in Severi nummo signatus, qui exisset sub autumnum A. V. Romæ 946, Christi 193, Sosio Falcone II & Erucio Claro Coss. mense sexto occupati a Severo in Occidente imperii. At id temporis in Oriente Pescennius Niger imperabat, & anno etiam sequenti ibidem rerum potitus est; unde Ascalonitæ neutiquam ausi fuissent æmuli Principis Severi imagine nummos obsignare. Cum ergo nummum Mediceum Ascalone percussum cum Epochâ 4 P, 190 Domitiano adscribendum esse monstraverim, ad eundem quoque referendi sunt Regii nummi annum proxime superiorem præferentes Θ Π Ρ, 189; id enim evincit initium ejus Epochæ ab Eusebio in eadem Palæstina Episcopo ac historico insigni indicatum. Illustrissimus Spanhemius pag. 868 nummum laudat e Cimeliis Principis Durlacensis, in anteriori parte inscriptum: *CEBACTOC, Augustus*; in posteriori legitur: A K A -

ΑΝΝΙΤ.. & in area ΔΠ.. *Ascalonitarum. Anno.. LXXXIV.* Recte observat postremam literam P eidem Epochæ deesse, qua annus centesimus designatur, ita ut ibi legendum sit: *Anno CLXXXIV.* Hinc tamen infert eum nummum non esse Titi, sed potius Domitiani, cui etiam Harduinus pag. 78 eundem nummum attribuit, *qui, inquit, Tito vulgo adscribitur.* Ex semel perperam statuto capite Æræ Ascalonis, coguntur unius Principis nummos alteri pro arbitrio affingere. Cum illa Epochæ inierit ab autumno A.V. 650, annus abhinc 184 coepit ab autumno A.V. 833, Tito usque ad Septembrem anni Urbis insequentis 834 superstite. Interim binis hisce nummis Tititāquam clavis trabalibus caput Æræ Ascalonis figuratur in toties memorato A.V. Romæ 650. His autem alios nummos adjicio.



Prior nummus, cujus posticam tantum partem a V. C. Andrea Morellio delineatam accepi, in Gaza Regis Christianissimi custoditur, estque Antonini Pii cum anteriori epigraphe: *ANTONINOC KAI.. Antoninus Caesar*, reliquis literis detritis. In posteriori vero parte legitur: *ΑΚΚΑΔΩ*, & in area *ΒΖC*, id est, *Ascala. Anno CCLXII*, qui coepit ab autumno A.V. Romæ 911, vicesimo primo imperii Antonini Pii. Neptunus cum Delphino ac tridente Ascalonem maritimam urbem designat; de qua tamen Vuillelmus Tyrius lib. 17 de bello sacro cap. 22 scribit: *Hæc autem civitas, situ maris nullam præbente aptitudinem, portum vel aliquam tutam navibus non habet, nec habuit stationem.* Verum uti Gazenses, qui viginti a mari stadiis distabant, navale in proximo litore habebant;

bant; ita suum quoque navale Ascalonitas habuisse ex Ecclesiasticis monumentis mihi videor colligere. Sozomenus lib. 2 cap. 4 laudat *navale urbis Gaza*, quod Maiumam appellant &c. Maiumam vero Syriace aquam significare tradit Gothofredus in notis ad L. 2 de *Maiuma* lib. 15 Cod. Theodosiani. At Ascalonitas suam quoque in vicino litore *Maiumam* habuisse, non obscure deduco ex Synodo Hierosolymitana sub Joanne Patriarcha, inserta Actioni V Synodi C-P. sub Menna, ubi inter Palæstinæ Episcopos recensentur Cyrillus Gazensium, & Procopius *Maiuma Gaza*; itemque Antonius *Ascalonis*, & Stephanus *Episcopus Maiuma Ascalonis*. Quare Ascalo in proxima ora maritima suum habuit navale. Sed cum Neptunum etiam maritimæ civitates importuoso in litore sitæ coluerint, haud vacat portum Ascalonitarum curiosius inquirere. Harduinus ex indice viri celeberrimi profert nummum Faustinae junioris in averfa parte inscriptum: A C K A A. B Z C; ubi notat literas numerales in mendo cubare, ac reponendam Epocham EZC, nempe: *Ascalonitarum. Anno CCLXV. Marci Aurelii, cujus Faustina conjux, tertio; Urbis Romæ DCCCCXVI.* Hic nummus eodem anno scalptus est, quo proxime expositus Antonini Pii. Nam uti media litera numeralis Z erronee ibidem posita fuit pro litera Z; ita perperam Harduinus priorem quoque B in E mutandam contendit; siquidem Faustina junior, supposita patre Antonino Pio, Augusta dicebatur, cum ejusdem maritus M. Aurelius esset tantum Cæsar, quod ex lapidum ac nummorum inscriptionibus capite proximo demonstrabo, cum de Epocha Neapoleos in Samaria disputationem instituam. Quare eo in nummo Faustinae legendum est B Z C, *anno CCLXII*, qui cœpit per autumnum A. V. 911, Christi Domini 158, eodemque XXI imperii Antonini Pii.

Alterum numisma servatur in ditissimo Cimeliarchio Illustrissimi Comitis Joannis de Lazara, Patricii Patavini, qui uti est officiosissimus, ejusdem ad me typum transmisit. In antica parte inscriptio Latine redditur: *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus*. In averfa legitur: A C K A A Ω. A K T. *Ascalo. Anno CCCXXI.* Est nummus M. Antonini Elagabali. In eadem vero

parte postica Semiramis regina Assyriorum cum matre ipsius Derceto scalpata est. Fabulam narrat Diodorus Siculus lib. 2. *Est, inquit, in Syria urbs Ascalon, a qua non procul ingens & profundus lacus piscium copia abundans, & in vicinia illustris Dea templum, qua Derceto Syris vocatur: facie mulierem, & toto alias corpore piscem refertens*; additque ex Derceto ac Syro juvene natam Semiramidem Assyriorum reginam. Ovidius lib. 4 Met. V, 43 ait:

- - De te Babylonia narret

Derceti; quam versa squamis velantibus artus

Stagna Palestini credunt coluisse figura.

Plura de Derceto congerit Sekdenus in Syntagm. II de Diis Syriæ cap. 3. Lucianus ubi de Dea Syria, describens insigne quoddam templum in Syria, ait plerosque arbitrari Semiramidem illud dicasse *matri suæ, cui Dercete nomen. Dercetus autem imaginem in Phœnicia vidi, spectaculum plane peregrinum, altera quidem parte mulierem; altera vero quantum a femoribus ad imos pedes protenditur, in piscis caudam desinentem.* Hocce monstrum uti Deum Ascalonitæ in templis adorantes, illius etiam imagine nummos suos obsignabant. Figura quæ super Dercetum stat, Semiramidem illius filiam præfert, Nini regis Assyriorum uxorem; unde & sinistra coronam tenet; vel ipsa fortasse Venus exprimitur, quæ Cœlestis cognomine vocabatur, de qua Pausanias in Atticis scribit, uti observat V. C. Harduinus pag. 77: *Veneris Cœlestis delubrum: hanc primi hominum Assyrii coluerunt: a quibus Paphii in Cypro acceptum sacrorum ritum cum Phœnicibus qui in Palestina Ascalonem urbem incolunt: Phœnices cum Cytheriis communicarunt.*

In eodem autem nummo signatur annus Epochæ Ascalonis AKT, CCCXXI, qui exiit A. V. Romæ nongentesimo septuagesimo primo, quo Elagabalus superato, deinde occiso Macrino, imperium obtinuit. Hinc iterum patet annos apud Ascalonitas non verno, sed cum ceteris Syris, autumnali tempore inchoatos fuisse. Nam si annus primus laudatæ Epochæ cœpisset verna tempestate A. V. 650 a parilibus, annus inde CCCXXI exiisset vere anni urbis Romæ 971, Christi 218, Macrino adhuc imperante. Nam hoc anno Antoninus Elagabalus, uti narrat Dio, ab Eurychia-

chiano Cafariano liberto in castra *die decima sexta Maji* clam introductus, a militibus Imperator primum designatus fuit. Itaque nummus laudatus ab Aſcalonitis percussus fuit intra quatuor priores menses imperii ab Antonino Elagabalo recens in Syria occupati; ac proinde annus eorundem ab autumno initium sumebat. Ex eodem præclaro nummo colligimus Epocham Aſcalonis non posse inchoari ante A. V. 650, alias annus ibidem signatus 321 ante initum ab Elagabalo principatum exiisset. Cum vero ex nummis Titi apud Aſcalonem sculptis pateat ejusdem Epochæ initium non posse protrahi post A. V. 650, evidenter ex iisdem nummis demonstratur, caput ejus Æræ deducendum esse ab autumno A. V. 650, uti ex Eusebii Chronico & altero Alexandrino antea collegimus.

Jam vero remanet inquirendum, cur Aſcalonitæ eo anno Urbis Romæ 650, qui erat Æræ Seleucidarum 208, hac antiquata, novam Epocham instituerint? Id temporis in Syria partito imperio, duo uterini fratres Antiochi Grypus & Cyzicenus regnabant. Cum vero Cyzicenus, qui Cœlesyriam, Phœniciam, ac Palæstinam maritimam tenebat, victus ab Hyrcano Judæorum principe ac Pontifice, Samariam, Scythopolim, aliasque urbes amisisset, in contemptum non modo apud hostes, verum etiam apud subditos venit. Hinc Zoilus in Phœnicia rebellans, Stratonis turrim ac Dora occupaverat, Aristobulus laudati Hyrcani filius Judæorum primus amissum ante plura sæcula diadema cum regio titulo usurpavit, ac magnam Ituræ partem anno, quo tantum regnavit, Cyziceno ablatam, novo Judæorum regno adjecit. Huic vero succedens Alexander frater, motis in Phœniciam castris, Ptolemaidem obsedit. Cum vero obsessi nihil subsidii ab ipsorum rege Antiocho Cyziceno sperarent, Ptolemæi Lathuri, qui a Cleopatra matre Ægypti regno pulsus, Cyprum tenebat, opem implorarunt; qui cum instructissima classe in Phœniciam appellens, triginta armatorum millia ad Sycaminum exposuit, ac Ptolemenſes ipsum intra urbem cum copiis admittere recusantes, ex amico repentinus hostis obsedit, ibique parte exercitus relicta, cum ceteris copiis adversus Alexandrum Judæorum re-

gem movit, initoque prælio, eundem ingenti clade affectum, in fugam compulit. Lathurus hac insigni parta victoria, Judæorum ditione longe lateque vastata, Gazam ultronea civium deditione occupavit. Hæc fusius narrat Josephus lib. 13 a cap. 17 ad usque 21, quo postremo loco de regina matre Ptolemæi Lathuri scribit: *Porro Cleopatra videns augeri filii potentiam, subdit a Gazaorum urbe, & Judæorum regione impune pervasata, non permittendum duxit, ut ille magis cresceret.* Vsserius tom. 2 Ann. victoriam Ptolemæi Lathuri recitat anno Per. Julianæ 4610, qui fuit V. C. 650, quo Ascalonitæ novam Æram instituere. Itaque Ascalonitæ Antiochi Cyziceni imperio in Palæstina deficiente, ac universa provincia infestis Judæorum ac Ptolemæi Lathuri exercitibus infessa, patriam in libertatem vindicantes, eandem contra quamcunque exterorum vim muniverunt, ne ut proximi Gazenses, in Lathuri potestatem redigerentur. Quare ab anno partæ libertatis, ac regii juris excussi, Epocham inchoarunt, uti Judæi quoque fecisse dicuntur in lib. 1 Maccabæorum cap. XIII, 42. Et quidem cum Alexander Jannæus, Ptolemæo Lathuro in Cyprum recedente, prospero bellorum successu Cyziceni Antiochi vires attrivisset, ac maritimam Palæstinæ oram a Joppe ad Rhinocorura subjugasset, captis etiam Gaza, & Azoto urbibus, Ascalonem tamen, quæ medio inter utramque sitū erat, neutiquam occupavit, cum Josephus, qui adjectas ab Alexandro rege Judæorum regno civitates lib. 13 cap. 23 recenset, Ascalonem inter easdem non recitet; quod una Ascalo, universa Palæstina in Judæorum potestatem redacta, suorum civium prudentia ac virtute, peculiaris reipublicæ formam induxisset. Hinc factum est, ut Antipas Antipatri pater, ac regis Herodis avus, cum ab Alexandro Jannæo dux Idumææ impositus fuisset, amicitiam Ascalonitarum coluerit, ex Josepho lib. 14 cap. 2, ut si forte æmulorum invidia, regis Alexandri gratia excidisset, Ascalonem uti ad amicam urbem secedere posset. Julius Africanus auctor vetustus in epistola ad Aristidem apud Eusebium lib. 1 Hist. Eccles. cap. 6 tradit, regem Herodem fuisse filium Antipatri; huic vero Herodem quemdam Ascalonitam, unum ex numero servorum templi Apollinis, quod Ascalone est, pa-

patrem fuisse. Quæ pariter refert S. Epiphanius ad Hæresim XX quæ est Herodianorum. Vt ut de his sit, quod majores Herodis regis Ascalonem quandoque inhabitaverunt, idem vulgo *Ascalonitis* dictus est. Et sane cum illæ, Romanorum beneficio, Judæorum regnum obtinuisset, *apud Ascalonem Nymphaeæ sive lacus ornatissimos, & balneas, item peristylia tam opere quam magnitudine miranda*, extruxit, auctore Josepho lib. 1 belli cap. 16. Et Augustus cum demortui Herodis ditionem ac regium etiam patrimonium filiis ejusdem tripartito possidendum committeret, Salomi Herodis forori *edes regias apud Ascalonem*, uti idem Josephus scribit lib. 2 belli cap. 4, tradidit possidendas; quod sane regium palatium rex Herodes apud Ascalonem uti majorum suorum urbem patriam, aut saltem sibi amicam regiis impensis ædificaverat. Augustus delatum antea ab *se* Triumviratu Herodi regnum, nova urbem adjectione aucturus, maritima eidem oppida donavit, Stratonis turrim, quæ postea Cæsarea Palæstinæ dicta fuit, Joppem, Gazam, & Anthedonem, uti narrat Josephus lib. 15 capite 11. Ascalonem tamen, quæ in eodem tractu maritimo inter Joppem & Gazam jacebat, ab hac tantum M. P. XVI distans, memorato regi non tradidit, ne vetustæ ejus urbis libertati injuriam faceret. Gazam quidem Herodi concessit; quamvis hæc civitas a Pompejo autonomiam obtinuisset; sed quod hoc privilegium recentius erat, & ab hoste Julii Cæsaris collatum, non tanti ab Augusto factum fuit, quanti libertas urbis Ascalonis, quam cives obtinebant ante annos quadraginta prius quam Romanorum exercitus in Syriam penetrarent. Itaque maluit Augustus regnum Herodis, Ascalone urbe libera interposita, dividere, quam veterem Ascalonitarum autonomiam lædere; quam tamen urbem a regno suo separatam, Herodes plurium beneficiorum collatione, ut modo observavi, sibi devinxit. Hinc Plinio nostro inter Palæstinæ oppida lib. 5 cap. 13 *Ascalo liberum* nominatur.

§. II.

EPOCHÆ VRBIS RAPHIAE.

Raphia situs. Epochæ ejusdem Urbis anno a Roma condita 693 probabilis

bilis deducta ex nummo Commodi. Deorum superstitio distinctus ibidem retenta.

Raphia S. Hieronymo in com. ad cap. 9 Danielis dicitur *oppidum in foribus Aegypti*. Strabo lib. 16 ait: *Gazam sequitur Raphia, ubi Ptolemaeus IV cum Antiocho Magno conflixit*. Antoninus in Itinerario a Gaza Raphiam M. P. XXII numerat. Illud vero praelium Antiochi cum Ptolemæo Philopatore describit Polybius lib. 5 a pag. 422 edit. Casauboni, ubi de Raphia scribit: *Hæc Syria Cæles urbium prima occurrit post Rhinocorura, ex Aegypto venientibus*. Narrat Antiochum proelio victum, Raphiam ingressum, prima statim luce inde Gazam fugisse; ac Ptolemaeus, inquit, *Raphiam & ceteras urbes, ut ad quamque accesserat, recepit*. Verum hoc tandem bellum nuptiis Cleopatraz filiaz Antiochi cum Ptolemæo Epiphane Philopatoris filio compositum est, promissa dotis nomine, ab Antiocho *omni Cæle Syria & Judæa*, ut ait laudato loco Hieronymus. Idem vero Antiochus filiam sponsam Raphiam usque deduxit, ex Livio lib. 35, ubi, *Antiochus*, inquit, *rex ea hyeme Raphia in Phœnice Ptolemæo regi Aegypti filia in matrimonium data, cum Antiochiam se recepisset &c.* Hæc nuptiarum solemnia peracta sunt A. V. Romæ 560. Livius Raphiam in Phœnice locat, quam Polybius in Cæle Syria sitam dicit, quod a quibusdam Geographis Palæstina maritima pars Phœnices, ab aliis extrema pars Cæles Syriæ dicebatur. Herodotus lib. 7 scribit: *Hi Phœnices, ut ipsi memorant, quondam mare rubrum accolebant; illinc transgressi, maritima Syria habitant; & quicquid Aegypto tenus est, Palæstina vocatur*. Plinio lib. 5 cap. 13 in Palæstina recitantur *oppida Rhinocolura, & intus Rapheia*, quæ etiam in Palæstina a Ptolemæo lib. 5 nominatur. Josephus in fine lib. 5 de bello, describens iter Titi filii Vespasiani recens ad imperium evecti, ex Aegypto in Palæstinam, ait: *Hinc apud Rhinocorura requievit, & exinde progressus in quartam mansionem, Raphiam venit, quæ prima occurrit Syriæ civitas*. Ita Rhinocorura juxta Josephum ad Aegyptum pertinebant, ac Raphia erat urbs parum a mari distans, in confiniis Syriæ Palæstinæ versus Aegyptum. In vetustis etiam Notitiis urbium Imperii & Ecclesiarum Rhinocorura Aegypto attribuantur.

Epo-

Epocha Raphiæ in perraro numismate Gazæ Regis Christianissimi scalpita visitur, cujus hic typum exhibeo, quem Tristanus errata inscriptione dudum protulit tom. I pag. 733.



Est nummus Commodi, in quo ejusdem caput juvenile cernitur, epigraphe magna parte detrita; in ea tamen, quod est præcipuum, legitur KOMOΔΡC. *Comodus*, sine duplici litera M. In altera parte sculptum est: P A P H I A Z A C. *Raphia. An. CCXXXVII.* Dianæ venatricis effigies, eo in nummo scalpita, Raphiotas ejusdem Dæ cultores ostendit. Quanta autem obstinatione ac pervicitia Raphiotæ Idolorum superstitioni, Christiana jam religione ob Theodosii Augusti pietatem toto passim Romano Orbe florente, addicti fuerint, prodit Sozomenus lib. 7 cap. 15. *Adhuc autem, inquit, in quibusdam civitatibus pro templis suis alacriter pagani dimicabant; velut in Arabia Petrei, & Arcopolita, in Palestina Raphiota & Gazai &c.* Ex eodem nummo Raphia in penultima syllaba sine diphthongo scribenda est, uti etiam legitur in laudatis locis Polybii, Strabonis ac Josephi; quamvis Stephano scribatur Παφίας. In Concilio etiam Ephesino Act. I pag. 469 postremæ edit. Romanus Episcopus Παφίας; & in Synodica Petri Patriarchæ tom. 5 Concil. pag. 283 Epiphanius Antistes Παφίας leguntur. In altero tamen Concilio sub Joanne Hierosolymitano ante annos undeviginti idem Epiphanius Episcopus Παφίας legitur. Sed de ejusmodi varia orthographia plura superius pag. 500 notata sunt.

Joannes Harduinus pag. 418 scribit, Epocham Raphiæ a concessa

Uuu

cessa

cessa eidem urbi autonomia colligendam esse, nempe ab A. V. Romæ DCC, *quo a Crasso*, inquit, *id beneficium consecutos Raphiotas credimus*; unde ait: *Raphiotarum Aera decennio integro posterius statuenda est, quam Gazensium*. Hinc laudatum nummum, cuius putat A. V. Romæ 937, qui quintus Commodi Principis fuit. Hæc tamen V. C. opinio ex Josepho, ac ipsomet nummo refellitur. Etenim Josephus lib. 13 cap. 23 inter urbes finitimis ereptas, ac novo Judæorum regno ab Alexandro Jannæo adjectas, recitat *Gazam, Anthedona, Raphiam, Rbinocorura*. Quamvis vero lib. 14 cap. 8 non recenscat Raphiam inter urbes a Pompejo e Judæorum servitute vindicatas, ac libertate donatas; Raphia tamen hoc quoque beneficium cum ceteris oppidis accepit; siquidem cum dixisset Hierosolyma facta fuisse stipendiaria P. R. addit: *Urbes vero quas ejus cives subjugaverant in Cæle Syria, illis ademptas, jussit proprio parere presidio, & totam gentem prius elatam rebus prosperis, contraxit intra veteres terminos*. Quare cum Raphia & Anthedon extra veteres terminos Judææ fuerint, utramque pariter urbem Pompejus Judæis eripuit, cum Gazam & Azotum abstulerit, quæ oppida propiora erant Judææ confiniis; Raphia vero M. P. XXII supra Gazam esset, ac Ægypto proxima. Præterea idem Josephus eo libro 14 cap. 10 scribit Gabinium, qui ante Crassum Syriæ Proconsul fuit, cum provinciam lustraret, plerasque a Judæis devastatas urbes Græcanicas restaurandas jussisse: *Atque hoc pacto*, inquit, *instaurata sunt Samaria, Azotus, Scythopolis, Anthedon, Raphia, Dora, &c.* At Gabinius A. V. 697 Syriæ cum imperio præerat. Quare cum Raphia Gabinii jussu restaurata fuerit, ab illo potius tempore ejusdem urbis Epocha colligenda est, quam a Syriaco proconsulatu M. Crassi, cujus erga Raphiam beneficentia sine teste ac tabulis fingitur. Præterea in laudato Raphiæ nummo Commodus juvenili vultu ac imberbis sculptus visitur; cum tamen A. V. 937, ac quinto imperii post obitum patris, in nummis bene barbatus appareat, quod patrem imitatus, intonsa barba gravioris ætatis Principem simulabat. Itaque Epocha Raphiæ iniit antequam Crassus in Syriam veniret. Illam vero a donata primum Raphiotis a Pompejo libertate

tate deducendam censeo. Josephus libro 14 cap. 8, describens gesta Pompeji in Syria, ait: *Nam tum primum libertatem amisimus, subjecti Romanorum imperio, & regionem de Syris bello captam reddere ipsis coacti sumus.* Raphiam ergo ejusdem civibus reddere jussi sunt a Pompejo, uti Gazam aliasque Judææ proximiores urbes Syris, jussu Pompeji, restituerunt. Ceterum uti Gazenses suam Epocham A. V. 693 biennio, postquam a Pompejo a jugo servitutis Judæorum liberati fuerant, instituerunt, uti superius ostensum est, Raphia etiam, proxima Gazæ urbs, ab eodem pariter anno, finitimorum exemplo, novam Æram auspicata videtur. Hinc annus in nummo regio Commodi 237 exiit per autumnum A. V. 928, quo M. Aurelius cum L. Commodo Cæsare filio in Syriam transmisit. Si tamen in nummo integriori Raphiotarum, Commodus legatur cum titulis ART. & CEB. nempe *Imperatoris & Augusti*, Epocham Raphiæ colligenda est ab A. V. 697, quo Gabinius Syriæ Proconsul eam urbem restaurandam jussit. Quare annus 237 cœpisset ab autumno A. V. 933, ac primo imperii Commodi post obitum M. Aurelii patris, qui eodem anno Juliano die 16 Martii fatis concesserat, cum nondum Commodus cum barba in nummis foris haretur. Ex eadem regia Gaza Harduinus nummum Caracallæ producit in postica cum icone Apollinis inscriptum: ΠΑΦΙΑ. 53C. *Raphia. Anno CCLXVI.* Qui annus, Æra Raphiæ deducta ab A. V. 693, cœpit per autumnum A. V. 958, vel eadem numerata ab A. V. 697, iniit ab autumno A. V. 962, cum iisdem annis M. Antoninus Caracalla Augustus cum Septimio Severo patre imperaret. Quod vero ait Harduinus dubitare se, *ne in hisce nummis legi satius sit ΠΑΦΙΑ, ac de Venere Paphia Cypriorum accipi*, hoc, inquam, dubium huic Scriptori suboriri potuit, quod ipsos nummos neutiquam vidit; cum tamen Andreas Morellius, vir in veterum nummorum peritia nulli hac ætate secundus, in regio numismate Commodi ΠΑΦΙΑ legerit, ac ipsum etiam nummum, suamet manu delineatum, ad me transmittendum curaverit per V. C. Nicolaum Toinardum. Et sane qui fieri possit, ut ad Venerem Paphiam nummus referatur, in quo Diana, adeo Veneri adversa, obsignata est?

§. III.

EPOCHA DIOSPOLEOS.

Hac Vrbs erat in Palestina, antea Lydda appellata. Ex Samaria Iudaea accesserat. A Romanis eversa, ac a Syris postea restaurata, Diospolis nomen accepit. Eiusdem Epochæ capit Domitiano imperante.

Ioannes Vaillantius, qui eruditam rem nummariam tot præclarissimis voluminibus illustravit, aliisque brevi edendis, in majori etiam lumine collocabit, inter insignes urbium Syriæ nummos, quos ad me transmisit, hunc etiam reposuit.



Idem autem testatur, huiusce nummi sculpturam non esse Ægyptianam, sed plane Syriacam; præterquam quod, si Alexandrini excipiantur, rarissimi in Cimeliis nummi, Septimii Severi nomine in Ægypti urbibus signati, occurrunt. Hinc ait, nummum illum non spectare ad Diospolim in Ægypto, sed ad aliam Diospolim in Syria. Ego quidem, qui diversæ nummorum sculpturæ omnium sum imperitissimus, non possum non integram fidem præstare Vaillantio, qui totum vitæ suæ spatium in nummis perlustrandis, simulque eruditissime interpretandis, exegit. Iosepho lib. 15 Antiq. cap. 6 dicitur Herodes tempore belli Actiaci invasisse Arabiam, *Diospolim petens, quo occursum erant Arabes*: quam rursus urbem nominat lib. 1 belli cap. 5. Altera Diospolis erat in Palæstina, quæ antea Lydda dicebatur. Hieronymus in epitaphio Paulæ scribit, eam, in Palæstinam advenientem, vidisse *Lyddam versam in Diospolim*. Theodoretus lib. 1 cap. 5 ait: *Est autem Lydda civitas, quæ jam vocatur Diospolis*. In lib. 1 Maccab. cap. XI, 14 Lydda ex Samaria Judææ accessisse dicitur dono Demetrii II Syriæ regis, quo Jonatham Judæorum ducem suas in partes trahe-

ret.

ret. Hinc Lydda a Plinio lib. 5 cap. 14, ac Josepho lib. 3 de bello Jud. cap. 2 inter Judææ Toparchias recensetur. Cassius bellum contra Triumviros initurus, cives Lyddæ sub hasta vendidit, ex Josepho lib. 14 Antiq. cap. 18. At illi postea decreto M. Antonii libertati restituti patriam repetiere. Ceterum cum Cestius Syriæ præses, initio belli Judaici, Lyddam incendisset, ac dein Titus, everfis Hierosolymis, cuncta Judæorum oppida devastasset, Syri quasdam Judææ urbes, agri fertilitate allecti, habitare cœperunt, ac nova etiam iisdem nomina imposuere, uti pag. 276 prænotavi. Ita Lydda a novis inquilinis Diospolis, id est, *Jovis civitas* dicta fuit, unaque ipsi novam illius Epocham inchoarunt. In descripto nummo Severi legitur: A. CEN. CEOT. ΔΙΟΧΡΟΔΙC, *L. Septimius Severus. Diospolis*; cum capite Serapidis, addita Epochæ ΘΡ, *Anno CIX*. In anteriori hujus nummi parte Juliæ Domnæ effigies scalpta est: eumque Harduinus pag. 141 ad Diospolim in Ægypto refert. Vaillantius alterum ab se Juliæ Domnæ nummum Diospolitenum, in privato quodam scrinio sibi observatum, mihi indicavit cum Epochæ ΕΡ, *Anno centesimo quinto*. At ex his tantum nummis initium Epochæ Diospoleos nequitquam assequi possumus; quamvis ex iisdem intelligamus, eandem Domitiano imperante cœpisse.

§. IV.

EPOCHÆ PROVINCIAE SAMARIAE.

In nummis Antiochenis annos eorundem Epochæ cum annis imperii Neronis copulatos, doctissimus Nicolaus Toinardus omnium primus observavit. Ejusdem Caesaris anni cum altera Epochæ juncti in nummo Syria, qui Samaria provincia adscribitur. Augusti inter Deos ibidem culti. Epochæ laudati nummi expentur. Nummus Sebaſtenorum in Samaria cum Epochæ e Medicis Cimeſijs exhibetur.

Hoc opere quadraginta circiter urbium Syriæ Epochas in nummis obſignatas recitavi, in quorum tamen nullo earundem anni cum annis imperii Caesarum juncti leguntur; qui sane additi, initium cujusque Epochæ certissime indicat.

dicarent. Extant tamen argentei nummi Neronis, in quibus anni imperii ejusdem cum annis Epochæ copulati exhibentur. In horum averfa parte vifitur Aquila fulmen unguibus stringens, cum ramopalma, & epigraphe: ΕΤΟΥΣ ΑΙΡ. Θ; in aliis ΕΤΟΥΣ ΒΙΡ. Ι. Rurfus in quibusdam hæ tantum notæ signantur: ΗΡ. Ε; & in aliis: ΗΡ. Α. Horum typos evulgabit doctiffimus Toinardus, qui uti eft acutiffimi ingenii, omnium primus observavit, Epocham in iisdem fcalptam effe Antiochenam, cujus varii anni cum diverfis annis imperii Neronis junguntur. Etenim annus ΑΙΡ. *centefimus undecimus* Epochæ Antiochenorum, cœpit fub autumno A. V. Romæ 815, cum Nero eodem anno, die 13 Octobris annum imperii Θ, *nonum* inchoaverit. Præterea annus ejusdem Epochæ ΒΙΡ, *centefimus duodecimus*, initium cepit ab autumno A. V. Romæ 816, quo pariter tempore Nero aufpicatus eft imperii annum Ι, *decimum*. Itaque cum in illis nummis legitur ΕΤΟΥΣ ΑΙΡ. Θ, ita interpretanda venit epigraphe: *Anno centefimo undecimo* Antiochenfium, *nono* imperii Neronis. Duo vero nummi, in quorum altero fine voce ΕΤΟΥΣ, numerales tantum notæ ΗΡ. Ε, & in altero ΗΡ. Α. obfignantur, indicatur annus Antiochenfium *centefimus octavus*, quocum junguntur annus *quintus* ac *sextus* imperii Neronis. Enimvero Diff. III c. 6 oftendi quofdam annum civilem Antiochenorum a Kal. Septembris: alios vero a proximis Kal. Octob. exordiri. Cum autem Epochæ Antiochenorum initium duxerit ab autumno A. V. Romæ 705, annus abhinc CVIII in utroque Neronis nummo fignatus cœpit Kal. Septembris. five Kal. Octob. A. V. Romæ 812, cum adhuc laboretur annus quintus imperii Neronis, qui die 12 Octob. complebatur, ac proxima die 13 annus sextus principatus ejusdem inchoabatur. Hinc in nummo notæ ΗΡ. Ε, exponendæ funt, *An. CVIII* Antiochenorum: *quinto* imperii Neronis; qui nummus fcalptus eft intra primos ejus anni dies, qui Natalem imperii ejus Cæfaris præcedebant. In altero idem *annus* CVIII, ac *sextus* principatus Neronis exprimitur; qui nummus eodem Anno Urbis Romæ 812 poft IV Idus Octobris obfignatus eft. Porro ex laudatis nummis apertiffime demonftratur, initium Epochæ Antiochenæ colligendum effe ab A. V. Romæ DCCV, ut alias pluribus argumentis evicimus.

Ex-

Exstat in Cimeliis Regis Christianissimi mediocris nummus, in quo pariter anni Epochæ cum annis imperii ejusdem Neronis copulantur. At quinque circiter literæ, quæ in averſa epigrapha una cum nummi parte detonſæ ſunt, dubium relinquunt locum, in quo numisma ſculptum eſt. En illi uſtupum!



In anteriori parte cum capite Neronis legitur: ... **ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΣ**, *Cæſar Auguſtus*. Retrorſus vero cum Dea Aſtarte, dextera caput Oſiridis, ſiniſtra haſtam puram tenente, eſt que Inſcriptio: **Θ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Μ... ΑΡΙΑ. ΗΠΡ.** & in area Nummi: **Λ. ΙΔ.** Vbi annus Epochæ *centefimus octogefimus octavus* conjungitur cum *anno decimo quarto* Imperii Neronis. At remanet inveſtigandus locus, ubi nummus ille plane inſignis percuffus ſit; quod quidem ex reſiduis literis, quæ ſuperſunt, colligere utcumque tentandum eſt, ſuppleta, qua parte deficit, inſcriptione, quam ita reſtituo: **Θ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΣΑΜΑΡΙΑ. ΗΠΡ. Λ. ΙΔ.** *Deorum Auguſtorum Magnorum. Samaria. Anno CLXXXVIII*, imperii vero Neronis *anno decimo quarto*. Litera ſolitaria **Θ** vocem **ΘΕΩΝ** deſignari, patet ex nummo Mediceo Sidonis pag. 349 mihi expoſito; & in plerisque epitaphiis binæ literæ initio ſolitariæ ſculptæ **ΘΚ**, explicantur: **ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ**; nempe *Dii Manibus*, uti pluribus oſtendi in Cenotaphiis Piſanis Diſſert. III cap. 4. Anno XIII imperii Neronis Veſpaſianus Galilæam univerſam ſubegerat, uti ſcribit Joſephus libro 4 de bello cap. 4, qui c. 5 ait eundem Veſpaſianum Jamniam poſtea ac Azotum cepiſſe. Vtraque erat urbs Judææ, inter quam & Galilæam media erat Samaria, cujus incolæ bello illo Judaico in officio erga Romanos manſerant, ut pag. 460 demonſtro. Herodes cum Samariam diru-

dirutam olim urbem restaurasset, eandem de nomine Augusti Sebastem appellavit, ac ibidem templum sesquipedii magnitudine ac pulchritudine cum quovis alio conferendum eidem Augusto dicavit, ex Josepho lib. 15 Antiq. cap. 11. In eodem postea suam quoque statuem Cæsar consecrandam jussit, & ibidem dicata etiam videtur statua Claudii Augusti a Nerone inter Deos relati. Hinc provinciales Samariæ in eodem templo Augustos uti Deos adorabant. Cum vero bellum Judaicum desæviret, ac eodem circumquaque Samaritæ clauderentur, quo suum erga Romanos obsequium testarentur, eorumque gratiam captarent, nummos publico totius provinciæ decreto scalpserunt cum epigraphæ, *Deorum Augustorum Magnorum. Samaria*. Dii alii dicebantur Magni: alii autem minorum gentium; unde & Virgilius lib. 3 *Æneid.* v. 12 ait: *penatibus, & Magnis Diis*; quæ repetit lib. 8 v. 679. In vetustis etiam Inscriptionibus Gruteri pag. 27, 28 & alibi legimus DIS MAGNIS; & his quoque Augustos Samaritæ inferebant. Vox *Σαμαρείται* in penultima syllaba cum diphthongo scribitur, quæ tamen sæpe in nummis omittitur, ut ostendi p. 413. Hæc mihi laudati nummi interpretatio in mentem venit, quæ tamen longe meliorem viri doctiores invenient, quousque integer nummus quandoque repertus veram epigraphen prodatur. Interim scalptra ibidem Astarte cum capite Osiridis nummum Syriacum designat, quod ipsum addita Epochæ ostendit. Auctor est Porphyrius in excerptis apud Scaligerum pag. 227, Antiochum Grypum cum Alexandro II, rege Syriæ, acie congressum, eundem obtenta victoria, usurpato regno privasse *anno tertio Olympiadis CLXIV*, qui desiit A. V. Romæ 633. Hinc victor Antiochus Samariam provinciam recuperatam multis immunitatibus ornavit. Samaritæ vero sive victori adulantes, sive benefactori gratias referentes, novam provinciæ Epocham eodem anno urbis Romæ 633 instituerunt. Hinc autem numeratis annis *ΗΠΡ, CLXXXVIII*, in regio nummo obsignatis, horum postremus iniit ab autumno A. V. Romæ 820, quo pariter tempore *Λ. ΙΔ, annus decimus quartus* imperii Neronis, in eodem nummo scalptus, inchoabatur. Extant sane nummi ab ipsismet provinciis scalpti cum

cum Inscriptionibus ΚΟΙΝΟΝ ΚΤΙΡΙΟΝ; ΚΡΗΤΟΝ; ΒΕΙΘΥΝΙΑC, &c. *Commune Cypriorum: Creta: Bithynia &c.* Insigniores Samariæ urbes erant Neapolis, ac Sebaſte, quarum Epochæ ea, quæ in regio illo nummo legitur, longe recentiores sunt, ut Dissertatione V cap. 5 demonſtravi, pluribus utriusque nummis productis. Addam hic nummum parvi moduli, qui nuper Mediceis Cimeliis accessit. In anteriori parte viſitur caput Imperatoris Commodi cum epigrapha: IMP. C. M. AVR. COM. ANT. *Imperator Caesar Marcus Aurelius Commodus Antoninus.* Alterius partis typum ostendo.



Inſcriptio eſt: CEBACTHNON CTP. L. CΙC. *Sebaſtenorum Syria. Anno CCXVI.* Horum Epochæ cum colligatur ab A. V. Romæ 729, uti pag. 444 prænotavi, annus ejusdem 216 cœpit A. V. Romæ 944. Viſitur ibidem ciſta Bacchi cum binis ſerpentibus. In orgiis enim Bacchi ciſta ferebatur, quæ arcana ipſius myſteria continebat, ac Bacchantes ſeſe ſerpentibus incingebant. Hinc Catullus, ut advertit Seguinus pag. 76, ait:

Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant;

Pars obſcura cavis celebrabant orgia ciſtis.

Ex laudata autem Epochæ Sebaſtes patet provinciam Samariam, ſi reapse in eo nummo Neronis deſignetur, diverſam eamque antiquiorem Epocham in nummis ſcalpiſſe.

N V M M V S P A L T I.

Nummus Palti in Syria cum Epochæ detrita exhibetur. Ejus urbis ſitus ex epiſtola apud Ciceronem, cujus Gracum ibidem vocabulum exponitur. Hieronymus Surita Platanum manſionem cum urbe

Xxx

Pal-

Palto confundit. Cymatius Palti Episcopus a S. Athanasio laudatus. Alii ejusdem urbis Episcopi recensentur.

Nummum Syriacum proxime exposui, in quo anni Epochæ leguntur; nomen vero loci, in quo idem sculptus fuit, cum detonsa ibidem parte numismatis desideratur. Hic e contra nummum certi in eadem Syria oppidi profero, cujus tamen Epochæ adeo detrita est, ut ex notarum numeralium vestigiis nullum certum tempus assequi possimus.



Hic nummus nuper adjectus est Cimeliis humanissimi ac præstantissimi viri Francisci Dronii, Parisiis S. Thomæ ad Luparam Canonici. In anteriori parte legitur tantum *ANTONINOC Antoninus*, qui nonnullis Commodus putatur. Ipse vero arbitror Elagabalum ibidem designari. In posteriori parte legitur: *ΠΑΛΛΗΝΩΝ, Paltenorum*; cum Castore ac Polluce, suum utroque equum fræno tenentibus; uti simili typò visuntur in nummo Orthosiensium Hadriani, quem e Gaza Medicea pag. 85 recitavi, ubi de Dioscurorum in Syria cultu quadam recensui. In superiori dextera parte circuli trium literarum vestigia visuntur, quæ dubio procul Epocham urbis Palti exprimebant, quam eandem auguror fuisse cum ea, quam proximæ urbes Laodicea ac Gabala ab accepta a Julio Cæsare autonomia deducebant. Situm Palti designat Cassius in epistola ad Ciceronem decimatertia lib. 12 fam. ubi narrat Dolabellam prope Laodiceam castra munivisse; de Cassio vero Bruti collega scribit: *a millibus passibus viginti castra habet posita Παλτοῦ*. Georgius Grævius, doctrinæ æque ac eloquentia celeberrimus, in nitidissimis ac amplissimis notis ad epistolas Ciceronianas pag. 225 laudat interpretes, qui urbem Paltum

tum ea Græca voce significari consentiunt; quamvis eandem diversimode refingunt. Nam quidam scribunt *Πάλοι*; nonnulli *Πάλω*; alii e vetustioribus codicibus reponunt *ΠΑΛΤΩΙ*. Id tamen facile explicatur. Etenim cum vetusti Scriptores postremæ literæ *ω* nominum tertiæ declinationis dativo casu, jota vel punctum hoc modo *ω* supponerent, Amanuenses sive exscriptores jota recto tractu omegæ addebant *ω*; qui scribendi modus in pluribus Græcis manu exaratis codicibus observatur. Itaque laudato loco legendum est *Πάλτω*. In epistola S. Athanasii ad Solitarios laudatur strenuus Arianorum hostis Cymatius Episcopus, uti recte ibidem scribitur, *ἐν Πάλτῳ Palti*, qui decreto Constantii Augusti in exilium deportatus fuit. In Itinerario Antonini pag. 22 numerantur ab Antiochia *Platanos M. P. XXV*, *Catbella M. P. XXIV*, *Laodiciam M. P. XVI*, *Gabala M. P. XVIII*, *Balaneam M. P. XXVII*. Hieronymus Surita in notis pag. 308 putat loco *Platanos* legendum esse *Palton*, quæ urbs M. P. XL Laodicea distabat; quamvis, inquit, alio per compendium itinere, viginti tantum milliariis Laodicea distasse dicatur in laudata apud Cicero- nem epistola. At plane errat; siquidem etiam in Itinerario Hierosolymitano, anno Christi 333 descripto, ab Antiochia numerantur *ad palatium Dafne M. V*, *Mutatio Hysdata M. XI*, *Mansio Platanus M. VIII*; hinc Laodiceam colliguntur ibi milliaria XXXX. Quare Platanus erat mansio Antiochia M. P. XXIV distans, in itinere Laodiceam versus. At Paltus erat urbs ultra Laodiceam versus Phœniciam M. P. XX, ac ab Antiochia M. P. 84 aberat. Strabo lib. 16 pag. 518, cum Posidium, Heracleam, ac Gabala *Laodicea propinqua loca* appellasset, inde, inquit, *antiqua Aradiorum olim regio, Paltus, Balanea, & Ceramus Aradiorum navale*. Ita etiam Ptolemæus Paltum inter Gabala ac Balaneam recitat, ac ex gradibus Latitudinis ab eodem illis oppidis assignatis id ipsum manifeste intelligitur. In Ecclesiasticis monumentis Palti mentio non semel occurrit. Nam S. Athanasius cum laudato proxime loco, tum in Apologia de sua fuga commendat Cymatium Episcopum Palti; & hoc altero volumine dicuntur eidem in mœrore esse *Πάλοι μὲν καὶ Ἀνθράδος διὰ Κυμάτιον, καὶ Καβέριον, Paltus &*

Anteraxus ob Cymatium, & Carterium, ob Catholicam fidem adversus Arianos defensam exulantes. In inscriptione Synodica ejusdem Athanasii ad Antiocheneses, quæ recitatur tom. 1 p. 447, idem Cymatius nominatur, qui post finem epistolæ dicitur Episcopus Πάλλου Κοίλης Συρίας, *Palti Coles Syrie*. Baronius ac Collectores Conciliorum scribunt hanc Synodicam missam fuisse Antiochiam anno Christi 362, qui proinde fuit etiam postremus vitæ Cymatii; anno enim proximo 363 habita fuit a Meletio Synodus Antiochiæ, cujus literas ad Jovianum Imperatorem ceteros inter subscripsit Patricius Episcopus Palti, apud Socratem lib. 3 cap. 21. In subscriptionibus Concilii Constantinopolitani I inter Episcopos Coeles Syriæ legitur *Severus Patrensis*; ubi Labbeus in novissima edit. Parisiensi, in margine reponit: *Patti aut Parti*, quo utro non in nulla in Syria urbs appellata fuit. Itaque *Paltensis*, sive *Palti* Episcopus fuit Severus. Denique Sabbas Palti Antistes interfuit Synodo Antiochenæ sub Domino anno circiter Christi 444, dein alteri C. P. a S. Flaviano contra Eutychetem celebratæ, in qua dicitur Episcopus τῆς ΠΑΛΤΗΝΩΝ πόλεως, *civitatis Paltenorum*, ut plane in Droniano nummo sculptum est. Idem sedit in magna Synodo Calchedonensi; ac denique una cum collegis Syriæ Primæ Episcopis subscripsit literas Synodicas ad Leonem Augustum.

CAPUT V. EPOCHAE SEBASTES AC NEAPOLEOS.

V Traque urbs fuit in Samaria, ac utraque veteri antiquato, novo nomine ornata fuit. Erat Samaria regio Judææ juncta, in qua vetustiori ætate Reges Israel regiam habuerunt; cum reges Juda apud Hierosolyma regni sedem tenerent, ut sacra nobis litera prodiderunt. Vtraque tamen natio vetusta seculum invicem odia semper exercuit, quorum origo ex diverso incolendo Numine ritu ac ceremoniis defluxit. Plinius lib. 5 cap. 13 describens Palæstinam, ait: *Intus Samaris oppida Neapolis, quod antea*

antea Mamortha dicebatur, Selasse, & in monte altiore Gamala, cuius postremæ urbis a Tito Vespasiano expugnata excidium recitat Josephus lib. 4 de bello Judaico capite tertio.

§. I.

EPOCHÆ SEBASTES.

Samaria urbs regia sedes Regum Israel. Cur Hierosolymorum soror major nuncupata. Templum ibidem Deo constructum ad exemplum Hierosolymitanum. Samaria a Judæis diruta, ab Herode Rege postea iterum constructa, Sebaste nuncupatur. Id contigit A. V. Roma 729. Hinc Epochæ Sebastenorum initium sumpsit. Metachronismus in Eusebii Chronico notatur.

Sebaste cum primum condita fuit, Samariæ nomen tulit ab Amri, sive uti legunt LXX Interpretes, Omri Israelitarum rege, uti legimus 3 Regum XVI; ubi v. 24 hæc de eodem, narrantur: *Emitque montem Samaria a Semer duobus talentis argenti: & adificavit eum, & vocavit nomen civitatis, quam extruxerat, nomine Semer domini montis, Samariam.* Ille sedem regni, quam sex annis apud Thersam tenuerat, in novam urbem abs se, conditam transtulit anno ante Christi Epocham 924, ubi & successores reges Israel regnantes thronum, vita vero defuncti, sepulchrum habuere. Hinc S. Hieronymo in lib. de locis Hebr. laudatur *Samaria civitas regalis in Israel, quæ nunc Sebaste dicitur. Sed & omnis regio, quæ fuit circa eam, a civitate quondam nomen acceperat.* Deo apud Ezechielem cap. 23 duæ sorores eadem matre genitæ recensentur: *Nomina autem earum, Oolla major, & Ooliba soror ejus minor.* Dein: *Porro earum nomina, Samaria Oolla, & Jerusalem Ooliba.* At Hierosolyma regum sedes erat ultra annos septingentos priusquam Samaria conderetur; siquidem Josue cap. X Adonisedeck rex Jerusalem cum quatuor fœderatis regibus ab Hebræis victus, ac peremptus dicitur. Recte ibidem Hieronymus Samariam majorem appellatam dicit, quod erat regia, decem Tribuum Israel, cum apud Hierosolyma reges in Tribu Juda ac magna Levi parte tantum regnarent. Qui autem reges Israel dicebantur, postquam Samariam regiam incolere, reges

Samariæ in sacris passim literis nuncupati sunt; in quibus etiam IV Regum cap. 17 legimus Samaria post triennij obsidionem ab Assyriorum rege capta, ac incolis simulque decem Tribubus Israel in longinquam captivitatem abductis, novos ex Perside colonos Samariam deductos, qui una cum Diis patriis, Deum quoque Israel adorabant. Quamvis vero eversa Assyriorum Monarchia, ac pluribus Judæorum transfugis in Samariam se recipientibus, Samaritæ Idolorum cultum abjecerint, ac unum cum Hebræis Numen adorarent, rituum tamen diversitas ac variæ de religione opiniones perpetua inter utrumque populum odia excitarunt, quæ perniciosius postea auxit templum, quod in monte, qui Samariæ imminet, Sanabelletes Darii postremi Persarum regis in Samaria præfectus extruxit; nam antea Samaritæ una, cum Judæis in uno tantum Hierosolymitano templo sacra peragebant. Horum auctor venit Josephus lib. 11 cap. ult. mo. Cum extincto Alexandro Magno, regnum superioris Syriæ Seleuco contigisset, Coele Syria cum Samaria ac Judæa in Ptolemæorum Ægypti regum potestate fuit, quousque Antiochus Magnus easdem provincias bello aggressus, Seleucidarum regno adjecit; cuius filius Antiochus Epiphanes lata lege Judæis iussit, ut Græcorum religionem susciperent, quam cum illi impietatem detestarentur, Antiochus captis Hierosolymis, universam gentem innumeris calamitatibus affecit, quæ in utroque Maccabæorum libro narrantur. At Samaritæ, ne in communi cum Judæis causa parem apud regem indignationem subirent, supplicem ad eundem epistolam trans miserunt, inscriptam: *Regi Antiocho Deo Epiphani suggestio a Sidoniis in Sicimis habitantibus*, apud Josephum lib. 12 cap. 7. Sicima enim id temporis urbs Samariæ proxima totius provinciæ caput evaserat. Verum cum Hebræi, Hyrcano postea Pontifice ac principe, plures Seleucidarum regno ereptas armis civitates sibi subdidissent, urbi quoque Samariæ castris admotis, duplici fossa ac muro per octoginta stadia ducto, eandem post annum obsidionem ceperunt, hæc Josepho scribente lib. 13 cap. 18: *Atque ita Hyrcanus integro anno in oppugnatione exacto, non contentus urbem capere, etiam solo eam aquavit, inductis illo torrentibus,*

bas, quorum eludio ita cuncta sedata sunt, ut ne visigiam quidem superesset ejus oppidi; donec in novam urbem Sebasten surrexit.

Cum Augustus post Actiacam victoriam non modo Herodi, qui Antonii partes hactenus secutus fuerat, regnum ratum habuisset, verum etiam aliquot urbium Syriæ Coeles ac Phœnices additione insigniter auxisset, Herodes novam urbem in ruinis veteris Samaritæ condens, eandem de Augusti, a quo tot beneficiis ornatus fuerat, nomine *Sebasten* nuncupavit. Josephus lib. 15 Antiq. c. 11 & lib. 1 de bello cap. 16 eam urbem describens, ait moenia ad viginti stadia circumdata, ac in medio ornatissimum templum, cum quovis alio tum magnitudine tum pulchritudine conferendum, extructum, quod rex Herodes ipsi Augusto dicavit. Sex etiam millia colonorum tam ex auxiliari milite, quam e finitimis gentibus in novam urbem deduxit, ut si qui forte a Judæis tumultus excitarentur, sibi essent præsidio, quibus & proximos agros distribuit. Hæc cum ille narrasset, sequens caput duodecimum hisce exorditur: *Eodem anno qui fuit decimus tertius regni Herodis, maxima calamitates in eam regionem ingruerunt.* Narrat famem qua regnum Herodis oppressum fuit, Petronio præfecto Ægyptum id temporis administrante, ac Ælio Gallō in felicem Arabiam expeditionem suscipiente. Ex his antius Natalis Sebastes ab Herode rege condita intelligitur. Nam cum anno V. 716 Cæsar Octavianus *Augusti* titulum acceperit, ex Dione lib. 53 ac Censorino cap. 8 de die Natali certum est, Sebastem ante eundem annum, non fuisse extructam. Rursus Petronius successor Cornelii Galli in Ægyptum missus fuit ex eodem Dione ibidem; Al. V. Roma 718. Cum vero Josephus ait Sebastem conditam anno XIII regni Herodis, annos regni non quidem a Triumviris primum A. V. 714 accepti, sed post necem Antigoni legitimi Judæorum regis A. V. 717 ab Herode initi intelligit; si enim eos ab A. 714 numeraret, annus XIII concurret cum præfectura Ægypti ac Ælii Galli, non autem Petronii. Præterea Josephus, cum urbem Sebasten ab Herode conditam recitasset, ait: *Eodem tempore & auxilia misit Cæsari quingentos selectos e suo satellitio, quos Ælius Gallus duxit in expeditionem Arabicam.* Hæc autem expeditio ex Dione cit. A. V.

730 suscepta fuit. Hinc *Sebaste* condita est A. V. Romæ 729, uti tradit Vilerius tom. 2, Anno periodi Jul. 4689 ac XXV ante vulgarem Christi Epocham. Extant in regia Galliarum Gaza nummi Commodi *Sebaste* scalpti, in quibus *Æra* ejusdem urbis legitur. Domitiani etiam nummum ibidem percussum, ac humanitate V. C. Joannis Vaillantii mihi delineatum, una cum regis in ære incisum subjicio.



In antica parte nummi dextrorsus scalpti legitur: IMP. DOMIT. CAESAR. & in postica cum Jove dextra sceptrum, sinistra autem victoriolam tenente, CEBACTHNON L. ΘΡ. *Sebastenorum. Anno CIX*, qui annus, summa deducta ab A. V. Romæ 729, coepit ab autumno A. V. 837 acturus fere cum quarto imperii Domitiani concurrat. In anteriori parte nummi sinistrorsus delineati Latina pariter Inscriptio est: IMP. C. M. AVR. COMM... *Imperator Caesar M. Aurelius Commodus*. In averſa parte cum figura Cereris legitur: CEBACTHNON CTP. CIE. *Sebastenorum Syriae. Anno CCXV*. Denique in tertio medio minori nummo anterior epigraphæ partim detrita est, ejusque hæc tantum syllabæ notantur: COM. ANT. nempe: COMMODVS ANTONINVS. Posterior Inscriptio proxime recitatae similis est, addito tamen anno *Æræ* diverso: L. C. *Anno CCXVI*. Cum plures civitates a regibus in honorem imperantium Augustorum *Sebastes* nomen acceperint, unum tantum in Syria oppidum, ab Herode rege extructum, id nomen tulit; cum alteram postea urbem maritimam, quæ Stratonis turris dicebatur, vastis ædificiorum molibus adornans, ac insigni etiam portu muniens, *Cæsaream* de altero vetustiori

ori Augusti cognomine nuncupaverit. Quidam insignis Scriptor putat Sebastenos eisdem esse, *qui, Græco in Latinum mutato sermone, Augustopolitani dicti sunt.* Errat; etenim Augustopolitani erant in tertia Palæstina ex vetustis Notitiis apud Carolum a S. Paulo pag. 5 & 62. In Actione V Synodi C. P. sub Menna Patriarcha subscribit epistolam ceteros inter Elias pro omnibus Monachis *ἐν Αὐγυστοπόλει τῆς τρίτης Παλαιστίνης, apud Augustopolim tertia Palæstina.* At Sebaste erat in prima Palæstina aliquot dierum itinere procul ab Augustopoli.

Annus CCXV in nummo delineato Sebastenorum signatus, cœpit ab autumno A. V. Romæ 943, qui erat undecimus imperii Commodi post mortem M. Aurelii patris, cuius collega antea per triennium imperaverat. Annus vero CCXVI, in parvo nummo sculptus, exit per autumnum anno Urbis 945, Commodus post tres menses occiso. Quare ex hoc nummo colligimus Epocham Sebastes non posse protrahi infra autumnum A. V. Romæ 730; etenim si ab hoc anno deduceretur, annus ejusdem CCXVI cum tribus tantum postremis mensibus imperii Commodi copularetur. Harduinus pag. 443 in regio nummo legit: CEBACTHNON CTP. L. IE. nempe, inquit, *anno XV Commodi cum Gradivi Martis effigie.* Vtrumque falso. Nam cum Gradivo Marte eo in nummo legitur: L. CIS. *anno CCXVI.* Epochæ Sebastenorum. In indice Thesauri Mauroceni pag. 129 ab equite Patino recitatur nummus Julię Domnæ, cum postica inscripta: CEBACTHNON CTP. L. CK. *Sebastenorum Syria: Anno CCXX,* qui cœpit ab autumno A. V. 948 ac tertio imperii Septimii Severi, cujus Julia Domna conjux fuit. Cum vero in regio nummo Commodi legatur annus Sebastes CCXVI, etiamsi nihil lucis ad assequendum initium Epochæ laudatæ ex Josephi libris coruscaret, ex utriusque nummi Julię & Commodi collatione vix triennio in figendo capite Æræ Sebastenorum aberrare possemus.

In Chronico Eusebii anno III Olympiadis CXC, qui cœpit A. V. 736, legimus: *Herodes Samariam olim jam in cineribus sedentem a fundamentis suscitans, in honorem Augusti, Augustam, id est Sebastem, appellavit &c.* Jam vero si ab eo anno Urbis Romæ 736

numeremus annos 216 in nummo Commodi a Sebastenis obfignatos, exissent hi per autumnum A. V. 952, Commodio Imperatore ante septennium occiso. Itaque eo in Chronico Natalis Sebaſtes ſeptennio tardius ſtatuitur, & non tantum quadriennio, uti ſcribit in notis Scaliger. Ita nummorum ope inſignium Scriptorum anachroniſmi emendantur. Joſephus lib. 15 cap. 12 narrat regem Herodem *Aſcalonitam* vulgo appellatum, ob ſtudium Caſarem, ac Agrippam aliosque Romanorum ſibi demerendi, in condendis urbibus Caſarea ac Sebaſte & Agrippiade, patrias leges violaffe; *dum in honorem, inquit, eorum, urbes condit, & templa extruit; licet non in ſolo Judaico; hoc enim illi, nempe Judæi, nequaquam laturi erant, quod neſas ſit noſtris legibus ſtatuas ac effigies more Græcorum colere.* Sebaſte in Samaria extra Judæam ſita erat, ac ibidem tum etiam Caſarea longe major erat numerus Syro-Græcorum, qui Idola colebant, quam Judæorum; licet utranque Rex Judæorum Herodes condidiſſet. Hinc ob diverſitatem religionis civiles utrobique tumultus contra Judæos ſæpe excitabantur teſte Joſepho, qui lib. 20 cap. 6 ait Caſarienſes eo vehementius contra Judæos inſurrexiſſe, *quod plurimi Romanis per ea loca militantium Caſarienſes eſſent aut Sebaſteni patria.* Ala equitum Sebaſtenorum & Caſarienſium nominantur eidem in fine lib. 19, & rurfus Ala Sebaſtenorum lib. 2 belli cap. 11. Et in Notitia Imperii Orientalis, Theodoſio juniore imperante, ſub Duce Paſtinae recenſetur *Ala prima milliaria Sebaſtina Aſuada*, quod eſt nomen oppidi limitanei, ubi ſtationem habebat. Pancirolo incomm. ea Ala dicitur *ex Caſarea Judæa delicta*, ubi Caſaream cum Sebaſte confundit; ſiquidem Equites ejus alæ erant domo Sebaſte in Samaria. Vlpianus lib. 50 Dig. tit. XV *de cenſibus*, L. 1 num. 7 ſcribit: *Dirus quoque Severus in Sebaſtenam civitatem coloniam deduxit.* Ejusdem coloniae nummos exhibendos dimitto amico noſtro doctiſſimo Joanni Vaillantio in libro de Colonis Romanorum; nolo enim falcem mittere in meſſem, quam totam ille ſibi colligendam aſſumpſit, ut præ. eximia ſui eruditione, nullius cuiquam ſpicilegii locum reliquum facturum eſſe videatur.

§. II.

EPOCHA NEAPOLEOS.

Neapolis urbs Samaria. Varia ejusdem nomina. Flavia appellata. Jure civitatis a Septimio Severo mulctatur. Idem tamen opera M. Aurelii Antonini Caracalla recuperat. Hinc alterum Aureliæ cognomen adsumpsit. Viri eruditæ eandem Plianeam perperam nuncuparunt. Mons Garizin cum templo Jovis ac gradibus CCC prope Neapolim in ejusdem Urbis nummis sculptus. Epocha Neapoleos. Insignis Triflani error, alterque recentis Scriptoris emendatur. Cultus Dianæ Epheſiæ apud Neapolim. Fauſtina uxor M. Aurelii diu ante maritum Auguſta titulum tulit. Neapolis non fuit colonia a Veſpaſiano. aut a M. Aurelio deducta. Ejusdem Epocha cæpit A. V. Rome DCCCXXIII.

Quidam Neapolim Palæſtinæ eandem cum veteri Samaria urbem putarunt, quos inter Stephanus in lib. de Urbibus ait: *Σαμαρεία πόλις Ἰουδαίας ἡ μενομασθεῖσα Νεάπολις: Samaria urbs Judæa, qua Neapolis cognominata est.* Baronius etiam ad A. Christi 530 scribit: *circa Neapolim nempe Samariam.* Quem errorem errat pariter Baubrandus in auctario Lexici Geographici. Proxime enim ostendi Samariam, nomen Sebastes ab Herode accepisse, quæ urbs erat diversa a proxima Neapoli. Sanctus Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ, ejusdem hodoeporicon describens, ait: *Transiit Sichem (non ut plerique errantes legunt, Sichar) qua nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Garizin, extructam circa puteum Jacob intravit Ecclesiam &c. Atque inde divertens, vidit duodecim Patriarcharum sepulcra, & Sebastem, id est, Samariam, qua in honorem Auguſti ab Herode Græco sermone Auguſta est nominata.* Ita Hieronymus, qui diutius in Palæstina vixit ibique vitam clausit, Neapolim veterem Sichem, Sebastem vero antiquam Samariam fuisse testatur. Idem in comm. ad cap. 6 Oſeæ ait: *per Sichem, qua bodie Neapolis appellatur, cundum erat Hierosolymam.* Ceterum notat S. Doctor in lib. de locis Hebraicis, Neapolim prope ruinas Sichem extructam fuisse: *Sichem, inquit, & Salem, qua Latine & Græce Sichem vocata est, civitas Jacob nunc deserta est; ostenditur autem locus in-*

suburbanis Neapoleos. Sancto Epiphanio ad Hæresim LXXX Mes-
salianorum, nominatur *locus in Sicimis, quæ nunc appellatur Neapo-
lis.* Aliud vetustum hujusce urbis nomen prodit Plinius lib. 5
cap. 13. *Intus, inquit, Samaria oppida, Neapolis, quod antea Ma-
mortha dicebatur, Sebaste, & in monte altiore Gamala.* Josephus
vero lib. 5 belli cap. 4 de Vespasiano ait: *per Neapolim, quæ dice-
batur ab indigenis Mabartba, altera die Dasis mensis in Carneam de-
scendit.* Erat Carneas viculus nono ab Hierosolymis lapide, ex
D. Hieronymo in lib. de locis Hebraicis. Harduinus pag. 341
Mortha ex nummo legendum contendit. Ammianus lib. 14
laudat civitates Palæstinæ, *nullam nulli cedentem, sed sibi vicissim ve-
lut ad perpendicularum æmulas, Cesaream, Eleutheropolim, & Neapo-
lim.* Neapolitani deletis a Tito Hierosolymis, urbem suam de
nomine imperantis familiæ *Flaviam Neapolim* appellarunt. Cum,
exorto bello civili inter Septimium Severum ac Pescennium Ni-
grum, urbes Syriæ in partes descendissent, ac Tyrii & Laodicen-
ses Severo, Antiochenes vero ac Beryrenses Nigro studerent;
eadem æmulatio in Samaria Sebastem in partes Severi: Neapo-
lim autem in Nigri partes distraxit. Severus parta victoria, Lao-
diceam, Tyrum, ac Sebastem colonias fecit; at Antiochenibus,
inquit Spartianus in Severo cap. 9, *multa ademit; Neapolitanis es-
iam Palæstinensibus jus civitatis tulit, quod pro Nigro diu in armis
fuerant.* Itaque Neapolis jure civitatis privata, sine curia, sine
magistratu, sine publico consilio, a præfecto ab Imperatore, sive
a Præside Syriæ misso, regi jussa est. Idem tamen Spartianus cap.
i de M. Aurelio Antonino Severi filio, vulgo Caracalla, ait: *Ant-
iochenibus & Byzantiis interuentis suo jure vetusta restituit, quibus
iratus fuit Severus, quod Nigrum iuverant.* Idem cap. 14 de vita
Severi scribit: *Palæstina penam remisit, quæ ob causam Nigri me-
ruerat;* nempe Neapolitanis in Palæstina. Et sane M. Aurelii
Antonini deprecatione, Neapolitanos amissum jus civitatis a Se-
vero patre recuperasse, demonstrat rarissimus hic Nummus Mc-
diceus, idemque primæ, uti vocant, magnitudinis.



Inscriptio anticæ partis Latine redditur: *Imperator Caesar Marcus Aurelius Antoninus*; posticæ vero: AVRELIAE FLAVIAE NEAPOLEOS SYRIAE PALÆSTINAE. Neapolitani, qui interventu M. Aurelii Antonini jus civitatis recuperaverant, novum de nomine ejusdem Augusti cognomen *Aurelia* suæ ipsorum patriæ additum voluere. Tristanus tom. i pag. 593 nummum Antonini Pii recenset, in cujus aversa parte cum templo in vertice montis, epigraphæ illi recitatur: ΦΑΝΕΑΚ ΠΟΛΕΩΣ ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗΣ, nempe ait: *Pbanees civitatis Syriae Palaestinae*. Ibi verò tradit hanc *Pbaneam* eandem esse urbem, quæ *Paneas* ab aliis dicitur juxta montem Panium, in cujus summitate rex Herodes Augusto templum dicavit, quod in laudato nummo expressam putat. Spanhemius etiam Dissert. 9 pag. 899, & Patinus pag. 241, & rursus pag. 16 indicis, in aliis nummis legunt: ΦΑΝΕΑΚ ΠΟΛΕΩΣ &c. *Pbaneæ urbis &c.* Pyrrhus Ligorius ac Aneas Vicius apud Holstenium pag. 340, aliique vulgo Antiquarii eodem modo nomen ejus urbis scripserunt. Verum idem Holstenius pag. 220 notarum in Stephanum de Urbibus V. *Νεάπολις*, in nummo Caracallæ, quem proxime exhibeo, omnium primus optime legit: ΑΥΡ. ΦΛΑΥΙΑΣ ΠΟΛΕΩΣ ΣΑΜΑΡΙΑΣ. *Aurelia Flavia Neapoleos Samariae*. Quod in nummis duæ priores literæ ΦΛ cum sequenti voce sine interpunctione ac ullo sine spatio junctæ apparent: ΦΛΑΝΕΑΚ, secundam literam Α pro Α accipientes, *Pbaneam* urbem Geographi ignotam obtruserunt, & quod mirum, idem Holstenius pagina postea 340 oblitus eorum quæ antea scripserat, in vulgarem Antiquariorum errorem

rorem delapsus, plures nummos laudans, in omnibus Φ ANEAC, *Phanea* legit; imo nummum Caracallæ Mediceum profert cum epigraphæ: Λ TP. Φ ANEAC &c. Verum illis literis Φ ANEAC duæ distinctæ voces exprimuntur, nempe Φ ΛΑΝΙΑΣ NEAC ΠΟΛΕΩΣ: *Flavia Neapoleos*. In Museo Mediceo in nummo L. Veri legitur: Φ ΛΧΑΛΚΙΔΕΩΝ, & in aliis Φ ACAMOC. in quibus duæ priores literæ Φ Λ, quamvis cum sequentibus junctæ appareant, distinctam tamen vocem exprimunt, nempe: *Flaviorum Chalcidensium*, & *Flaviorum Samosatensium*. Ita & in nummis Neapoleos eadem duæ literæ Φ Λ ad diversam vocem pertinent, idemque *Flavium* cognomen Neapoleos urbis in Samaria designant. Enimvero Tristanus hanc civitatem perperam cum Paneade confundit. Nam Paneas apud Græcos nomen est pertinens ad quintam declinationem, cujus proinde genitivus in $\alpha\delta\epsilon\omega$ exit. Eusebius Cæsariensis lib. 7 cap. 17 ad radices Panii montis urbem *Πανειάδα*, *Paneadem* sitam scribit. In Synodo Calchedonensi subscriptus legitur Olympius Episcopus *Πανειάδης*, *Paneadis*. Et in nummo exhibito Dissert. 4 cap. 5 § 4 ΠΑΝΙΑΔΟΣ, *Paniados* sculptum legitur. At in nummis Neapoleos habetur: Φ ANEAC ΠΟΛΕΩΣ, nempe *Flavia nova Urbis*; ubi vox altera NEAC in genitivo casu a recto *νέα*, pertinet ad secundam nominum Græcorum declinationem. Præterea Paneas erat urbs Phœnicie viginti circiter milliariis supra Tyrum ad montem Panium; Flavia vero Neapolis erat in Samaria, ut ex hoc insigni nummo intelligitur.



Nummus

Nummus hic est Antonini Caracallæ, uti alter recitatus e Gaza Medicea, idemque servatur in ditissimo Cimeliarchio Christinae Suceorum Reginae, bellicis trophæis ac literarum gloria perenni apud posteros nomine consecrandæ. In antica ejusdem regii nummi legitur: ΑΤΤΟ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC: *Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus*. Posticæ partis epigraphæ Latine vertitur: *Aurelia Flavia Neapolcos Samaria*. Spanhemius pag. 769 nummum Titi abs se visum laudat cum inscriptione: ΦΑΛΟΥΙ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΙ: *Flavioꝝ Neapolitarum Samaria*. Similem fere recitat Eques Patinus pag. 151. Ex his eruditi isti Scriptores optime poterant nummos intelligere inscriptos: ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC &c. in quibus eadem Flavia Neapolis designatur, non vero Phanea ignota Geographis urbs, quam nusquam memoratam farentur. Mons in Regio ac Mediceo nummo sculptus est Garizin, qui Neapoli imminet, ac vetusta provincialium regione sanctissimus dicitur Josepho lib. 3 belli cap. 11. Damascius in vita Ilidori apud Photium Cod. 242 scribit: *Marinus Proclus successor generis ducebat ἀπὲ τῆς ἐν Παλαιστίνῃ γένεσ πύλεως πρὸς ὅρει κατὰ χιλιόμετρον τῷ Ἀργαρίῳ, Neapoli in Palaestina, sita prope montem, cui nomen Hargarizis*. Vox *Har* apud Hebræos *montem* significat; unde *Hargarizis* idem est ac *mons Garizin*. In Itinerario Hierosolymitano dicitur *Agaxeren*, ut mox referam; sive quod incolæ ætate Constantini Augusti ita ejusdem montis nomen efferebant; sive potius quod error in codicem irrepsit. In sacris literis Deuter. XI, 29, Judicum IX, 7 *Garizin* nuncupatur. In 2 Maccab. V dicitur Antiochus Epiphanes rex Syriæ templum Hierosolymitanum cognominasse *Jovis Olympii*; & in *Garizin* prout erant ibi, qui locum inhabitabant, *Jovis Hospitalis*. Sanaballetes Darii postremi Persarum regis in Samaria præfectus, in vertice Garizin templum extruxerat, paulo ante quam Alexander Magnus exercitum in Syriam duceret, ut narrat Josephus lib. XI Antiq. cap. ultimo, cui idem templum dicitur *Hierosolymitanum simile in monte Garizin, qui imminet Samaria, reliquis montibus excelsior*. Procopius lib. 5 de ædificiis Justiniani scribit: *Est in Palaestina urbs Neapolis nomine, prope quam mons altus exurgit, quem Garizin vocant*.

Scio

Scio D. Hieronymum in lib. de locis Hebraicis aliter sentire, cum inquit: *Errant igitur Samaritani, qui juxta Neapolim Garizin & Gelbal montes ostendere volunt; cum ipsos juxta Galgal esse Scriptura testetur.* Verum & ipse Hieronymus communem sententiam sequitur in epitaphio S. Paulæ, ut initio prænotabam. Vti vero Judæi unum tantum templum apud Hierosolyma habebant, ita Samaritani in unico montis Garizin templo sacra peragebant, quod postea anno ab ejusdem conditu ducentesimo Hyrcanus Judæorum Pontifex ac Princeps solo æquavit, ex Josepho lib. 13 Antiq. cap. 17. Hunc plane montem intellexit mulier Samaritana, cum Joannis IV, 20 Christo Domino dixit: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Id enim temporis nullum supra Garizin templum extabat.

In Nummo Inchyæ Reginae plures visuntur gradus, per quos ad summitatem montis adscendebatur, qui pariter gradus scalpti sunt in nummo altero Neapoleos apud Trifanum pag. 393, qui tamen perperam putat Panium montem eo in nummo exprimi. Vnus anonymus Scriptor Itinerarii Hierosolymitani, qui imperante Constantino magno illud hodie portum concinnavit, nempe ut ibidem scribit *Delmatio & Xenophila Coss.* anno Christi 333, montem Garizin ac longo ordine scalptos ibidem gradus ita describit:

Civitas Sciopoli M. P. XII.

Aser, ubi fuit villa Job, M. P. VI.

Civitas Neapoli M. P. XV.

Ibi est mons Agazaren. Ibi dicunt Samaritani Abraham sacrificium obtulisse, & ascenduntur usque ad summum montem GRADVS numero CCC. Inde aut pedem montis ipsius locus est, cui nomen Sechim &c. Inde passus mille locus est, cui nomen Secbar, unde descendit mulier Samaritana ad eundem locum &c. Hoc egregio testimonio Anonymi Auctoris laudari nimis mirifice illustrantur; siquidem numerus graduum in eisdem scalptorum designatur, qui nusquam alias innotescit. Porro quæ ibi civitas Sciopoli dicitur, est Scythopolis urbs vetusta in Coele Syria Polybio, Plinio, Josepho, aliisque memo-

mo-

morata, quæ in posteriori trium Palæstinarum divisione constituta fuit Metropolis Palæstinæ secundæ. Hieronymo in lib. de locis Hebraicis *Aser dicitur villa descendens a Neapoli Scythopolim in decimoquinto lapide juxta viam publicam.* Ruffus ad pedes montis Garizin xystus seu ampla porticus visitur, sub qua ad templum convenientes, a procellis tuti subsistebant. Damascius apud Photium laudatum de Garizin scribit; *in quo monte Jovis summi sacratissimum est templum, ubi & Abraham primus antiquorum Judeorum sacratus fuit.* Cum enim excilis Hierosolymis Deorum cultus per Judæam ac proximam Samariam invalesceret, in vertice Garizin templum Jovi extructum fuit, quod in exhibitis nummis apparet. Auctor est Procopius in laudato libro primo de ædificiis Justiniani, Zenonem Augustum in vertice Garizin templum Virgini Deiparæ dedicasse; unde Samaritani non semel postea contra Christianos tumultuari sunt, uti erudite in magnis Annalibus narrat Cardinalis Baronius ad A. Christi 530.

Epocha Neapoleos in pluribus ejusdem urbis nummis occurrit, quorum duos vidi in Cimeliis Mediceis. Rarioris typum præpono.




Hic nummus in antica parte dextrorsus obtusus, nomen Augustæ non exprimit; sed ex altero simili apud Tristandum tom. I pagina 591 supplendus est, ut integra sit epigraphe: *FAVSTINA AVGVSTA PII AVGVSTI CONIVX*; notatque exprimi ibidem imaginem Faustine *Antonini Pii uxoris.* Est insignis viri alias eruditi error; siquidem vox *Ὀυγία* apud Græcos non conjugem, sed filiam significat. Itaque Latine legendum est; *Faustina*

Z z z

na

na Augusta Pii Augusti FILIA. Aversæ partis inscriptio eidem Tristano recitatur: ΦΑΝΕΑΣ ΠΟΛΕΩΣ ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗΣ. ΗΠ. ΤΕ. Vbi nec nomen urbis, nec illius Epocham intellexit. Sanctus Justinus Martyr in apologia pro Christianis ad Imperatorem Antoninum Pium, genus nec non patriam suam designans, ait: *Justinus Prisci filius, Bacchi nepos, τῶν ἀπὸ ΦΑΛΟΤΙΑΣ ΝΕΑΣ ΠΟΛΕΩΣ τῆς ΣΥΡΙΑΣ ΠΑΛΑΙΣΤΙΝΗΣ*, quæ ipsissima verba in laudato nummo aliisque mihi proxime producendis leguntur, videlicet: *domo Flavia Neapoli Syria Palestina.* In area nummi cum insignē Fortunæ, temonem ac cornu copiar tenentis, literæ perperam inversæ ΗΠ. ΤΕ Tristano scribuntur, eidem plane nec expositæ, nec intellectæ. Earum certa dispositio ex nummo Mediceo est: ΕΤ. ΠΗ, id est, *Anno LXXXVIII.* Epochæ Neapoleos, ut postea dico, cœpit anno Urbis Romæ 823. Quare annus abhinc 88 in eo nummo notatus iniit ab autumno A. V. 910, vicesimo imperii Antonini Pii, Barbaro & Regulo Coss. uti cognomen prioris Consulis ex veteri Inscriptione ac Galeno restitui pag. 98 Epistolæ Consularis; quibus addo Philostratum in lib. de vitis Sophistarum in Polemone. Nummo Faustinae junioris alterum jungo M. Aurelii Cæsaris ejusdem mariti eodem anno apud Neapolim sculptum.



Hunc æreum nummum Illustrissimus Comes Franciscus Medio-
barbus Mediolano e suo Museo ad me Florentiam transmisit; e-
undemque ichthyocolla expressum e regia Galliarum Gaza acce-
pi. In antica parte visitur caput M. Aurelii Cæsaris sine laurea.
Inscriptio vero Latine redditur ab Harduino: pag. 341: *Aurelius*
Cæsar Pius Augustus, Consul, quod Græcè eandem legit: ΑΥΓΗΛΙΟ-
ΚΑΙΣΑΡ

Καίσαρ Εὐσεβῆς, Σεβαστός, Ἰππῶ. Errat; nusquam enim M. Aurelius in nummis aut lapidibus *Pius* inscriptus legitur; fuit enim illud cognomen proprium Imperatoris T. Aelii Antonini. Præterea eo in nummo Marcus Aurelius purus putus Cæsar exhibetur sine laurea, ac genibus levitantum barba obductis. Itaque nondum erat Augustus, quocum titulo, post obitum Antonini Pii primum obtento, in omnibus nummis bene barbatus apparet. Vera ergo nummi lectio est: Αὐγῆλιος Καίσαρ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΣΕΒΑΣΤΗΣ: *Aurelius Cæsar Pii Augusti Filius*, uti passim in nummis Latinis superstiti Imperatore Antonino Pio nuncupatur. In posteriori parte nummi delineati visitur Diana Ephesia spicas manu præferens. Ephesii illam Deam multimammiam ea figura expressam colebant. Divus Hieronymus in præfat. com. in Epist. D. Pauli ad Ephesios ad Paulam ac hujus filiam Eustochium ait: *Scribebat ad Ephesios Dianam colentes, non hanc venatricem, quæ arcum tenet, & succincta est, sed illam multimammiam, quam Græci πολύμαστον vocant, ut scilicet ex ipsa quoque effigie mentirentur omnium eam bestiarum & viventium esse nutrice[m].* Hocce erat Dianæ apud Ephesum simulacrum, quæ tanta superstitione ab Ephesiis colebatur, ut tumultu a plebe contra D. Paulum ejusque discipulos ibidem excitato, vox facta omnium diceatur in Act. Apostol. cap. XIX, 35, *quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum.* Hanc quoque Dianam multimammiam apud Neapolim in Palæstina cultam propositus nummus ostendit. Inscriptio vero nummi eadem, ut in superiori Faustina, Latine vertitur: *Flavia Neapoleos Syria Palæstina.* Eadem Epocha ΕΤ. ΠΗ, *Annum LXXXVIII* significat. Alter nummus ejusdem Cæsaris M. Aurelii servatur in locupletissimo Cimeliarchio inclytæ Suecorum Reginae Christinæ, cujus partem averfam exhibeo.



In anteriore parte nummi M. Aurelius sine laurea, ac facie breviori tantum barba asperata visitur, ut in proxime delineato numismate, cum epigraphe: ΑΥΡΗΑΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΕΤCΕΒ. CΕΒ.. *Aurelius Caesar Pii Augusti filius.* In posteriori visitur imago Serapidis cum calathō in capite, quem cum Macrobius Solem ea sub imagine esse testetur lib. i Satur. cap. 20, ait: *Cujus vertex insignitus calathō, & altitudinem syderis monstrat, & potentiam capacitatis ostendit: quia in eum omnia terrena redeunt, dum immisso calore rapiuntur.* Inscriptio nummi Latine redditur: *Flavia Neapoleos Syria Palaestina.* In aëra vero Epochā ΕΤ. ΠΗ. annum LXXXVIII designat; qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 910 ac vicesimo imperii Antonini Pii; undecimo vero Tribuniciaë Potestatis M. Aurelii Cæsaris. Extrat Inscriptio Gruteri pag. CCLX, 6:

FAVSTINAE

AVG

IMP. CAES. T. AELI

HADRIANI ANTONINI

AVG. PII P. P. TR. POT. X

IMP. IL COS. IIII

FILIAE

M. AVRELI. CAESARIS.

VXORI

Antoninus Pius Augustus A. V. 900 a palilibus, Christi 147, die V Kal. Martii annum Tribuniciaë potestatis X, eo in epigrammate, signatum, inivit, quo anno Faustina ejusdem filia ac M. Aurelii Antonini uxor AVGVSTA nuncupatur. At M. Aurelius CAESARIS tantum titulo id temporis decoratus dicitur; cum post annum XIII, qui fuit V. C. 914 a palilibus, Christi 161, demortuo focero Antonino Pio, titulum Augusti acceperit. Quod ex laudato nummo Neapoleos cum Epochā annorum 88 colligitur; hoc enim anno Faustina ibidem dicitur CΕΒΑ CΤΗ, nempe *Augusta*; Marcus vero Aurelius ejusdem maritus eodem anno 88 Neapoleos in nummis Cæsar tantum, non autem *Augustus* appellatur. Bononiæ in Museo Pollacio visitur nummus cum epigraphe: FAVSTINA AVGVSTA; & in averfa parte: AVRELIVS CAE-

CAESAR AVG. PII. F. Itaque Faustina junior ante tria lustra & quod excurrit, *Augusta* vocabatur, priusquam M. Aurelius ejusdem maritus eandem dignitatem obtineret. In scriniis Illustrissimi Domini Theodorici Bignonii, Comitum Consistorialis & in magno Christianissimi Regis Consilio Præsidis ac libellorum, supplicum Magistri, visitur nummus in antica inscriptus: ΑΥΡΗΔΙΟC ΚΑΙCΑΡ ΕΥCΕΒ.. *Aurelius Caesar Pii*, videlicet, *Augusti Filius*, quæ duæ voces ibidem detritæ ex productis nummis supplendæ sunt. Visitur caput ejusdem sine laurea, & in postica legitur: ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΥC CΥΡΙΑC, *Flavia Neapoleos Syria*, & in area cum Diana Ephesia, ET. ΠΖ. Anno LXXXVII, qui cœpit per autumnum A. V. Romæ 909, imperii Antonini Pii undevicesimo. In Gaza Regis Christianissimi servatur nummus Faustinae junioris cum epigraphe: ΦΑΥCΤΕΙΝΑ CΕΒ. *Faustina Augusta*; & retrorsus cum Astarte succincta, ac calathio in capite, pede pro-ram triremis premente, dexteraque caput Osiridis, sinistra sceptrum oblongum tenente: ΦΑΝΕΑC ΠΟΛΕΥC CΥΡ. ΠΑΛΕ.. & in medio ET. ΠΖ. *Flavia Neapoleos Syria Palaestina. Anno LXXXVII*. Eques Patinus pag. 16 indicis tomæ de Nummis ex ære med. &c. aliud Faustinae numisma apud Neapolim sculptum recitat cum epocha: ET. ΠΘ. Anno LXXXIX, qui iniit ab autumno A. V. Romæ 911, vicesimo primo imperii Antonini Pii. Denique ut cum Museo Mediceo, unde cœpi, finem etiam imponam, hic ibidem duplicatus Nummus servatur.



Inscriptio prioris partis Latinis est: *Faustinam Augustam*; posterioris vero: *Flavia Neapoleos Syria Palaestina*. In Græca voce ΠΑΛΕ-

CTINH C in hoc nummo, atque in quibusdam aliis syllaba secunda sine diphthongo AI scalptra est. In area nummi utriusque cum Diana Ephesia legitur Epocha ET. 4. Anno XC, qui cœpit ab autumno A. V. 912, imperii Antonini Pii XXII. De nota 4 numerum nonagesimum apud Syromacedones significante, plura pag. 496 prænotavi. Itaque habemus nummos apud Neapolim in Palæstina scalptos annis Æræ ejusdem urbis 87, 88, 89 & 90, quorum initium ab imperio Vespasiani deducendum ostendo.

Eques Patinus pag. 123 indicis Nummorum Musei Mauroceni, Antonini Pii nummum recitat in postica inscriptum: ΘΑΝΕΑC ΠΟΛΕΩC CΤΡΙΑC ΠΑΛΑΙCΤΙΝΗC. ΠΘ. Nicolaus Bon Latinis Græcisque literis egregie excultus, qui illius Musei nummos diu antea in indicem retulerat, mihi testatus est eundem nummum esse Antonini Pii, & in postica post recitatam epigraphem in area nummi legi: ET. ΠΘ. nempe: *Flavia Neapoleos Syria Palæstina. Anno LXXXIX.* Ipse enim, ut verum fatear, suspicabar eum nummum esse M. Aurelii. Cum vero ea scrinia, Venetæ Reipublicæ legata, severiori custodia servantur, quam hic Florentiæ duo prægrandia Pandectarum volumina, quæ Angelus Politianus cap. 41 Miscell. testatur etiam sua ætate ostensa fuisse *magna veneratione, quamquam raro id, etiamque ad funalia*, haud tentavi majorem laudati nummi mihi notitiam importuna & audaci curiositate comparare; cum jam constet ex nummo M. Aurelii anno superiori Neapoleos 88 adhuc tantum Cæsaris Antoninum Pium fuisse superstitem, qui cum obierit A. V. a parilibus 913, si per annos LXXXIX in ejusdem, ut laudati viri testantur, nummo scalptos regrediamur, erimus ad A. V. 824, quo Vespasianus Kal. Juliis tertium imperii annum inivit, ac proinde initium Epochæ Neapoleos nequit protrudi infra A. V. 824. Valesius in notis ad cap. 12 lib. 4 Hist. Eusebii ait: *Flavia dicta est Neapolis civitas Palæstina, eo quod colonia esset a Vespasiano deducta.* Verum etiam Samosata in Commagene, Chalois atque Philadelphia in Coele Syria *Flavia* dictæ sunt; nec tamen Vespasianus colonias easdem constituit. Holstenius etiam ex nummo Mediceo, in quo Neapolis *Aurelia* nuncupatur, pag. 340 not. in Stephanum, putat eam urbem fuisse

isse *coloniam M. Aurelii*. At *Aurelia* dicta est de nomine Antonini Caracallæ, quod ejusdem interventu amissum jus civitatis recuperavit, ut superius exposui. Vlpianus civis Tyrius in libro 50 Digest. tit. 15 *de Censibus* tres tantum sua ætate colonias Palæstinæ nominat, Cæsaream, Eliam Capitolinam, & tertiam Sebastem a Septimio Severo deductam. Quare Neapolis ante imperium Antonini Elagabali non fuit colonia, quacum appellatione nusquam in tot nummis recitatis inscribitur. Hinc censeo novam Epocham induxisse, cum vetusto Maborthæ nomine antiquato Flavia Neapolis dicta est. Et quidem Plinius ac Josephus, qui, imperante Vespasiano, libros scripsere, eam urbem *Neapolim* appellant. At constat eandem illud cognomen ab Herode magno non accepisse, cum nulla hujus mentio fiat a Josepho, qui accurate oppida ab Herode condita, aut restaurata recenset: Regis Archelai qui Samariam Ethnarcha novennio possedit, itemque Agrippæ senioris, qui eandem provinciam rex per triennium administravit, in obscuro latent. Hinc si quispiam contenderet eandem civitatem ab alterutro rege *Neapolim* appellatam, nullo certo teste confutari posset. Ipse tamen censeo A. V. Romæ 823, Christi 70, Periodi Julianæ 4783, Imp. Vespasiano Aug. II & Tito Cæsare Coss. eandem urbem *Flaviam Neapolim* primitus appellatam. Etenim cum eo anno Titus, expugnatis ac deletis Hierosolymis, summis honoribus a proximis Syriacis gentibus decoraretur, Maborthæ in Samaria oppidi cives de imperantis familiæ nomine suam patriam *Flaviam Neapolim* nuncuparunt. Vel ipse victor Titus eandem urbem novis privilegiis auctam, ac majori civium numero frequentatam, *Flavia Neapoleos* nomine donavit. Auctor est Josephus lib. 3 de bello cap. 12, undecim mille ac sexcentos Samaritanos initio fere belli Judaici montem Garizin occupasse, quos Vespasianus, misso illuc Cereale quintæ legionis tribuno, interfecit. Quare post eversa Hierosolyma, ne Samaritani ob cultum montis Garizin novos tumultus cierent, Titus Syros aliosque Græcanicæ religionis homines in urbe ad radices ejusdem montis collocasse videtur; unde & *Flavia Neapoleos* nomen eidem oppido impositum fuit, ac cum eodem nova etiam Epochæ inducta.

Ha-

Haftenus tot invictis nummorum testimoniis demonstrata, in dubium revocat insignis scriptor Joannes Harduinus, qui pag. 341 nummum Faustinae junioris e Museo Collegii Claromontani Parisiensis profert in postica inscriptum: Φ ΑΝΕΑΣ ΠΟΛΕΩΣ Σ ΤΡΙΑΣ ΠΑΛΕΚΤΙ. Additque: *Adjecta in medio vocula ET. ΠΡ. id est, Anno CLXXX, ab instaurata, ut quidem videtur, civitate, cum ei primum inditum Neapoleos nomen est, id quod accidisse Augusto principe necesse est, cum is in Asiam & Syriam venit anno DCCXXXIV.* Tum norat ab hoc anno ad annum M. Aurelii secundum, cujus Faustina conjux fuit, annos 180 numerari. Et postea ait: *Sunt qui in nummo simili legant: ET. ΠΖ. errore magno; id enim si verum esset, quod esset aliud ejus Aera caput, quam annus Vespasiani septimus, a quo vastata Juliaa omnis est, nedum instaurata. Sed in nummo nostro, qui rem plane dirimit, ET. ΠΡ. perspicue legitur.* Pene me terruisset vocula illa emphatica *perspicue*; nisi quatuor æreos nummos, aliter annos Æræ Neapoleos designantes, ipse etiam *perspicue* meis hisce oculis observassem. Hinc rogavi per literas Nicolaum Toinardum, ut laudatum ab Harduino nummum diligentius inspiceret. Et ille quidem non veluti emissarius cum oculis emissitiis, ut initio Aululariæ Plautus loquitur, sed Φ ιλαί- τ α Θ κα' Φ ιλαλήθης, oculis optimo conspicio adjutis, perspicue eo in nummo scalptum vidit ET. ΠΗ. ita tamen ut hæc postrema littera H sinistram lineolam superius contusam, inferius vero decussatam habens, primo adpectu litteram P repræsentare videatur; quæ tamen conspicio adhibito, reapse H littera sinistrorsus detrita apparet. Hæc vir summæ eruditionis ac fidei candidissimæ ad me rescripsit, simul tamen obtestans, ne V. C. Harduino, doctrina æque ac amicitia sibi plurimum commendato, errorem leniter aut leviter exprobarem. Verum non ita sum natura comparatus, ut viris de re literaria optime meritis, quandoque tamen casu aberrantibus, insultem. At ille, Amice, scribit ab aliis in nummo Faustinae legi ET. ΠΖ. *errore magno*, qui nullus plane est. Veruntamen, quod ita jubes, suas illi voces non reddam. In omnibus nummis Neapoleos in Epocha designanda, major numerus minorem præcedit, ut in nummis Paneados, Chalcidis,

ac

ac pluribus etiam Sebaſtes obſervavimus, ſecus ac in aliis Syriæ urbium nummis factum apparet. Itaque falſo obtruditur Epochæ Neapoleos ΠΡ, minori numero majorem præcedente. Præterea Harduinus contendit Epocham ΙΖ, ſi reapse ibidem notata eſſet, a ſeptimo Veſpaſiani imperantis anno colligendam eſſe, ut ille nummus juniorem Fauſtinam *Auguſtam* designare poſſit. At jam demonſtratum mihi eſt, Fauſtinam quindecim annis, & quod excutrit, ante maritum M. Aurelium *Auguſta* titulum tuliſſe. Denique minus recte negat Epocham Neapoleos initium ab imperio Veſpaſiani cepiſſe, quod ab illo *vastaſta Judæa omnis eſt, nedum inſtaurata*. Nam Neapolis non erat in Judæa, ſed in Samaria, quæ provincia jam inde ab extructo templo in monte Garizin, odia & contentiones cum Judæis exercebat, ut ſæpe Joſephus narrat lib. 11 cap. 4 & ult. lib. 20 cap. 5, & alibi. Hinc mulier Samaritana Joannis IV, 9 Chriſto Domino dicebat: *Quomodo tu Judæus cum ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? Non enim contantur Judæi Samaritanis*. Mortuo Herode, cum Judæi ubique tumultus darent, Samaritani in officio erga Romanos quieti permansiſerunt; unde ab Auguſto quarta eiſdem tributorum pars remiſſa fuit, ex Joſepho lib. 17 cap. 13. Initio autem belli ſub Nerone; Judæi in Sebaſtem Samariæ metropolim impetum fecerunt, ex eodem lib. 2 de bello cap. 19. Etenim Sebaſteni in exercitu Romano militabant, ut ſuperiori paragrapho oſtendi. Idem vero Joſephus lib. 5 cap. 4 narrat, Veſpaſianum anno primo belli Judaici cum legionibus per Samaritidem & per Neapolim, *quæ Mabartba dicebatur*, Hieroſolyma moviſſe. Neque ullum Samariæ oppidum a Veſpaſiano expugnatum Joſephus memorat. Quamvis vero ſub initium belli, uti prænotavi, Cerealis Samaritanorum undecim millia in monte Garizin interfecit, paucorum ea conſpiratio fuit, quos proxime rebellantium Judæorum furor ad arma conciverat; eorumque nece pacata poſtea provincia fuit. Hoc ipſum *Flavium* cognomen a Neapolitanis aſſumptum oſtendit; ex illo enim ejus urbis cives a victore Tito beneficiis ornati intelliguntur, vel ſaltem eo cognomine, adulationis gratia urbis indito, ſuum erga imperantem familiam obſequium

testatum voluere, cum universa Judæa captis, aut excisis oppidis, in servitutem redacta fuisset. Verum haud necesse est verborum jacturam facere, cum ex tot expositis nummis constet, Epocham Neapoleos sub initium fere imperii Vespasiani institutam fuisse, cum primum civitas *Flavium* cognomen accepit. Eadem postea in honorem M. Aurelii Antonini Caracallæ alterum AVRELIAE cognomen priori *Flavio* addidit, ut ex reginæ Christinæ ac fere simili Mediceo numismate demonstravi. Antoninus-Elagabalus eandem coloniam fecit, cujus nummos V. C. amicus noster Joannes Vaillantius in volumine de Colonis publicabit. Ejusdem civitatis Episcopi in vetustis monumentis occurrunt; erat enim intra diocesim Metropolitæ primæ Palæstinæ. In Concilio Hierosolymitano sub Joanne Patriarcha A. Christi 518, inserto Act. V Synodi C-P. sub Menna, nominatur Procopius Episcopus *Neapolitain* *Neapolitarum*; & in altero sub Petro Patriarcha Hierosolymorum anno Christi 536 Joannes Episcopus *Νέας πόλεως Νεαπόλις*. Procopius lib. 5 de ædif. Justiniani laudat Therebinthium Episcopum Neapoleos in Palæstina a Samaritis, Zenone imperante, non uno vulnere debilitatum. Cyrillus Scythopolitanus cap. 92 de vita S. Sabbæ, narrat Samaritanos, Juliano ipsorum populari rege creato, in Christianos circa Neapolim defecisse, ejus urbis Episcopo occiso. Scriptores quoque belli sacri Hierosolymitani plura apud eandem urbem gesta recensent. Vuillelmus Tyrius Archiepiscopus lib. 12 cap. 13 recitat Synodum *apud Neapolim urbem Samaria* celebratam a Gueremundo Patriarcha A. Christi 1120, præsentem regem Balduino. Hac ætate vulgo *Naplosa* nuncupatur; cum universa Syria Turcarum tyrannide oppressa, quæ olim fuerit, ex vetustis nummis intelligitur.

CAP V T VI.

EPOCHA TIBERIADOS.

Tiberias ab Herode Antipa rege condita. Ejusdem situs. Metropolis Galilææ. Eadem Claudia ab Agrippa rege appellata. Aqua calide apud Tiberiada in ejusdem nummis obsignata. Eusebii de anno

anno condita ejus urbis testimonium expenditur. Nummi Trajani & Hadriani ibidem sculpti, quorum Epocha exponitur. Quo mense Trajanus ab Imperatore Nerva sit adoptatus. Literam L in nummis Annum designare ex Tiberiados nummis evidenter contra Scaligerum demonstratur. Templum ΑΔΡΙΑΝΕΙΟΝ Tiberiade. Diocæsarea Palaestina antea Sepphoris appellata, Tiberiados emula, quæ & Hadrianæ cognomen adsumpsit. Judeorum strages & excidium.

P Tolemaeus Tiberiadem in Palaestina collocat, ubi Gadara nec integris octo milliariis inde distantem urbem, in Cœle Syria recenset; quod ad hanc pertinebat regio ultra lacum Genesareticum. Josephus in libro de sui ipsius vita, Justum Tiberiensem confutans, ait: *Tua vero, Juste, patria sita ad lacum Genesareticum, & distans ab Hippos triginta stadiis, sexaginta a Gadara, a Scythopoli centum viginti, oppidis ditionis regia &c.* nempe Agrippæ junioris. Hieronymus in lib. de locis Hebraicis scribit: *Sunt itaque in ipso Aulone, id est, valle campestri, urbes nobiles Scythopolis, Tiberias stagnumque propter eam &c.* Idem vero Josephus lib. 3 belli cap. 17 ait Tiberiadem sub monte sitam ad oram lacus Genesaretici, qui in Evangelio Joannis cap. VI & XXI mare Tiberiadis nuncupatur. Hæc urbs, teste D. Hieronymo in cap. 48 Ezechielis, *Cbenereth* antiquitus dicebatur; novi vero nominis auctorem prodit laudatus Scriptor Hebræus lib. 18 Antiq. cap. 3 de Herode Antipa scribens: *Herodes porro tetrarcha receptus in amicitiam Tiberii, de ejusdem nomine urbem abs se conditam vocavit Tiberiada, electo ad hoc optimo agro Galilææ, in ora lacus Genesaretici, unde non longe apud Emauntem vicum sunt aqua calida.* Equidem Herodes, exteris ac provincialibus multis immunitatibus ad novam urbem frequentandam allectis, eandem totius Galilææ metropolim fecit. Herode postea Lugdunum in exilium a Cajo Cæsare misso, paulo post Agrippa senior, Herodis Magni nepos, Tiberiadem cum Galilæa ab eodem Cajo accepit, uti idemmet Agrippa testatur in epistola ad Cajum Augustum, quam recitat Philo in libro de legatione ad eundem Imperatorem. Idem tradit Josephus in libro de vita sua ac libro 19 Antiq. cap. ult. qui ibidem

dem etiam cap. 7 narrat ab eodem rege Agrippa, imperante Claudio, apud Tiberiadem eximia pompa quinque reges una simul hospitio exceptos; nempe Antiochum Commagenes, Sampficeranum Emesenorum, Corym minoris Armeniæ, Polenionem Ponti, ac fratrem Herodem Chalcidis, quibus postea supervenit Vibius Marfus Præses Syriæ; erat enim etiam tum Tiberias totius Galilææ metropolis. Verum mortuo Agrippa, cum ejusdem filius Agrippa partem Galilææ, in qua erant Tiberias, Tarichæa, & Julias, a Nerone accepisset, ex Josepho lib. 20 capite 5 Romani jus ac dignitatem metropoleos Galilææ Sepphorim transtulerunt; unde diuturniores postea inter utramque urbem rixæ & odia exarsere, quæ fufius describit Josephus in libro de vita sua; qui etiam lib. 2 belli cap. 27 narrat se, cum bello Judaico Galilææ cum imperio præfisset, capta dolosa arte Tiberiade, inde oranem curiam, *quæ sexcentos haberet viros*, alio deportasse.

Eusebius in Chronico ad annum III Olympiadis CCI, qui coepit per ætatem A. V. Romæ 780, Æræ Christi 27, ait: *Herodes Tiberiadem condidit & Livriadem.* Epocha Tiberiadis in quibusdam Trajani nummis in Cimeliis Regis Christianissimi scalptra est, quorum bina ectypa ab insigni viro Petro Rainfantio eorundem Custode accepi. Comes etiam Mediobarbus, quæ singularis ejusdem erga me humanitas ac beneficentia est, e suo Musco ipsummet æreum nummum misit, alteri regio simillimum.




Anticæ partis Inscriptio Latine vertitur: *Imperator Caesar Nerva Trajanus Augustus Germanicus*; posticæ verò: ΚΑΤΑΙ Ο ΤΙΒΕΡΙΩΝ. *Claudio-Tiberiensum. A. LXXXI.* Harduinus ex alienis scriptis erroream

neam epigraphem obtrudit pag. 498: *TIBEPION. ENI KAATAIOI*; *Tiberiensem. Sub Claudio Pratore*; civitatis cognomine in pratoris nomen perperam commutato. Cum Claudius, occiso Caligula, a militibus ad imperium raptus, de eodem acceptando, Senatu repugnante, dubitaret, Agrippa tunc Romæ degens, eundem ad Augusteam sedem occupandam animavit, uti fufius narrat Josephus lib. 19 cap. 3. Hinc Claudius Agrippam amplioris regni additione ditavit; traditis eidem Judæa, Galilæa, ac Samaria. Quare Agrippa in regnum reversus, quo benefici Principis nomen quopiam apud subditos monumento celebraret, Tiberiadi Galilææ metropoli *Claudia* cognomen imposuit. In primo nummo Fortuna cum solitis symbolis copiæ cornu, ac temonis, pedæque proram navis premens, visitur. In altero scalpita est Hygia, five Dea Salus cum serpente, sedens super montem, ex cujus infimis radicibus largi fontes erumpunt, quibus salubria Tiberiensem balnea indicantur. Plinius lib. 5 cap. 15 scribit lacum Genesaram cingi *ab Occidente Tiberiade aquis calidis salubri*. Josephus in libro de vita sua narrat, se, cum Galilææ præfesset, rogatum fuisse a Joanne Gischalensi, homine sibi semper infesto ac fraudulento, ut sibi permetteret, *valetudinis causa, apud Tiberiada foveri aquis calidis*. Et lib. 4 belli cap. 1 scribit Vespasianum, Ammaunte profectum, ante Tiberiadem castra posuisse, additque: *Ammaus autem, si quis nomen interpretetur, aqua calida vocantur; ibi enim fons est sanandis vitis corporis idoneus*. Hic salubrium aquarum fons in agro Tiberiensi cum Hygia in laudato nummo designatur.

Annus Epochæ Tiberiensem LXXXI in utroque nummo expressus, si a condita Tiberiade juxta Eusebium anno tertio Olympiadis 201, urbis Romæ 780, ea annorum summa colligatur, concurrat cum A. V. Romæ 861 ac undecimo imperii Trajani. Scaliger tamen in notis Eusebianis num. 2041 putat Eusebium divinasse annum, quo Paneas, itemque Tiberias ac Livias a Tetrarchis Judæorum conditæ fuerint; unde Tiberiadem initio imperii Tiberii Cæsaris extructam existimat. Et sane cum Eusebius falsus fuerit in designando anno extructæ a Philippo Tetrarcha Paneados, ut ostendi Dissert. IV cap. 5 § 4, suspicari jure possumus

mus eundem in statuendo quoque initio Tiberiadis aberrasse. Nec plane desunt quæ locum faciant suspitioni. Nam Trajanus in neutro nummo *Dacici* titulo decoratur, sed tantum Germanicus inscribitur. Quare iidem nummi scalpti videntur ante A. V. Romæ 876, quo a Senatu *Dacici* cognomen accepit, quocum postea in lapidum ac nummorum Inscriptionibus legitur; ac proinde initium Epochæ Tiberiadis ante A. V. Romæ 775 statuendum esse videtur. Hoc ipsum non obscure colligitur ex iis quæ Josephus narrat de laudato superius rege Agrippa. Nam lib. 18 Antiq. cap. 8 scribit, eundem adhuc privatum, cum Romæ familiaris cum Druso Cæsare Tiberii Augusti filio versaretur, profusa in ejusdem Cæsaris liberos liberalitate ad inopiam redactum fuisse; ac Druso postea Sejani insidiis, veneno sublato, a Tiberii conspectu exclusum, ne eo viso, amissi filii desiderium in Principe, qui Agrippæ cum Druso amicitiam norat, recrudesceret. Hinc Agrippa inopia etiam cogente, in Judæam reversus, ac in Malatha Idumææ castrum se recipiens, de vita abrumpenda desperato consilio agitabat. Verum, inquit Josephus, *accesitus a sorore ejusque conjuge, jussus est habitare Tiberiade, assignata pecunia, unde viveret, & magistratu ejus civitatis in eum collato, quo esset honoratior.* Ita rex Herodes Antipas Agrippam nepotem delato urbis abs se recens amplioribus ædificiis & incolarum numero auctæ, ac de nomine imperantis Tiberii appellatæ, magistratu honoravit. At Drusus periit A. V. Romæ 776 ex lib. 4 Ann. Taciti; unde si dicatur Agrippa anno proximo in Judæam reversus, ac post haud diuturniorem apud Malatha moram, ab Herode rege patruo cum honore Tiberiadem missus, hæc certe civitas ante annum urbis Romæ 776 condita fuisse videtur. Cum vero annus Epochæ Tiberiadis 81 in Trajani nummis, & rursus annus ejusdem Æræ 101 in pluribus Hadriani signentur, haud improbabili conjectura colligimus, eos nummos initio principatus utriusque Augusti percussos fuisse; cum præsertim Trajanus absque titulo *Dacici* in iisdem legatur. Hoc ex aliis etiam nummis, quorum ectypa ab eruditissimo Equite Patino accepi, palam ostenditur.



Prior nummus, teste eodem Patino, Trajani effigie obsignatur, cuius tamen anterioris partis epigraphem, quam maxime optabam, non adjecit; quod plerique Antiquarii averse tantum partis nummorum symbola ac inscriptiones variis in Cimeliis sibi observatas excubunt; qua plane methodo idem Patinus Cæsarum numismata evulgaverat; cum tamen ex titulis Augustorum, in priori parte obsignatis, pleraque ad exactam nummorum notitiam habendam sæpissime colligantur. Epigraphæ in nummis delineatis eadem legitur: ΚΑΥΤΑΙ Ο ΤΙΒΕΡΙΩΝ, *Claudio-Tiberiensium*, uti in aliis legimus: ΑΔΡΙΑΝΟΘΗΡΕΙΩΝ, *Hadrianotiberitarum*. In priori nummo sculpta est Astarte Syrorum Dea, veste succincta, dextera caput Osiridis præferens, uti p. 393 prænotavi; sinistra sceptrum oblongum tenet, ac pede proram navis premit. Alter nummus uti & tertius sunt Hadriani. In horum priori visitur figura Fortunæ, uti in exposito superius Trajani numismate. In altero vero sculpta est anchora, qua frequentata a Tiberiensibus ars nautica indicatur. Josephus in libro de vita sua narrat, se a Senatu Hierosolymitano in Galilæam cum imperio missum, Tiberiadem perrexisse, ad diruendum Herodis regis palatium, quod ornatum erat pictis diversorum animalium figuris, quæ Hebræorum lege vetabantur. Cum vero plerique regiarum ædium demolitioni obfisterent, *Jesus*, inquit, *Saphia filius, nautarum & inopum factionis dux*, assumpta non modica Galilæorum manu, palatium incendit. Ita major incolarum pars nauticam ibidem artem exercebat. In Evangelio Joannis VI, 23 legitur: *Alia vero superbuenerunt naves*

naves a Tiberiade. Erant parvæ cymbæ, quibus in lacu Genesaretico utebantur. Idem Josephus lib. 2 belli cap. 27 scribit se cum ducentis ac triginta scaphis, in quarum singulis sine ullo milite quaterni tantum nautæ erant, Tiberiadem navigasse, ac cives armatæ classis specie perterrefactos urbem dedidisse. Hinc navis etiam in Tiberiensium nummis obsignatur.



Extat hic nummus in scriniis amici nostri Josephi Magnavaccæ Bononiensis. Anterior epigraphe Latine vertitur: *Imperatori Trajano Hadriano Cesari Augusto.* In averſa parte legitur: *TIBE. KAAV. Tiberiensium Claudiorum.* Insignit nummum Epochæ L. AP, *Anno centesimo primo.* Enimvero si in Trajani nummo proxime recitato reapse signata sit Epochæ Tiberiadis E. T. AP. cum idem annus sculptus etiam sit in tribus Hadriani nummis, quos exhibui, ejusdem Epochæ exordium deducendum videtur a verna tempestate A. V. Romæ a paſſibus 770, tertio principatus Tiberii, C. Cœlio Rufo, L. Pomponio Flacco Consulibus. Nam annus abhinc centesimus exiit A. V. Romæ 870, quo circa ver iniit centesimus primus, quo labente sub initium Augusti Trajano defuncto, Hadrianus die 11 Augusti imperium capeſſivit. Dies Natales urbium erant civibus solemnes; ita Romani diem XI Kal. Maji, Antiochenſes diem 22 Artemiſii, quibus Roma & Antiochia conditæ fuerant, annua pompa celebrabant. Cicero in priori epistola libri 4 ad Atticum scribit, se Nonis Sextilibus Brundisium appuisse die Natali suæ Tulliolar, qui casu idem natalis erat & Brundisina colonia. Annos vero a conditu coloniarum & municipiorum in publicis urbium Fastis numerari solitos prodit vetus epigramma Gruteri pag. 113.

GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST
INTERAMNAM CONDITAM.

DCCIII. AD. CN. DOMITIVM

COS.

AHENOBARBV...

Domitius Ahenobarbus fuit Consul A. V. 785 collega M. Furio Camillo Scriboniano, ob rebellionem postea e Fastis eraso. Ita Tiberienses in nummis annos non quidem civiles, quos cum ceteris Syris ab autumnno auspicabantur, sed a Tiberiade condita, ante æstatem initos, obsignabant. Nam anni LXXXI & CI, in Trajani nummis ibidem scalptis, initium Epochæ ante æstatem indicant. Si eam Æra laudata inisset ab autumnno A. V. Romæ 769, annus ejusdem abhinc octogesimus primus exisset circa Octobrem A. V. Romæ 850, Trajano nondum a Nerva in imperii confortium adscito; quod tamen contigit eodem anno sub initium Novembris. Aurelius Victor scribit Nervam *tribus mensibus* post Trajanum adoptatum fuisse superstitem, qui obiit die 28 Januarii. Plinius vero in panegyrico versus finem, ad Trajanum ait: *Nam quæ cum potissimum mensem attribueris*, videlicet suffecti consularis, quem tuus Natalis exornat, *quam pulchrum nobis, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio latam, qui principem abstulit pessimum*, nempe Domitianum, qui ex Suetonio cap. 17 occisus fuit XIV Kal. Octobris: *dedis optimum*, Nervam, *melio-rem optimo genit*, ipsum scilicet Trajanum, qui natus erat eadem die 18 Septembris, ex Plinii epistolis ac veteri Kalendario. Cum vero Plinius fuerit Consul bimestris a Kalend. Septembris ad pridie Kal. Novembris, quo ineunte mense, succedere bimestres Consules L. Roscius Ælianus, & Tib. Claudius Sacerdos, ex veteri Inscriptione apud Fabretum pag. 273 eruditi Syntagmaris de Columna Trajani, patet Trajani adoptionem post Octobrem contigisse; alias Plinius diem quoque Natalem imperii ejusdem Principis sibi Consuli celebrandum esse dixisset, geminosque Trajani Natales laudasset; cum ille una cum adoptione Cæsaris ac Imperatoris titulos, simulque Tribuniciam potestatem acceperit. Spartianus cap. 4 de Hadriano ait: *Quinta Iduum Augusti die les-*

Bbbb

gatus

gatus Syria literas adoptionis accepit, quando & Natalem adoptionis celebrari iussit. Quare eiusdem etiam decessor diem adoptionis annua solemnitate peragebat, quæ ex collatis Plinii ac Aurelii Victoris testimoniis sub initium Novembris contigit. Rursus Epochæ Tiberiadis nequit dici cœpta ab autumno anni proximi urbis Romæ 770, quia eiusdem annus 101, in nummo Trajani signatus, initium duxisset ab autumno A.V. 870. Trajano jam sub initium Augusti vita defuncto, ac Hadriano ab A.D. III Idum ejus mensis rem Romanam administrante. Hæc quidem fateor me, suspensio calamo scribere; valde enim suspicor eum nummum, in quo legitur Epochæ L. AP, non Trajani esse, sed Hadriani; vel si reapse Trajani sit, Epocham alteram notam non P sed II designari, ut in his, quos vidi, nummis scalpæ est. Ne vero omnem eadem nummo fidem abrogem, facit tum viri nummaria eruditione celeberrimi testimonium; tum etiam quod urbes Syriæ novi Principis Hadriani, qui in eadem provincia Legatum agens, Imperator creatus fuerat, gratiam certatim sibi conciliaturæ, nummos statim in illius honorem percusserunt, quod Tripolitas, Dorientes, aliosque fecisse monstravimus. Hinc si nummi Tiberiadis, qui & plures & variis symbolis obsignati Epocham præferunt AP, anno centesimo primo, percussi ibidem sunt A.V. Romæ 870, quo Hadrianus in Syria imperium accepit, nummi Trajani cum Epochæ A II, anno LXXXI, cusi sunt anno urbis Romæ 851 eodemque primo imperii Trajani, ita ut laudata Æra initium duxerit a verina tempestate A.V. 770.

Cum in nummis Tiberiadis anni ejusdem Epochæ ita scalpæ legantur: ET. AP. & rursus L. AP. invictum ex iisdem testimonium elicimus ad Scaligeri opinionem iterum validissime confundendam, imo & penitus profligandam; qua scilicet idem imaginatur literam L, in nummis Græcorum ante notas numerales obsignatam, aliud quid præter annos, nempe lustra significare. Nam in nummis Tiberiadis cum effigie Hadriani legitur: ET. AP, ubi syllaba prior ET, id est *ἐτη*, anni nota est, ut omnes norunt. At in altero delineato Hadriani nummo Tiberiade pariter scalpæ, eidem omnino Epochæ AP præponitur litera L, quam vicem ET gere-

gerere, annumque idem significare nemo plane negare potest. Scaliger literam L pro *Lustrum* accipiendam contendit. At imperante Hadriano numerabatur a conditu Tiberiadis ET. AP, *annus centesimus primus*; qui igitur fieri potest, ut notis L. AP, lustrum centesimum primum indicetur, quod inisset post annos quingentos, quorum quadringenti Natalem Tiberiadis præcessissent? Harduinus pag. 608 scribit literam L *Λυκάβαρτα*, id est, *annum* significare, additque: *Sed Romanam potius literam adscribere quam Græcam, tum forte ut iis adularentur, quorum induere mores ex parte aliqua videri vellent.* Verum jam superius pag. 365. ex vetustissima Inscriptione Atheniensi, aliisque Gruteri pag. 27 (non 20 ut ibidem Typographus excudit) ostendi literam L loco Λ a Græcis adhibitam fuisse. Rursus pag. 74 nummum protuli Demetrii Soteris imagine a Tyriis obsignatum cum Epochā L. HNP, *anno 158*, qui cœpit ab autumno A. V. Romæ 599. Næ Tyrrii in regno Seleucidarum mores Romanorum induere simulabant? Idem tamen Vir clarissimus alteram, & quidem probabiliorem, loco Λ positæ literæ L rationem adducit, ne scilicet annorum numerus confunderetur. Nam si annum centesimum ita obsignassent AP, hisce notis annus CXXX indicatus putari potuisset, magno rei Chronologicæ dispendio. Scio media inter utramque notam inserta interpunctione veros numeros designari. At monetarii non semel in nummis singulas numerales notas interpunctione distinguebant, ut patet in nummo Domitiani pag. 438 hujus Operis delineato, ac in Inscriptione Gruteri pag. 86 num. 8.

In Museo Mauroceno ex pag. 119 indicis Patiniani servatur nummus Hadriani retrorsus inscriptus: TIBEP. ΚΑΛΑΤ. ET. AP. *Tiberiensium Claudiorum. Anno CI.* cum Idolo in templo. Nicolaus Bon alias mihi laudatus in indice MS. ejusdem Cimeliarchii scribit obsignatum in eo nummo Templum, *in quo sedet Imperator.* Hanc autem interpretationem probabilem reddunt quæ scribit S. Epiphanius ad Hæresim XXX, quæ est Ebionitarum, ubi plura, quæ Tiberiade contigerant, enarrans, tradit fuisse ibidem *Templum maximum*, quod Tiberienses nuncupabant ΑΔΡΙΑΝΕΙΟΝ, *Hadrianion* Imperatori Hadriano dicatum, quod in laudato fortassis

nummo representatur. Nullus autem dubito, quin eo in templo ejusdem Hadriani statuam collocaverint. Si vero Epocha anni Tiberiadis centesimi primi cum initio principatus Hadriani concurrat, decretum tantummodo Hadriano templum, non autem jam extructum ibidem exprimitur. Interim ex Hadriano apud Tiberiadem in huic proximæ urbis nummi cognitionem venio. Nam Harduinus pag. 139 recitat Septimii Severi nummum retrorsus inscriptum: ΔΙΟΚΑΙΣΑΡΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ, *Diocæsariensium Hadrianorum*. Ibi vero notat duas a Scriptoribus Diocæsareas memorari, quarum una a Plinio ponitur in Cappadocia, quam in ejusdem Cappadociæ præfectura Gaufaria collocat lib. 5 Ptolemæus, qui alteram Diocæsaream recenset in Phrygia ibidem cap. 11, quam, inquit Harduinus, *signari hoc nummo verius crediderim*. Verum tertia Diocæsarea huic Geographo notanda erat apud eundem Ptolemæum in Selentide Ciliciæ, quæ in monumentis Ecclesiasticis in Isauria collocatur. Extant inter Epistolas Patrum editas a summo viro Christiano Lupo, cap. 214 literæ Acacii Melitenensis, & aliæ cap. 215 S. Cyrilli *ad Successum Episcopum Diocæsareæ Isauriæ provincie*. Huic successit Joannes, qui Act. III Synodi Calchedonensis dicitur Episcopus Διοκαιοαρείας τῆς Ἰσαυρίας, *Diocæsareæ Isauriæ*; cui vita defuncto substitutus fuit Hermophilus, qui *Diocæsareæ* Episcopus vocatur in Synodica Antistitum Isauriæ ad Leonem Imperatorem 3 par. laudatæ Synodi cap. 39. Præterea quartam habemus Diocæsaream in Palæstina a Christianis Scriptoribus memoratam. Nam Socrates lib. 2 cap. 27 narrat Judæos, qui *Diocæsaream in Palæstina incolebant*, arma contra Romanos sumpsisse, quos cum Gallus Cæsar profligasset, *urbem Diocæsaream solo æquari mandavit*. Eandem postea restauratam sæpe nominat D. Hieronymus in libro de locis Hebraicis, qui tomo tertio insertus est. Idem in prologo ad Jonam prophetam ait: *Porro Geth in secundo Sepphorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea, euntibus Tiberiadem, baud grandis est viculus*. Adrichomius pag. 22 de Geth scribit: *etate D. Hieronymi vocabatur Diocæsarea. Alias Antbedon & Agrippias dicitur*. Quæ repetit alter insignis Geographus amicus meus, & antea idem scripserat Scaliger in notis

Eu-

Eusebianis num. 2368. Sed plane errant, dum verba Hieronymi: *qua hodie appellatur Diocæsarea*, ad urbem Geth referunt; quæ dubio procul ad proxime eidem appellatam Sepphorim spectant. Idem S. Doctor in libro de locis Hebraicis lit. C ait: *Appellatur autem & quidam vicus Casalus juxta montem Thabor in campestribus, in octavo milliario Diocæsarea*. Et in voce *Dabira*, ait: *Est autem & alia villula Judæorum in monte Thabor, regionis ad Diocæsaream pertinentis*. At mons Thabor erat in Galilæa longius ab urbe Geth olim una ex quinque satrapiis Philistinorum, quæ postea Anthedon, ac deinde ab Herode de cognomine Marti Agrippæ, Agrippias dicta fuit. Itaque duo priores memorati Geographi urbem Geth in maritima Palæstina, quæ postea Anthedon dicta fuit inter Raphiam & Gazam, cum Geth *haud grandi viculo Galilææ in secundo Sepphorim milliario*, uti scribit Hieronymus, confundunt. In fragmento veteris Notitiæ pag. 5 apud Carolum a S. Paulo nominantur in secunda Palæstina junctim urbes *Diocæsarea, Tiberias*; in tertia vero Palæstina *Anthedon* recensetur. Et in Synodo Hierosolymitana A. C. 536 sub Petro Patriarcha Hierosolymorum, leguntur subscripti Cyriacus Episcopus *Diocæsarea*, & Dorotheus Episcopus *Anthedonis*. Quæ non observantes idem Carolus a S. Paulo p. 316, & Holstenius in notis ad eundem p. 203, sedem Episcopalem Diocæsareæ in Palæstina Secunda omiserunt. S. Epiphanius loco memorato ad Heresim XXX Ebionitarum, scribit sub initium imperii Constantini in quibusdam Galilææ urbibus neque Christianos neque Paganos degisse, sed solummodo Judæos; *Et hoc*, inquit, *maxime in Tiberiade, & in Diocæsarea, quæ & Sepphoris appellatur*. Græce legitur, *ἐν Διοκασαρείᾳ τῇ καὶ Σεπφόρι*. Vbi postremam hanc vocem Hebræorum more extulit. Ita etiam Hieronymus lib. cit. V. *Araba*; ait: *Porro est & alia villa Araba nomine in finibus Diocæsareæ, quæ olim Sepphorine dicebatur*. Egesippus lib. 1 cap. 30 exscribens de more Latio sermone verba Josephi lib. 14 cap. 27 laudat *Sepphorim prisce vocatam nomine, quam Diocæsaream postea nuncuparunt*. Ad hanc Diocæsaream in Palæstina laudatum nummum referendum censeo. Nam Josepho in libro de vita sua *urbium Galilæarum maxima Sepphoris & Tiberias*

appellantur; ubi fufius contentiones inter utramque urbem ob dignitatem metropoleos Galilææ post donatam Agrippæ juniori a Nerone Tiberiadem, a Felice Procuratore provinciæ Sepphorim translaram, recenſet. Quare uti Tiberienſes ſua in urbe in honorem Hadriani maximum templum *Hadrianion* extruxerunt; ita & Sepphoreni Tiberienſes æmulati, ſuam patriam, veteri nomine antiquato, *Diocaſaream Hadrianam* appellarunt. Harduinus pag. 449 laudat e regiis Cimeliis Trajani nummum retroſus inſcriptum: *CEΠΦΟΡΗΝΩΝ Sepphorenorum*. Quare Sepphoris ſub Trajani ſucceſſore Hadriano dicta primum fuit *Diocaſarea Hadriana*. Vtraque vero urbs eos Hadriano honores detulit, quod cum a rebellantibus Judæis, qui Syris permixti Galilææ urbes incolabant, clades ac gravia incommoda & pericula ſuſcepiſſent, iſdem Judæis non uno prælio a legatis Hadriani proſtigatis, quietem tandem acceperant, uti teſtantur Eufebius in *Chronico*, ac lib. 4 *Hiſt. Eccl. cap. 6*, & D. Hieronymus in cap. 9. *Danielis*. Dio in Hadriano ſcribit caſa fuiſſe quingenta octoginta millia Judæorum, vicis eorundem nobilioribus nongentis octoginta quinque funditus everſis, *ita ut omnis pene Judæa deſerta relicta fuerit*. Sed gens patrii ſoli amantiſſima avitas regiones repetiit, ita ut expulſis ſucceſſu temporum Syris Tiberiadem ac Diocaſaream ſoli poſtea Judæi inhabitarent, ut ex S. Epiphanio dicebam. Tiberias Saracenis poſtea Palæſtinam occupantibus *Tabaria* dicta eſt, quam rex Gothofredus, barbaris e Hieroſolymorum regno expulſis, Tancredus, cujus in ſacrâ illa expeditione ſuprà ceteros virtus enituit, cum univerſo Galilææ principatu donavit.

Hoc Opus de Anno & Epochis Syromacedonum abſolvi Florentiæ, Anno *Æræ* Chriſti Domini MDCLXXXVII, die XXIX Auguſti, Natali meo LVII, juxta Antiochenos in Syria die 29 Loi; juxta Tyrios in Phœnice Loi decima; juxta Gazenſes in Palæſtina Gorpiæ ſexta, Feria VI, Luna XXII, Cyclo Solis ac Lunæ pariter XVI, litera Juliana B, Gregoriana E, ſub exitum Indictionis X Conſtantinianæ.

Anno

Anno Periodi Julianæ	6400.
Anno Urbis Romæ Varroniano	2440.
Anno a regno Macedonum in Syria	2019.
Anno Seleucidarum quietiam Emesenorum, Tripolitarum, Damascenorum, Apamensium, Edessenorum, & Palmyrenorum	1998.
Anno Aradiorum	1945.
Anno Tyrionum	1812.
Anno Sidoniorum	1797.
Anno Seleucensium	1795.
Anno Ascalonitarum	1790.
Anno Gadarensium	1750.
Anno Philadelphensium	1749.
Anno Gazensium	1747.
Anno Antiochenorum	1735.
Anno Laodicensium	1734.
Anno ab imperio Augusti in Syria	1717.
Anno Sebastenorum in Samaria	1711.
Anno Neapolitarum in Samaria	1617.
Anno Chalcidensium	1595.
Sub auspiciis Serenissimi Magni Ducis COSMI III, Pii, Felicis, Optimi Principis, cujus in Etruria imperii hic Annus ex A. D. IX Kal. Junii decimus octavus feliciter agitur.	

Auctoris ad Librum Tetrastichon.

*Præsea Seleuciadum quod prodere Tempora NORIS,
Nil prodest; Tempus proditor omne rapit.
Illustras Tempus, nec sis tibi Tempus amicum.
Edis qui Tempus, te quoque Tempus edet.*

F I N I S.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.

- A** Bgari Phylarchi & reges Edessa recensiti pag. 708. seq.
 Acarassus urbs Lyciæ. Acrasus Lydiæ 486
 Adadus Damasci rex, ejusque posteridiu ibidem regnantes 88
 Adana urbs Ciliciæ cum Tarfenibus litigat 371. *Hadriana* cognominata in nummis 377. Sub Cæsaribus in vicum non transit 379
 Adonis filius Cynetæ regis Bybli 467. In Syria cultus 242. Thamuz a Syris appellatus, uti ab eodem etiam mensis 238. Adonia sacra quomense celebrata. Ibid.
 Agæ urbs Ciliciæ Macrinopolis dicta 375. f. alia de nominibus Cæsarum illius cognomina 378. Epochæ ejusdem. Ibid.
 Ægyptiorum annus vagus, alter fixus 242. Anni vagi cum Justinis comparati 227. Anni fixi diagramma 480. Ante initium anni diem intercalabant 23. Epocham Augustanam instituunt 251. Rursus aliam ab imperio Diocletiani 206. Idem illorum initium cum anno civili a mense Thoth. Ibid.
 Ælia Capitolina nunquam fuit Municipium 326
 Æquinoctia quibus diebus a Julio Cæsare affixa 15. f. Eorundem annua præcessio 16
 Agon quinquennalis Tyri 74
 Agrippæ adhuc privati infelicitas 556
 Gerit magistratum apud Tiberiada. Ibid. Fit Rex Judæorum 555.
 Ab Alexandrinis irrisus 494. Nuncupat *Claudius* urbem Gabem 460. & Tiberiada 555. Quinque simul Reges Tiberiade excipit 554. Ejusdem regnum auctum a Claudio Augusto 555
 Agrippa junior fit rex Chalcidis 319. Ejusdem nummus 319. Pancadi *Nettoniadæ* nomen imponit 442. Plures urbes obtinet a Nerone 554
 Alexander Magnus varias nomen mensis 39. & numerum dierum in mense 7. Aram dicat Jovi Botticeo ad Orontem 150. Quo mense ac die obiit 7
 Alexandri regis Syriæ initium 83. f. Otus filius Antiochi Epiphanis 426
 Alexander Jannæus rex Judæorum. Gazam evertit 492. Ptolemaidem obsidet 424
 Alexander Herodis Ascalonitæ pronepos, fit regulus Sebastes in Cilicia 137
 Alytarcha primus Pontifex Antiochiæ 258. Quot Alytarchæ, ac quamdiu ibi duraverint. Ibid. Ludis Olympicis præsidebant. Ibid.
 Anastasius qua die Imperator creatus 171. Hora obitus ejusdem 172
 Anazar-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Anazarbus de primatu in Cilicia cum Tarso contendit 370. seq. Ejusdem Epocha Augustana 370. Fit metropolis Ciliciæ secundæ ab Arcadio 372. Ejusd. nummus 374
 Annus initio apud omnes Lunaris 3.
 Apud Græcos erat dierum 360.
 Annus Macedonum ab autumno inchoabatur 17. Dies primus ejusdem mensis 3. Ab autumno etiam in Asia minori coëptus 13. & in Syria 38. seq. Anni Asianorum diagramma 22. Tyrionum 394. Gazensium 480. Annus Pompilianus Romæ qualis 193. Annus confusionis jussu Cæsaris quot dierum. 193. seq. Annus Arabum olim Solaris 91. Varia anni intercalatio. Vide Bissextilis. Anni Augustani Romæ 208. & Alexandria in Ægypto 207. f. 251. f.
 Antigoni victoriæ 68. Antigoniam ad Orontem condit 69. Occiditur. Ibid.
 Antiochi II regis Syriæ bella cum Ptolemæo Philadelpho 439
 Antiochus Magnus Seleuciam recuperat 266. Vincitur apud Raphiam 518. Iterum pugnans, vincit Ægyptios apud Panium 444. Coëlem Syriam ac Phœnicem occupat 467. Easdem nomine dotis fide promittit restituere Ptolemæo Epiphani 477. f.
 Antiochus Epiphanes recusat Coëlem Syriam regi Ægypti restituere 478. Ejusdem nummus exponitur 74. Alter 151. Deus a Samaritanis inscribitur 131. Epiphania urbs Syriæ

de ejusdem cognomine nuncupata 334
 Antiochus Eupator a Demetrio occisus 75. Nota temporis ejusdem literis appositæ, difficilis 77
 Antiochus Sidetes Triphonem apud Dora obsidet 454. f.
 Antiochi fratres Grypus ac Cyzicenus unde ita appellati 160. 268. Eorundem discordiæ Seleucidarum regno fatales 269. 424 & alibi. Pacem non duraturam quibus conditionibus inierint 423
 Antiochus Dionysius regnum Damasci occupat 89. Victor in proelio cadit. Ibid.
 Antiochus Asiaticus Syriæ regno a Pompejo exclusus 156
 Antiochus IV Epiphanes rex Commagenorum 127. f. Ejusdem nummus 128. Ciliciam Tracheam obtinet 134. a Cæcennio Patro Præfide Syriæ regno pellitur 132. Romam a Vespasiano evocatur. Ibid. Quot annos regnavit 136
 Antiochia a Seleuco auspiciato condita 150. Dies Natalis ejusdem. Ibid. Macedones, Græci, Hebræi coloni in eandem deducti 151. Antiochiæ terræ motus varii. Vide *terra motus*. Antiochiæ tituli 161. Posteriori ætate intra Coëlem Syriam censita 149. 276
 Antiocheni Tripolemm colunt 236
 Jovem Philium adorant 159. Tigranis nummi ab iisdem sculpti 157
 Dant obsides Pompejo. Ibid. Autonomiam ab eodem mercantur. Ibid. Inde novam urbis suæ Epocham
 Cccc

cham instituunt 158. Demetrium Pompeji libertum summo, Catonem nullo honore excipiunt 157. Scipioni gravissima tributa persolvunt 201. Victo Pompejo in partes statim Cæsaris transeunt 189. Ius ludorum Olympicorum ab Evidensibus emunt 229. Laodicensibus in viſi 251

Antiochenorum Epochæ Cæsariana 164. Aliæ adhuc cum annis Imperii Cæsaris junctæ 523. ſqq. Ob accepta a Cæsare beneficia decernitur 201. Cur ejusdem initium biennio ante deductum. Ibid. Initium ejus Epochæ demonstratur 164. ſ. Anni ejusdem ab autumno inchoati 171. 175. 208. ſ. A quo mense autumnali annus Antiochenorum inciperet 204. ſ. Valeſio perperam a Dio ſive Novembre inchoatur 232. ſ. Euagrius a Septembri ſive Gorpizio annum Antiochenorum exorditur 210. ſ. Alii Syri ab Octobri ſive Hyperberetæo illum inchoabant 192. Ex Epochæ Antiochena varii inſignium Scriptorum anachroniſmi commendantur 168. Nummi eadem obſignati 164. 177. 178. 179. 182. 186. Num Antiocheni habuerint annum ſacrum a civili diſtinctum 241

Antiocheni annos ab Imperio Auguſti in Syria in nummis obſignabant 247. ſ. Initium Æræ Auguſtanae ſtatuitur 251. Mortuo Auguſto eandem Æram in nummis ſcalpebant 253. Illam paulo poſt omiſerunt 263

Antiochia ad Hippum quæ urbis? 332. ſ. Eadem videtur quæ Hippus in Coele Syria 333. Ejusdem Epochæ in nummis Ibid.

Antoninus Caracalla quo anno creatus Auguſtus, Tribuniciam poteſtatem accepit 501. Conſulatum primum inſit in Syria 488. Quo anno Plautillam uxorem duxit. Ibid. Neapolitanis in Palaſtina Severum patrem placat 538. Illi de ejusdem nomine urbem *Aureliam* agnominant 539. Abgarum Edessa regno privat 109. Quo anno ætatis occiſus 489

Apamea Pella antea a Macedonibus appellata 85. Dein a Seleuco de nomine Apames uxoris nomen eidem impoſitum 79. Cæcilius Baſſus a legatis Cæsaris diutius ibidem obſeſſus 80. Fit Metropolis poſtea Syriæ Secundæ. Ibid. Æra Seleucidarum uſa 81. Agri Apamæni fertilitas 82. 86

Apollo apud Daphnem prope Antiochiam cultus 237. Annua illius ſolemnia integra hebdomadæ continuabantur. Ibid. Cur lucus ibidem illi a Seleuco ſacratus 151. Ejusdem templi combuſtionem deplorat Libanius a S. Joanne Chryſoſtomo irriſus 160. Apollo in nummis radiato, non vero diademato etiam capite ſcalptus 151

Arabum annus olim Solaris 91. Hegiræ hodiernæ eorundem initium. Vide *Hegira*. Coeleſyriam occupant 309. Cleopatrarum naves comburunt 250

Ara-

RERVM NOTABILIVM.

Aradus condita ab Arado pronepote Noe 431. Sidonii ab aliis ejusdem conditores putantur. Ibid. Reges Aradorum. Ibid. Maritimæ eorundem vires 432. Erat insula Phœnicio litori adjacens, & ejusdem magnitudo 431. Epocha Aradorum 433. f. Aradii omnium primi in Syria Æram Seleucidarum antiquarunt 439. Novæ ipsorum Epochæ origo indagatur 439. f. Rei publicæ formam induunt 441. Aradorum autonomia & libertas in sacris literis indicata. Ibid. urbs a Saracenis solo æquatur 433

Arce sita prope Tripolim 425. Patriæ Imperatoris Alexandri Severi. Ib. Ejusdem gentile. Ibid.

Arethusa a quonam condita & quoruplex? 338. Ejusdem Epocha Ib. Gentile 340

Aristidis loci expositi 15. 33. textus emendatus 107

APXIEPATIKON in nummis Antiochenis quidnam indicet 257. f.

Ascalo urbs Palæstinæ a quo condita 503. Vha quinque Philistinorum Satrapiis. Ibid. Ptolemæis, dein Seleucidis paruit 504. Judæis infesta. Ibid. De initio Epochæ ejusdem variæ opiniones 504. f. Verum illius exordium ostenditur. 505. Cur columbarum esus Ascalone vetitus 507. Navale Ascalonis 511. Derceto monstrosi corporis ibidem culta 512. Annum ab autumno inibat. Ibid. Seleucidarum imperium excutit 514. Herodes rex inde oriendus, urbem ædificiis ornat 515. Ejusdem Epocha 508. f.

Asia proconsularis. Macedonum in eadem coloniæ 11. Annum Macedonum recipit, quem init die 24 Septembris 2. 13 & 18. f. Anni quatuor cardines quibus diebus in Asia affixi 18. Diu Seleucidis paruit 12. f.

Asiarcha Pontifex Asiæ quomodo creatus 257. Munera edebat 262

Asylus locus sacer: ejusque immunitas ac privilegia 161

Augustus ab adulantibus *Deu'* appellatus 131. Dies victoriæ ejusdem Actiacæ 249. Syriam Antonio auferit 250. f. Inde anni imperii ejusdem in Syria numerati 251. Fit. Pontifex Maximus 259. In honorem ejusdem Pontificatus nummi ab Antiochenis scalpti. Ibid. Anni ab imperio ejusdem in Ægypto Alexandrinis numerati 251. Epochæ in honorem ejusdem institutæ. Vid. *Anni Augustani & Anazarvæ.*

Augusta urbs Ciliciæ a Sebaſte distincta 137

Augusti inter Deos a Provincialibus Samaritæ culti 526

Autonomia quantia Græcis fieret 158. Eandem urbes suis in nummis signabant 139. 158. 267. 324. 456. & alibi.

Axius fluvius prope Apamiam 85. Alius prope Pellam in Macedonia 86

Azizus rex Emesæ 94

Azymorum quinam dies appellati 49 B.

Baronii sententia de termino Palschali Judæorum refellitur 46. f. Cccc 2 Basi-

I N D E X

Basilii Patriarchæ Antiocheni tempus 215

Bellum Cæsaris in Epiro & Thessalia qua anni tempestate gestum 190. f. Berytus nomine tenus sit metropolis 400

Bissextilis annus quando a Cæsare institutus, & ab Augusto reparatus 176. Asiatici in fine anni; Ægyptii initio anni intercalabant 23. Bissextilium ordo ex tabula Paschali S. Hippolyti demonstratur 118. f. Julii Africani error de Bissextilium initio 176

Bithyniorum annus, ac quorundam mensium ejusdem nomina 19

Botrys urbs Phœnicum ab Ithobalo rege Tyri condita 463. Ab Antiocho Magno Seleucidarum regno addita. Ibid. Cum Betser perperam confunditur. Ibid. Ejusdem Epocha 464. Gentile 465. Helias Acephalus ibidem Episcopus Ibid.

Byblus in Phœnice a Saturno condita 466. Osiridis cadaver ibidem ab Ifide inventum fingitur. Ibid. Parebat regi Tyri. Ibid. Dein proprios reges habuit 467. Sacra Adonis annua ibid. acta 469. Epocha ejusdem urbis obscura. Ibid.

C.

Capitolias urbs novi nominis in Cœle Syria 325. Quidam ejusdem Episcopi laudati 327. Ejusdem Epocha Ibid.

Cappadocia duas in provincias a Valente Imperatore divisam 359. Ea nomen divisio non viderur statim a successoribus probata 360

Cassius mons prope Seleuciam, alius itidem Cassius prope Pelusium 236

Cassius Longinus Syriæ præses 179. Ejusdem nummus. Ibid. Fuit Consul susceptus 180. Josephus ac Tacitus de tempore magistratus ejusdem in Syria non discrepant 181. Ejusdem elogium 182

Catarractæ apud Edessam in Macedonia 100

Cato visendæ Antiochiæ cupidus, nullo honore ibidem exceptus 157. Antiochiam *miseram civitatem* vocat Ibid.

Cerealia qua die celebrata 56

Cæsennius Pætus Præses Syriæ 132. Antiochum regem Commagenes regno pellit. Ibid. Alter Cæsennius Pætus Proconsul Asiæ, cujus nummus exponitur 133

Cestii Galli præsidis Syriæ expeditio adversus Judæos juxta dierum numerum descripta 62. fqq.

Chalcis urbs Syriæ 316. Diu regulos habuit 316. f. Ejusdem situs 317. f. Epocha Chalcidis 320. *Flavium* cognomen adsumit 321. Gentile ejusdem urbis 322

Chaldæi mensium Macedonum nomina receperunt 9

Cherronesus Syriæ erat in agro Apameno 87. Cherronesus Sebaſtes in Cilicia 135

CHRISTVS Dominus natus Varo præside Syriam administrante 254

Chronicon Alexandrinum corrigitur 82. f. 172. 203. Lacuna ejusdem suppletur 195

Chronicon MS. Malelæ Antiocheni appel-

RERVM NOTABILIVM.

appellatur 150. 161. 173. 174. f. 179.
 195. 198. 207. 212. 229
 Cilicarcha Pontifex publicus Ciliciae.
 372. Munera sive ludos edebat
 Ibid.
 Cilicia una olim provincia 359. Plures ejusdem praesides numerati.
 Ibid. Ab Imperatore Arcadio in primam ac secundam dividitur 361.
 Annum Macedonum ac nomina mensum adhibet 379. Cilicia Trachea Archelao regi Cappadociae parebat 136. Eadem a Caio Caesare tradita Antiocho regi Commagenorum.
 Ibid.
 Claudius Augustus designatur Consul biennio antequam iniret magistratum 181
 Cleopatra ditionem Chalcidicam ab Antonio impetrat 319
 Coele Syria. Vide Syria.
 Coloniarum juris Italici quae 428. Quaedam in municipia demutatae 326.
 Macedonum plures in Asia 11. f.
 Commagenes reges quidam numerati 127. f. Fit a Tiberio Romana provincia 126. Iterum regnum a Caio & Claudio Augustis 134. Denique a Vespasiano imperii provinciis additur. Ibid. Commagenorum Epochae 138
 Constantinopolis dies Natalis 174
Post Consulatum, cujus anni nota, & quando primum inventa 404. f.
 Consulares juxta ordinem gesti consulatus, Africam & Asiam sortiebantur 133. 362
 Cymatius Episcopus Palti 529. f.

D.
 Damaſcus a quo condita 87. Regum Syriae sedes 88. Ab Assyriis destructa. Ibid. Seleucidis, dein Arabibus paruit 89. a Romanis occupatur. Ibid. Ab Hadriano Phoenici contribuitur 90. 354. Fit metropolis Phoenices secunda 90. 401. Epochae Seleucidarum utitur 91. Annus sexto Christi saeculo a vere ibidem inchoatus. Ibid.
 Daphne asylus prope Antiochiam 161. Ejusdem fabula 177 Cur ab Antiochenis culta? Ibid.
 Dathus mensis Cappadocum 14
 Decapolis Syriae 297
 Decur. Imp. praenomen *Cajus* 345. quo anno creatus Imperator 346. f. Num contra Persas profectus fuerit 350. f.
 Demetrius Athenas occupat 4. de ejusdem nomine dies ultima mensis *Demetrias* appellata. Ibid. Captus a Seleuco, in Cherronesum Syriae relegatur 86. f.
 Demetrii Gadarensis Pompeji liberti divitiae 157 298
 Derceto monstri corporis Ascalone culta 512
 Diana venatrix in nummis 503. 519. Item & multimammia in aliis nummis 545
 Diocæsarea urbs Palaestinae 562. antea Sepphoris appellata. Ibid. Incolae imperante Constantino erant Judaei 563. A. Romanis fit metropolis Galilaeae 554. Cognomen *Hadrianae* tulit 564
 Diocletiani imperii Natalis dies 206.

I N D E X

quo anno persecutionem Christianorum indixit 167. Epocha ab imperio ejusdem in Aegypto 82. 206
 Dioseuri in nummis quomodo scalpti 99. Cur in Syria praesertim culti 100
 Diospolis duplex 523. Epocha ejusd. quando coeperit 523
 Dius primus mensis anni Macedonum 2. & anni Asianorum 22. ac Gazensium 480
 Decimium urbs Phrygiae. Ejusdem nummus 12. undenam nomen accepit? Ibid.
 Dominica Apocrei cur ita a Graecis appellata 170
 Domitianus adhuc Caesar laureato capite in nummis scalptus 315. Ejusdem Caesaris in Germaniam expeditio Ibid.
 Dora urbs Phoeniciae vetusta 454. Ejusdem situs 454. 458. a Zoilo tyranno Seleucidis erepta 455. Antoniam a Pompejo obtinet. Ib.
 Epocha ejusdem 456. f. Aetate D. Hieronymi erat deserta 457. Stephanus ejusdem Episcopus Vicarius toti Palaestinae a Romano Pontifice impositus 458
 E.

Esdippa & Actipus oppida diversa 425. f.

Edessa metropolis Osrohoenae 105. ab altera in Macedonia appellata 106. Reges ibi diutius rerum potiti 108. Perperam Phoenici adscripta 110. Christianam religionem inter Sarracenos diu retinuit 112. Epocha Seleucidarum usa 114. f.

Elephantum regum Syriae in agro Apa-

meno nutriti 82. Eosdem Romanis tradere Antiochus jubetur 81
 Eleusa insula Cilicio litori adjacens 136. Sebaste urbs ibidem condita ab Archelao rege Cappadociae Ib.
 Emesa diu Seleucidis paruit 93. suos postea reges habuit 93. f. Juliae Domnae ac Juliae Marse Augustarum patria 94. f. Fit colonia ab Antonino Caracalla 95. Emeseni Solem colebant, & qua figura expressum 96. Atram Seleucidarum adhibent. Ibid.

Epagomenarum dies quinam apud Aegyptios 480. Quinam apud Gazenses. Ibid. Nulli erant dies Epagomenarum in anno Tyriorum. 384. f.

Epiphanes quorundam regum agnomen quid significet 129

Epiphania urbs Syriae antea Hemath 334. Fuit in confiniis Terrae Sanctae. Ibid. Altera Epiphania erat in Cilicia 335. Syriaca de cognomine Antiochi Epiphanis appellata. Ib. Epocha alterutrius exponitur 336

Episcopi quidam in Mesopotamia Graecae linguae ignari 38

Epocha quid 67. Idem initium erat anni novae Epochae ac anni civilis antea frequentati 205

EPOCHAE VRBIVM.

Aegarum 378
 Anazarbi 370
 Antiochia ad Orontem 159
 Altera Caesariana 163
 Tertia Augustana 249
 Antiochia ad Hippum 332
 Apameae 81
 Aradi 434
 Arc-

RERVM NOTABILIVM.

Arethufa	337	Evagrius menses Antiochenos Roma-
Afcalonis	504	nis pares facit 154. Sponsam du-
Botrys	465	cens periclitatur 236
Bybli	469	Eusebius Samosatarum Antistes con-
Capitoliodos	327	secrat Episcopos per provincias
Chalcidis	320	Syriae 140
Commagenorum	138	Eustathius Episcopus Beryti invade-
Damasci	90	dicecesim Metropolitae Tyri 465.
Diospoleos	522	467. Multatur eo jure in Synodo
Dororum	456. f.	Chakedonensi 490
Edeffa	113	F.
Emefa	95	F asti Consulares correcti 61. 180.
Epiphania	336	185. 289. 320
Gabalorum	296	Faustina senior quo anno mortua 502
Gabes	461	Junioris nummus perperam matri
Gadarorum	299	adscriptus 593. Eadem diu ante
Gaza	484	maritum M. Aurelium <i>Augustae</i>
Laodicensium	273	titulo ornata 548
Leucadiorum	340	Flaccus Syriae praeses 166. Ejusdem
Neapoleos in Samaria	547. f.	nummus. Ibid. Post decennium in
Orthosiensium	103	provincia mortuus Ibid.
Palmyrae	124	Flumina: Abora prope Rheseanam.
Panados	449. f.	342. Adonis prope Byblum 469.
Philadelphiae	311	Axius prope Pellam in Macedonia
Ptolemaidos	429	86. Mygdoniam a Bottiaide diri-
Raphia	519	mebat 150. Axius alter prope Apa-
Rhesanae	345	meam 86. f. Belus prope Ptolemai-
Samaritae Provinciae	523. 535	dem 429. Corseus & Eleutherus
Samosatarum	139	Phoenices utrinque termini 353.
Sebastes in Samaria	527	Jordanis fontes 445. Lado prope
Seleucia	276	Antiochiam 177. Marsya ab Apa-
Sidonis	416	mea distabat 85. Orontes in Syria
Tiberiados	556	86. Scirtus prope Edeffam 107
Tripolis	98. f.	Fulvia familia Plautiani, ejusque filia
Tyri	391	Plautillae Augustae 466. f.
Epochae annos Imperii Caesarum cum		G.
annis suis exhibentes 523. sqq. Se-		FB, & FF literae quid in nummis
leucidarum 70. Vide V. <i>Seleucida-</i>		Tarsi & Anazarbi significant 369
<i>rum</i> .		Gabala urbs Syriae 293. Alia in Lydia.
		Ibid.

I N D E X

Ibid. Epocha Gabalæ in Syria 295
 Gabe urbs prope Cæsaream Palæstinæ
 459. *Claudia* ab Agrippa rege ap-
 pellata 460. Ejusdem Epocha 461.
 Perperam cum Samaria sive Seba-
 ste confunditur 462
 Gadara urbs Cœles Syriæ 297. dicta
 Antiochia & Seleucia 313. Ejus
 balneæ 298. Judæi eandem Seleu-
 cidis eripiunt. Ibid. Illius Epocha
 299. f. Herculis laureatum caput
 in ejusdem nummis 302. Num an-
 nus ibidem ab autumno initus?
 304. Tempia Deorum Gadaris ab
 Herode diruta 301. Nulla Gadara
 fuere in Asia proconsulari 307
 Galba Imperator qua die occisus 55.
 Tempus imperii ejusdem. Ibid.
 Gaza una ex quinque Satrapiis Philis-
 tinorum 476. ab Alexandro Ma-
 gno expugnata 477. Gazensium
 anni diagramma 480. Menses de-
 cem una cum Ægyptiis inibat 481.
 Annus ibi a mense Dio inchoatus.
 Gaza non fuit ab Augusto tradita
 Archelao 482. Variz opiniones de
 initio Epochæ ejus urbis 484. Ga-
 zenses a Judæis urbe pulsi 491. Cur
 triennio ab obtenta autonomia
 Epocham instituerint? 492. Octo
 ibi deorum templa 493. Gaza *lone*
 appellata ab Io 499. Duplices nu-
 meri diversi in ejusdem nummis
 varie exponuntur 497. f.
 Germanicia urbs Commagenes 143.
 Ejusdem nummus 139. 143. Epocha
 ejusdem obscura 142
 Geta qua die Cæsar creatus 453
 Gorpizus mensis Macedonum in-

nummo Arsacis regis Parthorum
 signatus 10
 Gregorius Patriarcha Antiochenus
 in Synodo absolvitur 330. mili-
 tum seditionem sedat 239
 H.

H Adrianus Imperator non fuit
 auctor Indictionum quinde-
 cennialium 203. Mesopotamiam
 tributo levavit 349. Tyrum Phœ-
 nicum metropolim instituit 397.
 Quo anno Syriam lustravit 498
 Hebræi jure civium Antiochiæ do-
 nati 151. Minores in numerando
 numeros majoribus præponunt
 173. Nominibus mensium Chal-
 dzorum utuntur 2. Ipsorum urbes
 nomina mutarunt 323. Eorundem
 gesta contra Romanos 61. f. ab Ha-
 driani legatis excisi 564
 Hegira Arabum quo anno cœpit 72.
 Quot diebus posterior Æra vetu-
 sta Seleucidarum. Ibid. Quot vero
 prior Æra Persica Ibid.
 Herennia Etruscula Detii Augusti u-
 xor 345
 Hermon mons prope Paneadem 445
 Herodes rex Ascalone oriundus 514.
 f. Duplex Epocha regni ejusdem
 504. Quo anno Sebastem dedica-
 vit 533. Templum Augusto ibidem
 dicat. Ibid. Alterum in monte Pa-
 nio 444. Gadarensium templa
 evertit 301. f.
 Hierapolis fit metropolis Commage-
 nes 140
 Hierosolymorum Patriarchatus cœ-
 pit post quartum Christi sæculum
 485
 Hip-

RERVM NOTABILIVM.

Hippolyti Martyris tabulæ Paschales
exponuntur 117

I.

Jamblichus rex Emesæ 93. ab Anto-
nio Triumviro necatur 94

Ibas Metropoli Edessæ apud Bery-
tum & Tyrum in judicio absolvi-
tur 403. f. Annus ac menses utrius-
que judicii indagantur. Ibid. Da-
mnatus in Conciliabulo Ephesino 413

Indictionum Constantini initium 199

Nullæ antea erant in usu Antio-
chiæ 198. Kalendis Septembris et-
iam ante Justiniani imperium in-
choabantur 210. 407. Sæpe perpe-
ram a librariis signatæ 211. 407.
Eadem numero in Occidente ac
Oriente decurrebant 406. f.

Io Gazæ culta, cui & nomen dedit. 499

Josephus in libris de bello menses Lu-
nares nominibus mensium Mace-
donum designat 44. f. Cum Phar-
mutho Solari mense Ægyptiorum
Nisan Lunarem comparat 50. A-
pellatum Solarem Tyrriorum se-
mel appellasse videtur 54. Ejusd.
textus emendati 135. 294. Antio-
giæ arguitur 393

Jotape regina Commagenorum 132.
uxor Antiochi IV. 134. Ab eadem
urbs Jotape in Isauria denomina-
ta 136

Julianus Apostata quo mense Antio-
chiam ingressus 238. Cur Loum-
mensem Antiochenorum deci-
mum numeret 237. Deorum An-
tiochiæ templa frequentat 246. f.

Julius Cæsar ætate bellum in Hispa-
nia profigat 188. Tempus belli ab
eodem gesti in Epiro & Thessalia.
Novem menses in Ægypto mora-
tus 192. Quo mense fuerit Antio-
chiæ 197. Autonomiam lege Di-
ctatoria Antiochenis sanxit 196.
Laodicensibus 272. Egensibus 378.
Ptolemensibus 430. Fuit Dictator
primum comitiorum habendo-
rum gratia 196. Dein Dictator II
annuus 191. Eam Dictaturam iniiit
apud Alexandriam. Ibid.

Julii Aspri fratres una simul Consules
184. f. Vetus Inscriptio alterum
laudat. Ibid.

Juppiter *Bottiaui* unde dictus 150. Jo-
vi Bottizo aram ad Orontem dicat
Alexander Magnus. Ibid. Juppiter
Casius 236. *Cernunius* 268. *Critage-
nis* 495. *Hospitalis* 541. *Philinus* 159.
247. *Marna* nomine apud Gazam
cultus 494. Implexa barba scal-
ptus 246. Ejus templum apud A-
pameam a S. Marcello Episcopo
dejectum 81. Laureato capite in-
nummis Antiochenorum signatus
246. & Dorienisium 456

Justini Martyris dialogus quando
scriptus 354

Justini Imperatoris dies Natalis 169.
Edictum pro Synodo Calchedo-
nensi ac exulibus Catholicis revo-
candis publicat 219. f.

Justinianus qua die Imperator crea-
tus 154. 170. Jubet annos imperii
in Actis publicis aliis notis tempo-
ris præponi. Vid. *Præfat.*

D d d d

Ka-

I N D E X

K.

Kalendaria vetusta apud Græcorum 16. 20. 56. Hebræorum 51. 491. Apud Lambecium 56. 58

L.

Litera in nummis Græcorum non *Lustrum* sed annum significat 367. 561. Antiquitus erat Græcis loco Λ 364

Laodicea ad mare a Seleuco condita 270. Illius situs ac Christiana religio diuturnior 271. Ejusdem Eparcha Cæsariana 272. f. A Cassio expugnata affligitur 273. Septimio Severo favet contra Pescennium 275. Æmula Antiochiæ. Ibid. Nomina *Julia*; dein *Septimia* & *Severiana* cognomen admittit 275. f. Posteriori Cæsarum ætate intra Cœlem Syriam censita 277. f. Varii ejusdem nummi 279. f.

Laurus cur in nummis Antiochenorum scalpta 177

Lenæon mensis in Ionia 15. Quo anni tempore decurreret 34. f.

Leonis I. Augusti Encyclicæ quando publicatæ 215. Natalis dies imperii ejusdem 208

Leo junior puer Imperator, & Consul quo mense obiit 175

Leontica sacra annua juxta annum Lunarem 4. f.

Leucadii populi Cœle Syriæ 340. Eorundem nummi quo tendant. Ib.

Lunationes in Fastis Anonymi erroræ 284. 347

Lunæ XIV Paschalis terminus tardior cui diei affixus apud Judæos 47. cui apud Alexandrinos 48

Lyciarcha Pontifex Lyciæ ab urbibus provinciæ creatus 257
Lydda p̄rbs idem ac Diospolis 522
M.

Macedones initio habebant omnes menses tricenarios 8. Nec Metonis, nec Calippi Cyclis initio usi. Ibid. Eorum coloniæ in Asia minori 11. f. Urbes in Syria condunt, aut restaurant 265. Mense Dæzio non inibant prælia 39. Annum ab autumno ac mense Dio inibant 3. 17
Marnas Gazz cultus 494. Quid ea vox Syriacè sonet 494. f. Eo nomine Jovem intelligebant 494. Templum Marnæ clausum, dein incensum 495
Marsyas convallis inter Libanum & Antikbanum 85. Item flumen 84
Matrimonia cum sororibus Macedonibus lege vetita 135. Ptolemæus Philadelphus eam legem infregit. Ibid. Dein Antiochus Magnus in Syria Ibid.
Mauricii Imperatoris bello gestorum Chronologia ex Simocatta & Evagrius 234. f.
Mensium Macedonum nomina 2. Menses Asianorum quinam dierum 30, quinam vero dierum 31. 19. f. Menses quinque apud Tyrios junctim erant dierum 31 384. f. Menses Gazensium omnes tricenarii 480. uti & Græcorum antiquitus in anno Lunari 3. f. itidem & Macedonum 6. f. Menses Asianorum nomine numerali, nempe *Primus, Secundus, Tertius* &c. appellata-

INDEX RERVM NOTABILIVM.

pellati 15. Quinam esset mensis
Tertius apud Smyrnenfes 28. f.
 Metropoles duum generum 396. f.
 Metropoles quædam tantum pe-
 nes nomen 401
 Municipia suis regebantur legibus 325
 N.

Næapolis urbs a Samaria diversa
 537. Ejusdem situs. Ibid. Jure
 civitatis a Septimio Severo priva-
 ta, illud interventu Aurelii Anto-
 nini recuperat 538. hinc *Aurelia*
 nominari voluit 539. Antea etiam
Flavia dicebatur 539. f. Cum Pa-
 neade perperam a Tristano con-
 funditur 540. Patria S. Justini
 Martyris & Marini Philosophi 541.
 Diana Ephesia in ejusdem nummis
 547. Erat prope montem Garizin-
 541. Ejusdem Epocha sub initium
 imperii Vespasiani inita 548
 Neronis nummi annos Imperii ejus-
 dem cum annis Epochæ simul ex-
 hibentes 524. f.
 Nicæna Synodus quo anno celebra-
 ta 168. Subscriptiones quædam
 falso eidem adpositæ 373
 Nobilissimi Cæsarum tituli antiqui-
 tas 453
 Nomina urbium Syriæ a nominibus
 urbium Græciæ ac Macedoniæ de-
 sumpta 106. 265
 Numeri minores in Nummis ac libris
 Græcorum majoribus passim præ-
 positi 173. 413. Numerus XC in
 nummis varia figura sculptus 178. f.
 292. 436. 496
 Numeri Græci in Nummis hoc
 in Opere descriptis:

A.	1.	Θ.	9.	Π.	80.
B.	2.	Ι.	10.	Ϟϙ.ρ.	90.
Γ.	3.	Κ.	20.	Ρ.	100.
Δ.	4.	Λ.	30.	Σ. C.	200.
Ε.	5.	Μ.	40.	Τ.	300.
Σ.	6.	Ν.	50.	Τ.	400.
Ζ.	7.	Ξ.	60.	Φ.	500.
Η.	8.	Ο.	70.		

Nummi MEDICEÆ Gazæ partim delineati, partim descripti.

Imperatorum. Augusti 255. 416. 505. f.
 Tiberii 107. 252. Claudii 11. 178. f.
 Vespasiani 242. Titi 302. Domi-
 tiani 242 292. 506. Trajani 236.
 279. 281. f. 287. f. 434. Hadriani
 72. 99. 308. 320. 416. f. Antonini
 Pii 100. f. 139. 243. 290. f. 500. M.
 Aurelii 12. 446. Faustinae ejusdem
 uxoris 543. 547. L. Veri 302. 321. f.
 Commodi 468. Septimii Severi
 274. Antonini Caracallæ 295. 368.
 540. Plautillæ ejusdem uxoris 294.
 f. Diadumeniani Cæsaris 375. f.
 Antonini Elagabali 437. Alexan-
 dri Severi 107. Pupieni 368. Balbi-
 ni. Ibid. Gordiani. Ibid. Philippo-
 rum 255. Decii 345. Valeriani 361
Regum. Antiochi Epiphanis 74. 151.
 Demetrii Soteris 74. Tigranis 17.
 Antiochi IV Commageni 128. f.
 Jotapes ejusdem uxoris 132. Agrip-
 pæ junioris 302
Præsidum Syriæ. Vari 247. Silani 248.
 Quadrati 182. Antiochenorum
 177. Tyrionum 397. f.

O.

Observationes quædam Astrono-
 micæ Agrippæ 19. f. Albate-
 D d d d 2 gni

INDEX

gni 72. 225. f. Chaldeorum 9. 40.
Hipparchi 16. Ptolemæi 226. Timocharidis 35
Olympicorum ludorum jus ab Antiochenis emptum 229. Quandiuii ludi Antiochiæ duraverint 258
Onuphrius Panvinus grandi elogio a Scaligero decoratus 326. Defenditur 346
Orthosia urbs Phœnicum 103. Ejusdem Epocha. Ibid. Gentile 104
Osiridis caput in nummis Phœnicum 466. & in nummo Tiberiadis 557
Osirhoene pars Mesopotamiæ 105
Ejus metropolis Edessa. Ibid. Fit provincia distincta a Mesopotamia 111
Othonis imperii prior ac postremus dies designati 55. f.

P.

Palæstina regio Philistinorum 470.
Initio sub Cæsaribus a Procuratoribus, dein a Præsidibus administrata 471. f. Quidenique Consulares & Proconsules dicti 473.
Ab Arcadio Imperatore in tres provincias dissecta 474. Palæstina tertia usque ad mare Rubrum extenta 475
Palmyra a rege Salomone condita 122. Ejus situs. Ibid. Capta ab Aureliano Augusto 122. f. A Justiniano restaurata 123. Provinciæ Phœnici contributa. Ibid. *Hadriana* appellata 124. Æram Seleucidarum retinuit. Ibid.
Palti situs 528. f. Epocha. Ibid. Episcopus 529. f.
Pan in antris degere creditus 444.
Tibiam soni inventor 448. f.

Paneas urbs Phœnicum sex nomina tulit 442. f. Aliquot ejusdem Episcopi 443. Num a fonte, vel a monte, vel denique a simulacro Panis nomen sortita 443. f. A monte Panio denominata 445. Eadem in nummis *Cæsarea Augusta* nuncupatur 446. Ejusdem Epochæ exponitur 446. f.
Pamla dicta provincia primæ Phœniciæ 402
Pascha anni Christi 65. p. 46. Anni 66. Ibid. Anni 70. p. 48. Anni 122. p. 102. 118. Anni 387. p. 47. Anni 417. Ibid. Anni 449. p. 411. Anni 453. p. 170. Anni 491. p. 176. Anni 526 p. 232. Anni 527. p. 154. Anni 672 & trium insequentium 25. f.
Pelagii Papæ epistola spuria 232
Petronii Syriæ præsidis nummus 178.
Ejusdem ad Dorienses epistola 455
Philadelphia urbs Coeles Syriæ 308.
Rabbath antea dicta. Ibid.
Arabia postea attributa 309
Zenon tyrannus ibidem 310
Ab Areta Arabe possessa 1b.
Pompejanis legatis traditur. Ibid.
Epocha ejusdem Pompejana 311
Phœniciæ varii termini 353. Phœnicum coloniæ, ac plura inventa 352.
Ab Antiocho Magno subacti 440.
Quidam vetusti Phœniciæ præsidis 355. In primam ac secundam provincias divisa 356
Pionius Martyr quo anno passus 31
Plautianus non *Septimius*, sed *Fulvius* dicendus est 487. f. Ejus filia Plautilla quo anno nupta Caracallæ 488
Poly-

RERVM NOTABILIVM.

Polycarpus quo mense ac die Smyrnae passus 29

Pompejus quo primum anno in Syriam venit 303. Quo mense fuerit Antiochia 296. Quot urbes in Syria restauravit 311. Sampliceramus dictus a Cicerone 94. Tempus belli ejusdem cum Cesare in Epiro ac Thessalia 190. f. Dies Natalis & immortalis ejusdem 163. Pompeiani Antiochia exclusi 201

Pomponii I. C. locus correctus 180

S. Porphyrius Gazæ Episcopus consecratur 484. f. Quot annos sederit, quoque diem obiit 490. f.

Probi Imperatoris initium quo anno contigit 114. f. Ejusdem consulatus perperam in Fastis & Annalibus notati 115. seqq.

Publicani Equites Romani 200. A Gabinio proconsule Syriæ spretri. Ibid. Coacti a Scipione anticipatam pecuniam tradere 201

Pugna Pharfalica quo mense contigit 190

Pulcheria Augusta quo anno ac die mortua 170

Q.

Litera Latinorum minor q antiquitus apud Græcos nota numeri XC 436

Quadrati Syriæ præsidis nummus 182. Familia ejusdem ac gesti magistratus ex insigni Inscriptione demonstrantur 183. Obiit in provincia 186

Quintilii Vari præsidis Syriæ tres nummi 247

R.

Litera ꝛ jacente numerus sextus in-

Græcis nummis Antiochensum designatus 179. 248

Raphia urbs in extrema Syria versus Egyptum 518. Regiæ nuptiæ ibi celebratæ. Ibid. Epocha ejusdem 519. Illius initium indagatur 520. f. Rhésæna urbs Osrhoenes 344. Ejus situs prope Aboram 342. f. Epocha 348. Cur tot Deciorum nummi ibidem scalpti 351

S.

S Litera apud Græcos nota numeri sexti 113. 302

Sabbæ Abbati revelatur hora interitus Imp. Anastasii 172. Encyclicas Justiniani publicat 220

Samaria urbs regia sedes regum Israel 531. Cur dicta soror major Hierusalem qua erat longe recentior. Ibid. Ab Hyrcano Judæorum principe ac Pontifice solo æquata 532. Ejusdem Epochæ 525. f.

Samaritani fingunt se a Sidoniis oriundos 532. Olim in templo Hierosolymorum sacra faciebant. Ibid. Templum postea in monte Garizin habuerunt 541 f. Perpetua illorum cum Judæis dissidia 536. Antiochum Epiphanem Deum appellant 131. Ab Augusto quarta tributorum parte levati 551. Eorundem aliquot millia a Romanis in monte Garizin occisa 549. Juliano suum popularem regem creant 552

Samofata metropolis Commagenes 140. Flavia appellata 139. Ejusdem Epocha 138. Eusebius illius Episcopus ordinat presbyteros & Episco-

Dddd 3

pos

pos per universam Syriam 140
 Sampliceramus rex Emese 93
 Scipio Syriam proconsul indictioni-
 bus emuhgit 201
 Sebaste urbs Ciliciz 135. Erat in prima
 Cilicia 137. Ejusdem nummus 129.
 Vide V. *Eleusa*.
 Sebaste urbs Samariæ quo anno ab
 Herode condita 533. f. Epocha e-
 jusdem 534. f. Eusebii de ejusdem
 conditu anachronismus 535. f. Ala
 Sebastena 536. Fit colonia a Septi-
 mio Severo. Ibid. Ej. Epocha 527
 Seleucus Babylonem recuperat 68
 Orientem ad Indos usque debellat
 69. Syriam majorem a foederatis
 obtinet 69. 121. Cur *Nicator* dictus
 159. f. Templum Jovi Antiochiæ
 extruit 159. Vrbes plurimas condit
 265
 Seleucidarum Æra non a Syria capta,
 sed a Babylone recuperata cœpit
 69. Orientales populi eadem usi
 70. Anni ejusdem inibant ab autu-
 mno 71. Illius initium ex nummis
 demonstratur 72. f. Sæpe in libris
 Machabæorum appellatur nomi-
 ne anni *Gracorum* 74. Quot diebus
 præcætat Hegiram 72. Eandem
 plures Syriæ urbes diu retinuerunt.
 Vide V. *Epocha*.
 Seleucia maritima in Syria cur *Pieria*
 appellata 265. Ab Antiocho Ma-
 gno Seleucidis recuperata 266. E-
 jusdem Epocha 267. Anni ab im-
 perio Augusti in Syria in ejusdem
 nummo una cum annis Tiberii ob-
 signati. 252. 269
 Semiramis infans a columbis pascitur

506. f. In nummis Ascalonitarum
 scalpita 511. f.
 Sextarius quot uncias continebat 393
 Siclus Hebræorum semunciam pen-
 debat 392. Erat ejusdem ponderis
 cum Tetradrachmo Tyriorum. Ib.
 Sidon a Sidone pronepote Noe con-
 dita 414. Ætate priorum Cæsa-
 rum non erat metropolis 397. Ty-
 riorum regi paruit 415. Habuit &
 proprios reges Ibid. Astarte ibi-
 dem præcipue culta 416. f. Epo-
 cha ejusdem 419. f.
 Syria alia dicta superior & major, a-
 lia Cœle Syria 145. f. Cœle Syria o-
 lim parebat Ptolemæis 146. Antio-
 chus Magnus illis eandem eripuit.
 Ibid. Varii ejusdem termini 147.
 297. Aretas Arabum rex Cœles
 Syriæ magnam partem subigit 310.
 Syria fit Romana provincia a
 Pompejo 303. Ejusdem postrema
 divisio in primam & secundam 357
 Syriæ Præsidum nummi cum annis
 Antiochiæ 165. f. 178. f. 182. f. 186.
 f. 247. f. 252
 Syriæ Macedonibus victi, horum an-
 num, ac nomina mensium recipi-
 unt 37. Annum ab autumno ordie-
 bantur 38. ac mense Hyperbere-
 tæo. Ibid. Posteriori ætate quidam
 Syrorum annum inibant ab Elul
 sive Septembri, quidam a Tisri
 priori sive Octobri 226. f. Nomina
 Syriaca mensium 228. Syri regem
 petunt a Ptolemæo rege Ægypti
 389. Tigranem in regnum vocant
 156. 427. Pompejus eosdem Ro-
 manis provinciis adjecit 303. Sol-
 vebant

RERVM NOTABILIVM.

vebant centesimas, atque etiam
tributum capitis 427
Syriarcha Pontifex provinciae a qui-
bus creatus 258

T.

TAmuz mensis Syrorum ab Ado-
nide nuncupatus 238. 242
Tarsus *Juliopolis* appellata 273. Plu-
res maximi moduli nummi ibi-
dem scalpiti recitantur 368

Templum Hierosolymitanum bis die
10 Loi combustum 52

Terrae motuum Antiochiae anni de-
signati. Sub Trajano 213. Sub Leo-
ne I p. 208. Sub Justino 154. f.
232. Sub Mauricio 233

Tetradrachmi Tyriorum 392

Thyatira Macedonum colonia men-
ses horum adhibet 14

Tiberias urbs Palaestinae a rege Hero-
de Antipa condita 553. f. Erat Gali-
lae Metropolis 554. Ab Agrippa
rege *Claudia* appellatur 555. Bal-
neae prope eandem. Ibid. Sex Asiae
ac Syriae reges semel apud Tiberia-
da convenere 554. Sexcenti in ea-
dem Decuriones. Ibid. Dolo capta
a Josepho historico 558. Templum
Hadrianion ibid. 561. Sub Constan-
tino a solis Judaeis habitabatur 563.
Epocha ejusdem in nummis 554.
sq. exponitur. Ejusdem cum
proxima urbe Sepphori conten-
tiones 563. f.

Trajanus quo mense a Nerva adopta-
tus 559. Quo primum anno Dacos
vicit 281. Annus quinti illius con-
sulatus 283. Quando in nummis
cum titulis *Optimi Augusti*, ac *Par-*

thici scalpiti 286. sq.

Tripolis a tribus urbibus condita 98.
Dionysius tyrannus eandem Se-
leucidis eripuit. Ibid. Pompejus,
occiso tyranno, eandem Romanis
subdidit. Ibid. Navale Tripolita-
rum 100. Dioscuri in ipsorum
nummis scalpiti. Ibid. Aerae Se-
leucidarum retinent 98. Ex num-
mis Tripolitarum ejusdem Aerae i-
nitium demonstratur 72. f. 102

Tyrtus Sidoniorum colonia 414. E-
jusdem vetustas 380. Tyriorum
reges 381. Ab Alexandro Magno
expugnantur. Ibid. Quo mense? 7.
Tyrtus grandi elogio a Deo com-
mendatur 395. f. Digamma anni
Tyriorum 384. Epochae Tyrtiae ini-
tium demonstratur 390. f. Tituli
honorifici Tyrti ex veteri Insc-
riptione 390. Cur Aquila in illius
nummis scalpita 391. Tetradrach-
mus Tyriorum ejusdem cum Siculo
ac Staterem ponderis 392. Varii Ty-
riorum nummi cum Epochae 394.
f. Elegans ejusdem urbis mono-
gramma 399. Quando primum
facta Metropolis 396. Sub Chri-
stianis Augustis Metropolis Phoe-
nicum civilis & Ecclesiastica 356.
Illius Metropolitae erat Protothro-
nus dioeceseos Orientalis 401

V.

Verus Imperator anno IX imperii
mortuus 362

Vitelius qua die imperium inivit,
quave illud cum vita amisit 57. sq.
Die nefasto imperium accepit 60
Vmmi.

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Vmmidia familia Romæ Consularis

Xylophoriorum festum Judæorum.

183

51

X.

Z.

XAnthicus in veteri anno Macedonum erat dierum triginta 6.

ZEno Imperator qua die obiit 175

Smyrnæ quando incipiebat 29. f.

Zoilus tyrannus Stratonis turrim ac Dora occupat 513



